









ip

℥ Can: 341.6

INNOCENTII CIRONII  
IVRIS VTRIVSQUE PROFESSORIS, CANONICI,  
ET ECCLESIAE, AC ACADEMIAE TOLO-  
SANAE CANCELLARII

# PARATITLA


IN TRES PRIORES LIBROS  
DECRETALIVM  
GREGORII IX.

NVNC PRIMVM IN GERMANIA EDITA,  
CVM PRAEFATIONE

DE  
CORPORIS IVRIS CANONICI RECEPTIONE  
IN GERMANIA POTISSIMVM,

QVVM

SVB SACRATISSIMIS AVSPICIIS  
ROMANORVM IMPERATRICIS

 **MARIAE THERESIAE**  
HUNGARIAE ET BOHEMIAE REGINAE  
APOSTOLICAE, &c.

IN ACADEMIA VINDOBONENSI

PRAESIDE

PAVLO IOSEPHO RIEGGER IC.  
CAES. REG. APOST. MAI. A CONSIL. AVLICIS  
SS. CANONVM PROFESSORE P. ET O.

SELECTAS EX VNIVERSO IVRE POSITIONES

PROPVGNARET

LVDOVICVS KONCSEK DE DWORECZ  
HUNGARVS.

DIE XV. MAII MDCCLXI.

---

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. ET APOST. MAI. AVL.  
NEC NON INCL. ORDINVM INFER. AVSTR. TYPOGR. ET BIBLIOP.

INNOCENTII PAPAE  
VI  
DECRETALIVM  
LIBRVS PRIMVS  
IN QVODAM LIBRO

PAPAE  
IN TRES PRIORES LIBROS

DECRETALIVM  
GREGORII  
IN QVODAM LIBRO  
CVM PRAEFATIONE

CORPORIS IVRIS CANONICI RECEPTIONE  
IN GERMANIA

ROMANORVM IMPERATORIVM

MARTAE THERESIAE  
AUSTRIAE ET BOHEMIAE REGINAE

IN ACADEMIA VIENNOBENSIS  
PUBLICE

PAVLO JOSEPHO THURGERIO  
CALLE REGIO

ADVOCATO ROYALI DE DRESDEN

IN ACADEMIA VIENNOBENSIS

IN QVODAM LIBRO





SACRATISSIMAE, AVGVSTISSIMAE,  
GLORIOSISSIMAE,  
**MARIAE**  
**THERESIAE**  
ROMANORVM IMPERATRICI,  
HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE,  
CROATIAE, SCLAVONIAE, BOSNIAE, RAMAE,  
SERVIAE, GALLITIAE, BVLGARIAE, CVMANIAE,  
LODOMERIAE  
REGINAE APOSTOLICAE,  
ARCHIDVCI AVSTRIAE,  
DVCI  
BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,  
STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLAE, MANTVAE  
PARMAE PLACENTIAE, LIMBVRGI, LVXEMVRGI, GEL-  
DRIAE, WVRTEMBERGIAE, ET VTRIVSQVE SILESIAE,  
PRINCIPI  
SERVIAE, ET TRANSILVANIAE,  
MARCHIONI  
S. R. IMPERII, BVRGOVIAE, MORAVIAE, SVPERIO-  
RIS ET INFERIORIS LVSATIAE,  
COMITI  
HABSPVRGI, FLANDRIAЕ, TYROLIS, FERRETIS, KIBVRGI,  
GORITIAE, GRADISCAE, ARTESIAE, ET NAMVRTIAE,  
LANDGRAVIAE  
ALSATIAE,  
DOMINAE  
MARCHIAE SLAVONICAE, PORTVS NAONIS, SALINARVM,  
MECHLINIAE, &c.  
DOMINAE DOMINAE  
CLEMENTISSIMAE,  
D. D. D.



**AUGUSTISSIMA**  
**IMPERATRIX,**  
**DOMINA DOMINA**  
**CLEMENTISSIMA!**



uod TVIS potissimum auspiciis, IMPERA-  
 TRIX AVGVSTISSIMA, & sub TVI  
 NOMINIS tutela meas has iuris positiones  
 publico iudicio exponendas duxerim, est hoc quidem temera-  
 rium, audax certo consilium meum: sed est, quod me hae-  
 sitantem impellere poterat. Quamquam enim tanti imperii,  
 ad quod TVAE TE virtutes communi omnium felicitati  
 euexerunt, amplitudo, & curarum, quae solium TVVM  
 numquam non obseptum tenent, infinita quaedam varietas  
 ab hac me cogitatione vehementer abduceret, tanta tamen  
 siue ingenii TVI facilitas est, siue magnitudo animi, vt  
 cum rebus maximis operam impendis, minima necquaquam  
 asperneris. Domi iustitia, fortitudo in armis, vbique pru-  
 dentia, & incredibilis quidam vereque AVGVSTVS sci-  
 entiarum amor, qui iam pridem SACRATISSIMO NO-  
 MINI TVO aeternitatem spondet, quidquid adhuc animo  
 timoris haeserat, omne absterfit. Reliquas CAESAREAE  
 INDOLIS dotes non persequar; infinita enim, si in immen-  
 sum illum, rerum a clementia & iustitia TVA profecta-  
 rum

*rum campum excurrat, oratio nostra sit oportet. Enim-  
vero IMPERATRIX AVGVTISSIMA, non quia po-  
pulos multitudine innumeros belloque fortissimos regis, sed  
quia iuste regis, gentes etiam remotissimae MAIESTA-  
TEM TVAM non verentur magis, quam amant. Haec,  
haec sunt, DOMINA AVGVSTISSIMA, inconcussa  
imperii TVI fulcra, quibus adhuc immotum stetit, stabit-  
que, dum Austria erit, hic regionum potestati TVAE sub-  
iectarum murus aeneus. Quid illud quam diuinum, quam  
TE dignum consilium! quum ingenti animo, nec minore  
liberalitate doctorum hominum ingenia suo quasi e veterno  
excitasti, quorum vsa eruditione, ac industria, quod grauiissi-  
mum natura certamen est, ignorantiae bellum indixisti. Su-  
spiciebat hoc Europa omnis, & qua par est, tanti animi  
magnitudinem, commemoratione virtutis profecuta est:  
pulchrum est hoc, & Principe dignum liberalitatis genus! at  
hac tempestate, hoc in belli furore, licentiaque armorum Mu-  
sis vacare, eas fouere, ac complecti, longe est Augustissi-  
mum! quae nisi de IMPERATRICE, ac de TE qui-  
dem*

dem **IMPERATRICE** praedicarentur, fidem omnem viderentur superare: haec **TVA** propensissima in litteras voluntas quos motus, quantam in iuuentute ad spem patriae nata exitavit alacritatem! Videbamus enim neminem, in quo esset aliqua non alieni a studio litterarum animi significatio, a **SOLIO TVO** tristem recedere: quae quidem cogitatio tantum in animo meo valuit, vt nihil agerem, nihil molirer, nihil cogitarem denique, quod esset a scientiis alienum. Emensus tandem cursum omnem denique in arenam descendendo prope securus victoriae, quia **TE PRAESIDE** certaturus.

Vide, quos mihi animos **CLEMENTIA TVA** addiderit: quod ante hanc diem **MAIESTATIS TVAE** memor ne tacite quidem optare ausus eram, idem mihi sumo hodie, **TVO** vt **NOMINI** has pagellas inscriberem. Veruntamen est, cur deberem etiam: Maiores mei incorrupta in reges suos fide cito se principibus suis charos effecere: quae in patriam merita gratia illi sua, nobilitateque, dignis  
vtique

*vtique summo Principe beneficiis profecuti sunt: quare accen-  
si in armis alii, alii in subselliis tribunalium pro regibus  
suis, pro patria decertarunt. De parente meo quid dicam?  
in quem a CLEMENTISSIMA VOLVNTATE  
TVA tanta sunt profecta beneficia, quanta vt cuperet,  
speraret certe, numquam a se potuit impetrare: quorum ego  
vestigia premere quum instituo, ad thronum MAIESTA-  
TIS TVAE prouolutus id obtestor vnice, vt hoc quaecun-  
que deuotissimi, gratissimique animi monumentum serena  
fronte admittas, meque TVORVM in numero esse patia-  
ris, qui fidem ac sanguinem TIBI, AVGVSTAEQVE  
FAMILIAE TVAE confecro*

AVGVSTISSIMAE  
MAIESTATIS TVAE

Deuotissimus Cliens  
LVDOVICVS KONCSEK  
DE DWORECZ.

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EDITOR.



Quum INNOCENTII CIRONII professoris quondam apud Tolosanum celeberrimi paratila in decretalium GREGORII IX. libros recusa in lucem proferimus, non est, cur vino alioqui vendibili hederam suspendere, aut rem de se commendatissimam magis commendare nitamur. Quis enim reperiri poterit in iurisprudencia ecclesiastica vel tenuiter versatus, cui exploratum non sit, nihil hoc libro ad ius canonicum ex genuinis suis principiis hauriendum adcomodatius, nihil ad perfectam decretalium intelligentiam desideratius, nihil ad solidam iuris ecclesiastici, eiusque vicissitudinum cognitionem plenius, aut vberius esse posse? Exhibet enimvero praestantissimum illud opus in compendio ad quemuis decretalium titulum ecclesiasticam omnis aevi disciplinam, & dum nobis illos, quos fidelis populus quouis tempore praefetulit mores, ostendit, limpidissimos simul vniuersae iurisprudenciae ecclesiasticae fontes recludit; quamquam eosdem praeteritorum seculorum vitio nonnunquam turbari contigerit. Vnde potius laetandum mihi esse existimo, quod a nonnullis gratiam inire me sperem, quibus auctorem sup-  
X pe-

rem suppedito eum, quem praeter ceteras illas dotes haud vulgares raritas ipsa adeo commendat, vt non in Germania tantum nostra, sed vel in ipsa Gallia, quantumcunque etiam sumptuum profusionem facere libuisset, a nobis necquicquam quaereretur.

Ego vero in hac editione, quam ex Bibliotheca Augusta, & Garelliana in Collegio Theresiano produco, nihil aliud opus esse censui, quam in id enixe incumbere, vt praesens eruditissimi viri labor, quantum fieri posset, maculis suis expurgatus prodiret, & contextus ipse alioqui vno filo cohaerens quibusdam vbique quasi notis ad commodiorem legentium vsum distingueretur.

Neque tamen aut vitam Cironii, aut scripta ex editis historiae literariae scriptorum monumentis recensere necessum est, propterea quod de illa pauca omnino constent, \* haec vero suo ordine, & tempore omnia typis euulgaturos nos esse fidem faciamus.

Non ineptum fortassis praeterea cuidam videri posset, aut a proposito nostro alienum, si de παρατίτων etymologia, & vera eorum significatione criticam quamdam disquisitionem instituere in animum induceremus. Sed quoniam res haec & minoris est vtilitatis, & a viris eruditissimis IOANNE a COSTA, \*\* AEGIDIO MENAGIO, \*\*\* aliisque quamplurimis fatis superque iam exagitata, ne crambem recoctam apposuisse videremur, lectores rerum illarum studiosos ad laudatos a nobis auctores remittimus.

Ergo

\* Quaecunque tamen a nobis reperiri poterunt huc pertinentia, in praefatione ad HONORII III. P. quintam decretalium compilationem, quae eiusdem Cironii studio lucem viderat, proxime a nobis recudendam adducentur.

\*\* In praefatione ad summaria ad IX. priores titulos lib. I. Decretalium.

\*\*\* In amoenitatibus iuris ciuilibus. cap. 15.



Ergo pro recepto inter eruditos more nihil praefabimur, nec vestibulum exornabimus, quo spectatores conspecto atrii decore ad videndam ipsius domus pulchritudinem inuitentur? Id profecto nec honorificum satis, nec nostrae, qua nunc fungimur, editoris conditioni conueniens foret.

Vt itaque non omnino ἀσύμβολος cum hoc Cironii opere in publicum prodiisse dicendus sim, nonnulla, quantum quidem per summas, quibus arctamur, temporum angustias fieri poterit, adferre iuuabit, quae ad *historiam receptionis corporis iuris canonici in Germania praesertim* pertinent. Quod & argumentum huiusmodi non tritum adeo, minimeque vulgare fit, & cum Cironii paratitlis ita connexum, vt viam quasi ad perfectam eorundem cognitionem sternere iure merito videatur.

Omnibus, quibus aliqua historiae iuris ciuiliis Romani notitia comparata est, perspectum esse censeo, in Italia Romanarum legum usum semper aliquem fuisse.

Licet enim cum Seculo V. ipsius Iustiniani, Theodosianique textus studium exspirarit, id tamen effici nequaquam potuit, vt non compendia quaedam satis systematica vel domesticos inter parietes priuata industria peruoluerentur, vel etiam publice in scholis praelegerentur. \*

Felicius longe Seculum XII. iurisprudentiae Romanae illuxit, cuius sub primordia non solum WERNERII, & LANFRANCI opera, & voce ipse digestorum, codicis, & nouellarum textus in cathedra Bononiensi reuixit; verum etiam LOTHARIUS Caesar non multo post tem-

) ( 2

pore

\* Vide eleganter hac de re differentem V.C. MARTINIUM ord. hist. iur. ciu. c. VIII. §. 23—38.

pore collegium Bononiense creandi legum equites facultate insigniuit. \*

Quo factum est, vt selecta omnis Germaniae iuuentus in Italiam ad Wernerii doctrinam tamquam ad sublatum quoddam Phidiae signum conuolaret, Italiamque vt verae doctrinae domicilium auidissime peteret, quum & summis illos praerogatiuis honorari intelligeret, \* quos legum Romanarum studium huc aduocasset, & in sua patria non inueniret, quo ingentem illam, qua in exteram hanc iurisprudentiam ferebatur, cupiditatem exple-re posset.

Equidem haud ibo inficias, in Germania nostra iam ante Seculum XII. quamdam iuris ciuilis Theodosiani, imo & Iustiniani notitiam viguisse, id quod REGINONIS, & BURCHARDI Germanorum collectiones ecclesiasticae abunde ostendunt; sed tamen vel haec ipsa iuris Romani cognitio obscura satis erat, & suis implicata difficultatibus, quum non ex suis fontibus, sed ex eorum, quorum supra meminimus, compendiorum riuulis hauriretur, & ipsis Germanis proprium suum erat ius ciuile, suae consuetudines, suorumque principum constitutiones, quibus se veluti glebae adscriptos profitebantur, ita prorsus, vt reiectis iurium subtilitatibus omnia illorum negotia ciuilia viri boni arbitrium dirimeret.

Alia longe iuris ecclesiastici in Germania erat ratio. Sacrorum canonum praesidio maxima haec Europae pars nullo vnquam tempore carebat, simul enim orthodoxa religio in his terris lucem suam diffudit, simul etiam morum  
op-

\* Conf. loc. cit. §. 38. seqq.

\*\* IAC. MIDDENDORP. de priuil. acad. L. IV. p. II. IO. SAL. BRVNQUEL. Hist. iur. Rom. Germ. P. III. memb. II. c. 10. §. 9.

optimorum, & disciplinae ecclesiasticae laudem in easdem inuexit. Testatur id conciliorum, & synodorum frequentia, quibus omnis late Germania inclaruit. Testantur id scripta RHABANI MAVRI, quibus Germanicae ecclesiae statum accuratissime depictum videmus; testantur denique id canonum collectiones, ibidem susceptae, regumque Francorum capitularia, externam potissimum ecclesiae disciplinam dirigentia.

Quin ea fuit iurisprudentiae ecclesiasticae apud Germanos obseruantia, id studium, vt incredibili omnium consensu spuriae ISIDORI merces\* a RICVLFO episcopo Moguntino ex Hispania in Gallias primum inuectae, veluti opus auctoritatis plenum reciperentur: ita quidem, vt anno 906. REGINO abbas Prumiensis, & BVRCHARDVS Wormatiensis episcopus a. 1020. in suis canonum collectionibus omnem iisdem fidem adhibuerint.

His rebus ita comparatis, quum circa medium seculi XII. iuuentus vndique Bononiam ad Irnerianam iuris scholam conflueret, quid mirum, si eadem occasione Gratiani quoque decretum magni facere, omnibusque aliis canonum collectionibus praeferre coepit? Nam quum illud 1151. ab EVGENIO III. P. magna cum sui commendatione ad scholam Bononiensem mitteretur, & ab eodem, vt ex CALENDARIO *archigymn. Bononiens.* \*\* colligere licet, decretorum doctores iis, qui legistas sese profitebantur, exaequarentur, imo etiam, prouti ibidem adnotatum legitur, illi his *tanquam digniores propter diuinum ius, quod pertractant, praeferrentur*; facile iudica-

) ( 3

tu

\* HINCMAR. RHEMENS. aduers. Hincmarum Laudunens. c. 24.

\*\* Ad an. 1153. d. 7. Martii ap. ALEX. MACHIAVELLVM in notis ad SIGONII hist. Bon. l. III. Opp. T. III. ex edit. Argelat.

tu est, cur iuuenes vel alterutrum, vel vtrumque doctōris gradum ambientes Gratianum vnice in deliciis habuerint. \*

Quum enim is omnium praecedentium collectorum optima quaeque satis systematica, & commoda auditoribus methodo sub speciosa concordiae discordantium canonum inscriptione se concinnasse asseruisset, atque ipsa regum Francorum capitularia compilationi suae immiscuisset, fructus profecto longe vberrimos ille sibi decerpisse videbatur, cuius labor in euoluendo hoc Gratiani opere caste, integreque versatus fuisset. \*\*

Horum a iuuentute Germanica susceptorum itinerum longinquitatem, & asperitatem multum mitigasse, tantumque eiusdem feruorem, cupiditatemque adeo comprobasse videbatur FRIDERICVS I. vt an. 1158 apud Roncalias celeberrimam illam suam sanctionem \*\*\* in gratiam iuris studiosorum ederet, & tam ampla scientiarum amore peregrinantibus beneficia impertiretur. Hac nimirum ratione vno eodemque tempore iura ciuilia cum canonicis in decreto contentis a studiosis doctorum insignia in Italia consecutis ad Germanos transferri contigit, ipsumque ius decretorum decidendis etiam causis ciuilibus non raro adplicari.

Ipsa FRIDERICVS dignum aula sua comitatum eorum virorum censuit, quos eximia iuris huius vtriusque peritia exornaret, atque ita non solum *decretistas* cum *legistis* coniunxit, a quibus in grauissimis quibusque negotiis consilium peteret, \*\*\*\* verum etiam filium suum

HEN-

\* Conf. diss. nostr. de decret. Grat. §. 16. seqq.

\*\* Vid. ibid. §. 22. praecipue.

\*\*\* Auth. *Habita*. Cod. lib. IV. tit. 13.

\*\*\*\* ARNOLD. LVBECENS. chron. Slav. l. 3. c. 10. ap. LEIBNIT. script. rer. Brunsvic. T. II. p. 664.

HENRICVM apostolicis institutis, & legibus imperatoriae  
maiestatis \* erudiri curauit.

Neque aliud quidquam BERTHOLDVM iam an.  
1179. ad excelsum archiepiscopatus Bremensis fastigium  
euexisse dicendum est, quam insignem, qua pollebat,  
decretorum legumque peritiam. \*\* Vt adeo luculentissime  
pateat, perperam omnino a CONRINGIO, \*\*\* KVLPI-  
SIO, \*\*\*\* HERTIO, \*\*\*\*\* iuris pontificii in Germania  
vsum ad seculum XIII. relatum fuisse; qui error ex eo ma-  
gis elucet, quod IOANNES SEMECA Teutonicus  
praepositus Halberstadiensis glossas iam sub initium seculi  
XIII. in decretum conscripserit, 1245. demortuus. \*\*\*\*\*

Inde vero magis magisque semper decreto auctori-  
tas, vsusque in Germania accessit, vt iuris canonici re-  
ceptio longe prius facta fuisse videatur, quam id de iure  
ciuili asseri possit. Tantus enim quum sit inter vtrum-  
que nexus, & affinitas, vt neutrum sine altero disci, ne-  
dum perfecte, absoluteque intelligi queat, nemo non vi-  
debit, ipsam quoque iuris ciuilis propagationem hac tra-  
ctione mirum in modum promotam fuisse.

FRIDERICVS II. Caesar publico imperii ordinum  
consensu decreti Gratiani auctoritatem stabiliuisse videtur  
constitutione Moguntina circa annum 1235. edita \*\*\*\*\*  
sequentibus verbis: *Wir gebieten auch vestiglich, das man in*  
*al-*

\* ALBERIC. MONACH. in chron. ad an. 1185. a LEIBNIT. edit.

\*\* ANON. hist. archiep. Brem. ap. LINDENBROG. script. rer. Germ. septentrional.

p. 91.

\*\*\* De orig. iur. Germ. c. 26. p. 154.

\*\*\*\* Epist. de ll. Germ. orig. Opp. p. 363.

\*\*\*\*\* De consult. leg. in spec. R. G. l. rebusp. §. 14.

\*\*\*\*\* RITTER. ad HEINECC. H. I. p. 875. seqq. DOVIAT. praenot. can. l.

5. c. 3.

\*\*\*\*\* Corp. Rec. Imp. Senkenb. P. I. p. 19.

allem Römischen Reich an **G A I S T L I C H E N D I N G E N** (in iudiciis intellige ecclesiasticis) nach Gebot, und nach Ratt der Ertzbischoff sich halt und, der Bischoff, und der Ertzpriester nach **G A I S T L I C H E M** Recht, und wer dawider ist, den soll man haben für ungläubig. Quae verba legis de decreto Gratiani omnino accipienda esse temporis ipsius suadent *περίστας*, \* quum praeter idem nullum alium canonum codicem in vfu fuisse constet, decretalibus nuper admodum Pariisiis 1234. & Bononiae 1235. publicatis, in Germania certo nondum in legum iudicialium numerum relatis.

Id ipsum ex eo magis confirmari videmus, quod in schola Bononiensi primum 1241. decretales publice doceri coepisse adnotet **ALEX. MACHIAVELLVS** ad **SIGONIVM**. \*\* Vt igitur easdem prius a Germanis, quam Italis receptas fuisse existimem, adduci non potero.

Viderunt nempe, quibus erectae seculo XIII. Bononiensis, & Parisiensis academiae praeluxere, Germani nostri exempla, laudarunt, & mox ea imitando in suis terris expresserunt, in amplissimis, quae saeculo XIV. surrexerunt, liberalium artium domiciliis, iuris canonici nunc magis magisque semper exculti doctrinam cupidae auditorum industriae excipiendam proponentes. Ac illud potissimum animaduersione quadam dignum censeo, quod Carolum IV. Caesarem in Bohemia fecisse legimus. Laudauit is quemdam iuris professorem academiae suae Pragensis, quod missis decretalium libris Gratiani decretum praelegendum suscepisset, & ideo se amplissimis eum fauoribus amplexurum esse promisit. Habemus huius rei memoriam in literis a Caesare ad eundem exaratis, quas

\* Add. BOEHMER ad tit. de constit. §. 32. & RITTER ad Hein. p. 917.

\*\* Hist. Bon. l. c.

quas prout illas nobiscum in Ms. communicavit vir huma-  
nissimus, summaque eruditione clarus ANT. ROSEN-  
THALIVS, adferre lubuit: INSCRIPTIO. *Imperator*  
*laudat N. doctorem iuris, quod dimisit lecturam decretalis, &*  
*legit decretum. KAROLVS &c. Devote carissime, Re-*  
*ligiosum affectum quem elegit tua devocio, multum lauda-*  
*mus ex animo, gratum accipientes omnino, quod tu dimissis*  
*illis frivolis altercacionum disturbiiis quibus liber decreta-*  
*lium habundare videtur ad lecturam decreti aciem tue*  
*mentis velud rem theologiam prudenti studio direxisti,*  
*Et quia relatione venerabilis Episcopi nostri dilecti diligenciam*  
*tuam, qua honorem studii nostri Pragensis indefinenter pro-*  
*sequeris, sufficienter audimus, provisionem tuam illius pensio-*  
*nis, videlicet que tibi annuatim ad duos terminos solvi con-*  
*suevit, haecenus tibi pro securitate tua, quam primum Re-*  
*gnum nostrum Boemie ingressi fuerimus, absque omni diffi-*  
*cultate volumus stabilire, Et considerata honestate studiorum,*  
*quibus intendis, honorem tuum procul dubio piis & benignis*  
*favoribus prosequemur, confidentes, quod tu bene inceptum*  
*solida virtute continues, ut apud te nostre serenitatis affec-*  
*cio, continuato gratiarum presidio frequentius augeatur.*  
*Datum &c.*

Illud profecto, quod decretalium doctrinam ipsius  
decreti praelectiones CAROLI IV. voluntate exceperint,  
non aliunde, quam ex pristino Bohemiae statu repeten-  
dum videtur: Bohemi enim moribus suis, illisque, quas  
a maioribus suis hauserunt, inueteratis consuetudinibus  
tam tenaciter adhaerebant, ut omnem fere iuris scripti-  
rationem ex foro proscripserint, ita prorsus, ut  
cum circa annum 1294 rex WENCESLAVS II. gene-  
rale studium Pragae instituere cogitasset; \* & hunc in fi-  
nem

\* GOLDAST. de reg. Boh. l. 4. c. 15.

nem magistrum GOCZIVM I. V. D. ex Italia euocasset, a cardinali Matthaeo Vrsino sibi submissum, plurima nobilium, & procerum vota in scriptarum legum vigorem insurgerent, & laudatissimum de se regis consilium sufflamarent. \* At feliciore longe progressu hac in re, quae incassum a Wenceslao tentata est, Carolus IV. verfabatur: is enim, posteaquam rem eo perduxisset, vt multis publicum quoddam athenaeum exstruere sibi liceret, totum sese ad populi genium effingens, illiusque opinionibus, quantum id necessitas postulare videbatur, facile acquiescens, antiquis moribus vel suam relinquebat auctoritatem, vel minimum certo detrahebat: decretum vero Gratianum, cui fortassis non pauci in Italia iam assueuerant, non solum ideo maximi fecisse dicendus est, ne inducta alias disciplinae nouatione ecclesiasticam tranquillitatem turbari necesse esset, sed vel ideo decretalibus praeposuisse, quod earumdem processus iuridici methodum, rationemque adeo fastidiret, vt non alio, quam *friuolarum altercationum* nomine eam traduceret. Ceterum dum Gratiani decretum *rem theologiam* dicit Caesar, ab Italis, apud quos & *iuris diuini* adpellatione gloriabatur, illud translatum esse non immerito asseri poterit.

Suppeditauit nobis praeterea vir eruditissimus IOS. SPERGESIVS chartam quamdam satis diffusam, quae viridem decreti cum decretalibus in proximis potissimum Italiae prouinciis obseruantiam abunde ostendit. Scripta, ea est 1268. exeunte Augusto, Brixiae, continetque *Conradi Reinsonerii Decani Priciuensis ab Henrico Curiensi episcopo tanquam Papae legato subdelegati*

\* Conf. III. B. DE SENKENBERG. meth. iurispr. app. III. §. 52. p. 130.



ti iudicis, sententiam definitiuam contra Egnonem episcopum Tridentinum contumacem latam, cum reuocatione interdicti, cui episcopus Meynhardum comitem Goriciae, & Tyrolis ecclesiarum Aquileiensis, Tridentinae, & Prixinensis aduocatum & eius terras supposuerat. Ibi libri iuris per rubricas, capitula, paragraphos, causas, & distinctiones distributi laudantur, quibus decretum Gratianum designari manifestum est. Adducuntur praeterea capitula iuris, & speciatim quidem cap. cum dilecti, quod est c. 6. X. de dolo & contumacia, ac passim iurisperitorum mentio fit, omnisque contumaciae processus ex canonum sanctione institutus continetur.

Quod ipsum in alia quoque huiusmodi charta ad eandem causam pertinente, quae Egnonis episcopi de An. 1268. 11. Ian. sententiam interlocutoriam exhibet, obseruare licet, quum decretalium titulos de fide instrumentorum, & de dilationibus allegari conspiciamus. Vt adeo decretum cum ipsis decretalibus in foro obtinuisse indubitatum sit. Quod si tamen res de se certissima magis adhuc cuidam illustranda esse videatur, expressa, longaque clarissima SPECVLI SVEVICI \* seculo XIII. editi verba praesto sunt, dum ait: *Aus den zweyen Büchern (dem DECRET, vnd DECRETAL:) nimbt man alle die Recht, der Geistlichen vnd Weltlichen Gericht-bedarff.* Quod tamen nescio, cur BOEHMERVS \*\* corrigere velit.

Praeter ea, quae adhuc in medium adlata sunt, testimonia, sunt & alia nonnulla, quorum non ita perspicua est sententia, vt de qua potissimum ex vtraque hac compilatione, vel an non etiam de duabus simul accipienda sint, satis semper non liqueat. Ita scilicet RVDOLPHVS

) ( 2

PHVS

\* Lib. 1. c. 5.

\*\* Ad tit. de const. §. 50.

PHVS I. Caesar Moguntiae 1281. \* decretales quoque iisdem prorsus, quibus Fridericum supra vsum fuisse legimus, verbis ciuitate donasse videtur: Ita 1247. Simonem episcopum Paderbornensem in controuersia cum Hermanno abbate Corbeiensi super iurisdictione ad *ius commune* prouocasse ex SCHATENIO \*\* discimus, quum ille contra priuilegiis se munitum assereret, quod an non de decreto tantum intelligendum sit, non facile auisim pronunciare: Ita apud BESOLDVM \*\*\* non tantum 1267. Comes Rudolphus Palatinus de Tubingen *omni iuri canonico seu ciuili*, sed etiam 1278. Comes de Sulz *omni iuris auxilio tam canonici quam ciuili* \*\*\*\* renunciarunt. Quod idem *vniversi iuris canonici quam ciuili beneficiorum* ratione habita a Cunegunda de Hörde 1324. factum fuisse refert supra a nobis laudatus SCHATENIVS. \*\*\*\*\* Ex quibus vti & aliis quamplurimis, quas adducere possemus, illorum temporum chartis vel id etiam adnotari meretur, quod ius canonicum iuri ciuili semper praepo- ni solitum fuerit.

Reliquae corporis iuris partes longe felicius adhuc in vsum deductae videntur via scilicet plana adeo, & per ipsam decretalium receptionem potissimum patefacta.

Quum enim Clementinae anno 1318. prodierint, vero haud abfimile est a Ludouico Bauaro in decreto Rensensi 1338. non solum decretum, decretales, librum sextum Bonifacii VIII. sed etiam illas ipsas Clementinas designatas fuisse, dum ad *testimonia vtriusque iuris Caesarei* atque

\* Rec. Imp. P. I. p. 31.

\*\* Annal. Paderborn. P. II. L. XI. p. 57.

\*\*\* Monument. Württenb. in Monst. Blaubeur. n. 3. p. 916.

\*\*\*\* In mon. Alpirspac. n. 5. p. 256.

\*\*\*\*\* Ibid. p. 259.

atque pontificii coelestis thesauri prouocat. \* Id profecto certum est, libros istos partem omnino corporis iuris fecisse seculi XV. initio, quum eos 1416. in Auisamentis ita dictis Constantensibus pro veris, & genuinis eiusdem libris haberi intelligimus. \*\* Ibi nimirum *Deputati Nationis Germanicae* Caesarem monuerunt: *das durch dieses heilige General Concilium die Reseruation aller vnd jeden Kirchenlehen, so wohl der Größern als kleinern die in Corpore iuris nicht beschlossen seynd; (reseruations autem beneficiorum habenter in sexto, & Clementinis) sollen abgeschaffen vnd wiederruffen werden; als nemlich die eingeführt worden in existentia, wie sie reden, ad Regimen, oder durch einige regulas cancellariae &c.* Ex quibus constat constitutionem illam, quae incipit *ad regimen*, iam tunc in iudiciis laudatam fuisse, licet corpori iuris canonici inserta nondum extiterit. Ita in Auisamentis Moguntinis quoque 1426. praeter eam a Benedicto XII. editam, alia praeterea Iohannis XXII. constitutio, quae incipit *exsecrabilis* adducta est. Hac enim uero ratione contigit, ut hae bullae, quae *extrauagantes* dicuntur, postquam frequentius in iudiciis adferri coeperunt, inde etiam sensim sine sensu ipsi iuris corpori accederent, & ad eam, qua nunc pollent, auctoritatem eueherentur.

Totum denique iuris canonici complexum, prout hodie conspicitur, olim Maximilianus I. in ordinatione cameraali 1495. prae oculis habuisse, non sine ratione dicendus est, cum saepius ibidem *des Reiches gemeine Rechte* occurrant. \*\*\* Qua prorsus compellatione in Recessu Vormatiensi 1521. corpus iuris canonici designari credimus,

) ( 3

dum

\* Ap. GOLDAST. constit. Imp. T. III. p. 409.

\*\* Ibid. T. IV. class. I. p. 151.

\*\*\* Rec. Imp. T. II. p. 123.

pum Camerae adfessoribus *iura Imperii communia* commendantur, eo magis quidem, quo luculentius illud ex Recessu Imperii Spirensi de anno 1529. deduci potest, ubi haec verba notatu dignissima deprehendimus, *wiewohl in gemeinen Rechten geordnet vnd versehen ( iur. can. de apostat. & reit. baptisin. ) das keine sich zum zweitemahl tauffen lasse, und fürnemlich in Kaiserlichen Gesäzen solches zu beschehen bey Straff des tods verboten. ( Cod. ne sanc. bapt. reit. )* In quo quemadmodum, & aliis imperii legibus de contractu foenebri agentibus Reform. polit. August. 1530. tit. 26. n. 7. & de anno 1548. tit. 17. §. 7. in Recessu Spirensi 1570. §. 83. Reform. polit. Francofurt. 1577. tit. 17. n. 8. & nouissimo Imp. Rec. 1654. §. 105. *femper iuris communis nomine ius canonicum* comprehendendi certum est, vt adeo plenissime his omnibus suffragetur Ordinatio Consilii Imperialis Aulici T. 7. §. 24. ubi: *So sollen auch vnfre Kais. Wahl-Capitulation — das Corpus iuris Ciuilis, & Canonici vnd der Stände Priuilegia auf der Reichs-Hofraths Tafel, damit man sich deren in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne, stets vorhanden seyn.*

Inde quoque non mediocri corpori *iuris canonici* gratia accessit, quod auctore GREGORIO XIII. summo Pontifice typis vulgatum, eiusque iussu a viris doctissimis emendatum in lucem prodierit. Quum enim hac ratione quam facillime omnibus innotuerit, & vbique recudendum daretur, non potuit non in illis Europae partibus, quae Romanis sacris addictae sunt, *iuris communis praerogatiuam* consequi, eamque auctoritatem, qua nunc illud vbique pollere conspicitur.

Neque tamen dicendum est, *ius canonicum* apud solos orthodoxae fidei addictos in Germania obtinuisse, quum

quum illud ipsum de Protestantibus quoque, vt alios ta-  
ceamus, EYBENIVS potissimum & BOEHMERVS  
peculiaribus dissertationibus ostenderint. Nobis recentis-  
simi cuiusdam CHRIST. SELCHOWII \* verba suffi-  
ciant: *Quamquam Lutherus de proscribendo e foris Ger-  
maniae iure canonico cogitauerit, irrita tamen ejus fuerunt  
consilia neque vnquam vel ipsi Protestantes illud possessionis  
gratia deiecerunt, multa in eo praeclare disposita esse in el-  
ligentes, quae retinenda omnino fuerunt, & quae ignorabat  
Lutherus, adfectui suo in rebus, quas non intelligebat, nimi-  
um, & parum prudenter indulgens &c.* Apud Reformatos  
denique pari ratione ius canonicum receptum fuisse lucu-  
lenter MATHIAS STEPHANI, \*\* GERH. FELT-  
MANNVS \*\*\* aliique confirmant.

Illud adhuc superesse videtur, vt paucis quantum  
per arctos praefationis limites licebit, quid de Austria  
nostra, & vicino Hungariae regno sentiendum sit, expona-  
mus. Exploratum est an. 1365. a Rudolpho IV. archiduce  
consentiente Urbano V. summo pontifice Vindobonae stu-  
dium generale erectum fuisse, tam in iuris canonici (ver-  
ba sunt bullae pontificae Avenione XIII. Cal. Iul. datae) &  
ciuilis, quam in alia qualibet licita, praeterquam theologi-  
ca facultate. Academiam vero nostram eo iam tempore  
insignes in vtroque iure viros protulisse vel exinde colligi-  
tur, quod Urbanus VI. petitioni Alberti 1384. annuens  
theologicam quoque facultatem institui consenserit, & eam  
praecipue laudauerit, quod *retroactis temporibus multi exi-  
mii eisdem facultatibus viri inde prodierunt & prodeunt coti-  
die*

\* Elem. hist. iur. vniu. P. VI. sect. II. §. 419.

\*\* In tractat. de iurisd. lib. III. praef.

\*\*\* De tit. honor. lib. II. cap. 21.

die ad magnum decus & praesidium vniuersalis ecclesiae & reipublicae. Hinc est quod in historia academiae nostrae 389. laudatus reperitur: *M. Henricus de Odendorff V. I. D. & D. Ioannes Reutter Licentiatus in decretis, Ioannes de Venetiis insignis Ictus & professor ordinarius, 1404. Bertholdus Wechingcr (in nostra vniuersitate olim doctor creatus) Salisburgensis archiepiscopus, 1400. Paulus Deckinger Artium M. Canonum, iurisque Pontificii peritissimus & 1457. Nicolaus de Lüzelburg in Vniuersitate Decretorum Doctor.* \* Et sic porro. Cum itaque princeps non frustra, sed in vsum & vtilitatem boni publici doctrinam quandam in academiis proponendam iubeat, fatendum erit, ab eo etiam tempore in Austria ius canonicum publice praeceptum fuisse. Quemadmodum vero id sine praediuicio, vt iurisconsulti docent, veterum consuetudinum, statutorumque fieri debet, nisi populus expresse moribus suis renunciauerit, ita re vera varia in Austria reperiuntur capita, quibus contra principia iuris canonici hodie dum vigor est.

Ita nimirum decimae \*\* ad secularem plane causam redactae sunt, earumque laici capaces habentur. In iure patronatus, ius quod appellatur, nominandi, iuri canonico ignotum, insignem ab eo differentiam facit, eiusque causae omnes ad iudicem secularem pertinent, nempe ad excelsum Regimen Austriae. \* \* \* \* In iure asyli Archidux pro exigentia temporum & circumstantiarum statuit, prout iam Albertus an. 1382. cauit, \*\*\* ne vllus tempore nundinarum Viennensium in quacunque ecclesia, aut domo asylo gaudeat, quod Ferdinandus I. confirma-

\* v. Consp. Hist. vniuers. Vien. P. I. p. 47. 60. 75. 85. 87.

\*\* Tr. de iur. incorp. tit. 6. §. 1.

\* \* \* Cod. Aust. P. II. p. 475. v. Wienstadt.

\* \* \* \* Ibid. tit. 1. §. 9. & 25.

firmavit, nostra vero Augustissima hodieque feliciter imperans in resolutione nouissima de 1752. 30. Aug. ab aly-  
li cuiuscunque priuilegio exemit decoctores bonorum, militiae desertores, & defraudantes telonia. Ad haec ex iure publico vniuersali clerici tam onera realia, quam personalia perferunt, atque *actiue & passiuè*, vt loquuntur, in ciuilibus, fiscalibus, & publicis causis supremo Regimini subiiciuntur; appellationes a consistoriis in materia profana ad excelsum Regimen deferuntur, prouocationes ad sedem Apostolicam inhibentur; sponsalia clandestina cum minoribus contracta ab eodem Regimine diiudicantur, idemque se in inquisitione haereticorum, magiae, & aliorum praeteriri non patitur, de quibus omnibus proxime agemus diffusius.

Similia fere de nobilissimo Hungariae regno dicenda sunt. Quamquam enim ius patriae ex legibus ciuilibus, canonum decretis, & glossatoribus coagmentatum esse ipsi eorum fateantur auctores, ipsumque ius canonicum esse apud ipsos subsidiarium, \* sunt tamen praecipua quaedam capita iuri canonum omnino opposita, quibus natio Hungarica semper tenacissime inhaesit, neque latum vnguem vt recederet, permoueri vnquam potuit, quorum pauca adduxisse exempla iuuabit.

Illud inprimis insigne est ius, quod reges Hungariae ex antiquis canonibus retinuerunt, \*\* videlicet quod archiepiscopi & episcopi nominentur, & eligantur a rege, vel iis, quibus regiae vices commissae sunt, & a pontifice solum confirmantur. Abbates vero, praepositi, & praelatineque papali adprobatione indigent. \*\*\* Idem rex deponit, &  
trans-

\* WERBÖCZ Oper. tripart. P. II. tit. 6. SZEGEDY P. I. tit. 9. §. 11.

\*\* c. 25. dist. 63.

\*\*\* c. 4. X. de postulat. PET. DE REVA de Monarch. R. H. cent. V. FLORENS Opp. T. I. p. 151. 154. edit. Paris.

) ( ) ( ) (

trans-

transfert episcopos pro auctoritate sua, neque ius regaliae tantum post mortem eorum exercet, sed & in mobilia episcoporum ab intestato decedentium ius habet. \* Pluribus haec omnia, & maxima certo cum eruditione pertractaturus est V. C. KOLLARIUS in promissa sua historia diplomatica iuris patronatus regi apostolico competentis. Denique omnes ecclesiastici homagium regi praestant aequae, ac seculares, & bonorum temporalium ratione habita coram iudice seculari forum sortiuntur \*\*, & euocationes ad curiam Romanam sub beneficii amissione prohibentur. \*\*\*

Te modo paucis adhuc volo lector beneuole! tum vero licet finem scribendi faciamus. Quin integrum, totumque INNOCENTII CIRONII in libros decretalium commentarium expectaueris, nullus dubito: id tamen velim tibi plane persuadeas, hanc omnem non meam, sed temporis culpam esse. Quum enim angustiae spatii, quod ad mandandum typis tam praeclarum opus aliorum voluntate praestitutum est, tantae sint, vt intelligerem, neque typographorum industriam quantumlibet maximam tanto operi suffecturam, neque data, quae potest, summa opera id a me tantillo tempore praestari posse, vt sine mendis ad manus tuas perueniret, facile me veniam abs te impetraturum, non speraui tantum, sed etiam confidi, si reliquos duos libros in aliud tempus in lucem emittendos transferrem, quos te, si Diis placet, non diu desideraturum puto. Vale, & meam de studio iuris canonici bene merendi voluntatem boni consule. Dabam Vindobonae IIX. Iduum Aprilis MDCCLXI.

\* FLORENS p. 161. 165.

\*\* Decret. Comit. an. 1647. art. 16.

\*\*\* SZEGEDY tyrocin. P. I. tit. 12. §. 2.



INNOCENTII CIRONII  
DEDICATIO.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO  
DOMINO

D. CAROLO DE MONTCHAL,  
ARCHIEPISCOPO TOLOSANO  
INNOCENTIVS DE CIRON

FELICITATEM.



*H*abes, PRAESVL ILLVSTRISSIME laborum meorum  
fructum, quorum tu impensius rationem exegisti:  
serius quidem, quam par fuit, si debitum, ocyus, si rei pre-  
tium expenderis. Solent foeneratores obaeratorum moras vsuris  
amplioribus plectere: cessabit in me ratio ista, quo enim magis  
diem subtraxi, eo minus reum me profiteri audeo. Nec enim  
unquam mentem meam & animum ambitionis & gloriae oestrum  
impulit, cum post illustres, & praestantes viros, qui iuri pontifi-  
cio manum admouerunt, meam addere superuacaneum existimarim.  
Quid ergo, vanum, imo ridiculum, dicta iam, excussa, discussaque de-  
cantare? hoc facile mihi persuasum, nisi hisce impedimentis tua fuif-  
sent praecepta anteponenda, & vinci obsequio satius, quam silen-  
tii pertinacia vincere. Nihil est PRAESVL ILLVSTRISSIME, quod

A

tuae

tuae censurae non debeam; partum hunc tenellum, mutantem pene & collabantem ὡς τὸ ἀμβλωθεῖδιον offero.

Qui enim fieri potuit, ut hunc anniculum tibi denegem, qui mihi faecundissimum tuae sollicitudinis gregem credidisti? Patres vix deformes, & asperos naturae lapsus in filiis agnoscunt, & vitia, quae omnium oculis patent, caeci ignorant. Vix ego hac in parte errarim, qui lubens operis huius leuitatem sentio, & nisi vim tua fecisset autoritas, lubenter a proposito resiluisssem. Accipe igitur, Praesul Illustrissime, hanc meam operam, & parce ingenuitati meae; ita fiet, ut te autore, te patrono omnem culpaе naeuum eluam, & si quid dignum sit tuis oculis & publica utilitate, tuum erit, quod a tua singulari munificencia, consilio, & doctrina, tuaque insigni literaria penu accepi. Tolosae pridie Kalendas Nouembris, Anno clō. lōc. xxxxiv.



INNOCENTII CIRONII  
PRAEFATIO

A D L E C T O R E M.

**I**uris canonici cognitionem adeo exquisitam videmus nostro seculo, vt in omnibus non solum ecclesiasticarum, sed etiam secularium causarum tribunali-  
bus vulgo iactari experiamur; tantamque mixturam agnosci-  
mus, vt crebro quaestiones, & controuersiae ciuiles auctoritatem  
sumant ex pontificum decretis & sacris canonibus, & e conuer-  
so ecclesiasticae vim & robur ex iure ciuili, & principum consti-  
tutionibus capiant, vixque discerni possit, quaenam lites, sa-  
crae an profanae, forum magis impleant. Ex quo enim vul-  
gari coepit ius pontificium, ita radices egit, tantumque profecit  
vna scintilla, vt omnium literatorum, iudicum, & caufidico-  
rum animos incenderit. Sub HONORIO III. primum canones &  
decreta legum vicem subiere, & ab omnibus populis obseruari  
coeperunt. Nam quamuis publice iuuentuti pellegerentur, non  
tamen in iudiciis secularibus admittebantur, praeterquam in Ita-  
lia, & ditionibus ecclesiae Romanae, vt conicere licet ex prima  
constitutione INNOCENTII III. in tertia collectione, & prima con-  
stitutione ipsius Honorii ad Tancredum archidiaconum Bono-  
niensem, quibus eas collectiones publicari, & ab aliis tam in iu-  
diciis, quam in scholis recipi iubent, sicuti de praedecessorum

A 2

fuo-

suorum constitutionibus factum fuerat. Quorum temporibus emerfit grandis doctorum sylua, quae totam Italiam impleuit. Ac postmodum Honorius vltra ditionem ecclesiae ius canonicum obseruari voluit, vt patet ex constitutione sua in *cap. super specula de priuileg.* in quo omnes controuersias, non dicam ecclesiasticas, sed ciuiles sine legum ciuiliu subsidio, a sacris canonibus definiri posse profitetur, iurisque ciuilis legendi facultatem tollit. Quae semina primum iacta facile postea in immensam segetem excreuerunt, & apertum iter GREGORIO IX. ad compilationem decretalium euulgandam fecerunt, quam ita placuisse constat, vt successus temporum nobis demonstrat. De progressu istius iuris quaedam dicemus ad quintam compilationem Honorii III. quam e tenebris & puluere erutam in lucem prodire, breui Deo dante procurabimus. Nunc vero ad propositi mei rationem: paratitla haec, quae priuatae meae exercitationi tantum destinaram, in publicum produco, suafu quorundam, quibus parendum mihi fuit, & quorum memoriam & singularem eruditionem veneror, eo praesertim consilio, vt praeter operam, quam secretiora canonum studia, origo & historia desiderant, demissius etiam agendo, tyronibus & rudibus faciliorem viam aperiam. In hoc autem genere scribendi paucos admodum habemus, vnum quidem, cuius laborem parui fecerunt, qui in huius doctrinae cognitione versati sunt, ANASTASIVM GERMONIVM, post quem prodire paratitla, seu synaxes NICO-

LAI

LAI FREROTI in vniuersum iuris corpus, decretalium, sexti, Clementinarum, & extrauagantium, in quibus multa, ne dicam fere omnia desiderantur. Tum deinde accessit vir doctissimus ALEXANDER CHASSANAEVS, cuius paratitla valde commendanda, sed quae propter breuitatem maioribus incrementis egerunt. Edidit etiam paratitla decretalium ANDREAS VALLENSIS academiae Louaniensis professor, qui quidem huius iuris praxim & vsum accurate perstrinxit. Poteramus hoc beneficium exspectare a summo viro IOANNE COSTA doctore meo, cuius auspiciis multos annos vtriusque iuris studio consumpsi; & si tantus vir ocyus ad hoc negotium se contulisset, quod in postremo aetatis suae cursu inchoauit, omnes alios, qui postea simile tentare voluissent, a multis difficultatibus, & laboribus eruisset: sed, quia primum tantummodo librum, ac partem secundi confecit, animum meum ad opus integrum impulit: cui sane pertinaciter incumbendum mihi fuit, tot enim difficultatum stimulis exagitatus recedere ab arena saepius cogitavi, eo maxime, quod ita ius canonicum ciuili cohaereat, vt vtrumque penitus ignoret, qui vnum tantum se scire contendat. Mare illud magnum & profundum tentare, & inter veterum iurisconsultorum responsa, velut minitantes naufragium scopulos irruere me oportuit. Quam maxime anxium hoc mihi fuerit, antiquo iterum me includere ludo, vix explicem, post tot doctores summi nominis, qui ius Caesareum illustrarunt, CUIACIVM praesertim,

non solum vrbis nostrae Tolosanae sed orbis totius decus & lumen, quem omnes, qui bonarum artium culmen attigerunt, νομοδιδάσκαλον agnouerunt. Nec multo minus in iure pontificio ei tribuendum est, cuius ipse viam ab aliis scriptoribus parum, aut vix tentatam patefecit: vnicus est enim inter Latinos interpretes, qui palmam meruit. Ex Graecorum scholis plures mihi fuerunt adiumento, quorum opera vti mihi persuasum, sed lubentius ad manum habui HARMENOPVLVM, ZONARAM, & BALSAMONEM iuris canonici valde conscios, sed hunc maxime, quem pluris facio, nec in eo me fallit opinio, quam docti omnes probarunt. Addo & MATTHAEVM BLASTAREM manu exaratum, quo saepius vsus sum beneficio illustrissimi nostri ARCHIEPISCOPI TOLOSANI, qui non minus liberaliter hunc, quam plerosque alios ex sua copiosissima & selectissima bibliotheca comiter exhibuit, quem nec tantum hanc opem, sed etiam suae eruditionis copiam mihi fecisse fateor. Nec missum facio doctum virum FLORENTIVM, qui in nostra academia iuri operam dedit, & hoc ius feliciter illustrare pergit. Quanto beneficio deuinctus sim IOANNI SAMBLACATO filere non debeo, sublimis ingenii viro, & quem nihil boni in omni scientiarum genere latet; cui quanto magis veteris amicitiae nexibus adstrictus sum, tanto minus in laudes eius excurrere audeo, ne assentationis potius vitium incurrere, quam officii redditi gratiam solvere videar.


PARA-



PARATITLA  
IN QVINQVE LIBROS  
DECRETALIVM.

LIBER PRIMVS.  
DE  
SVMMA TRINITATE, & FIDE CATHOLICA.  
TITVLVS I.

I.

 GREGORIUS IX. hunc iuris canonici codicem ad exemplum Iustiniani compositum, a nobiliori parte inchoavit, quae fidei, & religionis catholicae summam respicit, & praesertim a tractatu de *summa trinitate*: cum ad postrema usque tempora controuersiae de ea diu exagitatae quodammodo sopitae, nec tamen omnino extinctae fuerint.

II. Trinitatis indiuisa substantia *ὁμοσιία*, iis admodum ingrata fuit, ad quos ARII venenum peruenit. Haec pestis diu grassata tam in oriente, quam in occidente, causa fuit, cur antiquum illum glorificationis hymnum, *gloria patri, & filio, & spiritui sancto*, semper in ecclesia

fia

sua decantari solitum, synodus Nicaena augeri decreuerit hoc versiculo, *sicut erat in principio &c.* quem statim receptum fuisse constat ex Vasionensi, seu Vasensi concilio; vt hoc additamento vetustas, seu traditio ecclesiae demonstraretur. Cuius origo fluxit ex ipsius Domini verbis: *Euntes baptizate in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.* Et in eo fuit obseruantior ipsa occidentalis, quod in fine cuiusque psalmi dictum hymnum subiunxerit; orientalis vero post completos psalmos, & antiphonas, vt scribit CASSIANVS *lib. 1. cap. 8.*

III. Sicut autem trinitatis mysterium semper ab orthodoxa fide agnitum fuit, ita & nomen; non vero effectum Nicaenae synodi temporibus, vel potius post Nicaenam synodum ab episcopis Athanasio, & Eusebio cum aliis multis episcopis Alexandriae congregatis, qui ὁμοούσιον τε τῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τὸ ἅγιον πνεῦμα ὁμολόγησαν, καὶ τριάδα ὠνόμασαν, id est spiritum sanctum patri, & filio consubstantialem confessi sunt, & trinitatem nominarunt, vt scribit SOZOMENVS *lib. 5. cap. 11.* quin potius vsu quodam generali antea receptum fuerat, & vulgo vsurpatum, vt constat ex epistola ALEXANDRI primi (quam nostri saeculi nouatores nullo iure suspectam habent) ex TERTULLIANO *lib. aduersus Praxeam*, CYPRIANO locis pluribus, & IUSTINO martyre, in tractatu περὶ τῆς ἁγίας τριάδος; qui quidem integris seculis synodum ipsam praecesserunt.

IV. Hoc trinitatis vocabulum cum omnino Ariani tollere non possent; nouum figmentum, & ante ipsam synodum inauditum mentiebantur, eadem fraude, qua etiam *consubstantialis* nomen exosum habentes, ὁμοιούσις, id est, *similis substantiae*, substituerunt, vt exploderent consubstantialitatem, in alia Nicaena synodo habita sub Constantio, non in eadem Nicaea ciuitate Bithyniae, sed in Thracia, vt sub ciuitatis eodem nomine ignarum vulgus deciperent.

V. Similiter etiam ex vocabulo ὁμοούσις, dempta vnica syllaba, οὔσις, id est, *substantialis* vocem proferebant, vt scribit D. HILARIUS, *tractatu de synodis*; cum sine dubio ὁμοούσιον ab ecclesia receptum fuerit, vt scribit D. AVGVSTINVS *tractatu in Ioannem: Aduersus impietatem Arianorum*, nomen ὁμοούσιον, patres condiderunt, non rem nouam tali nomine signauerunt. Hoc enim vocatur ὁμοούσιον, quod dicitur, ego, & pater vnus sumus.

VI. Ideo



VI. Ideo autem sacrosanctum trinitatis nomen auersati sunt tot haeretici, quod aut consubstantialitatem non probarent, aut vnitatem cum trinitate pugnare contenderent. Quae lis cum increbuisse, causa fuit INNOCENTIO III. abbatis IOACHIMI libellum condemnandi; cum enim is non amplius vnitatem cum trinitate contendentem asserere auderet, ne in damnatam rursus haeresim incideret, trinitatem nouo commento aggressus est, fatendo quidem vnitatem non veram, & propriam, sed quasi collectitiam, & similitudinariam, & asserendo nullam rem esse, quae sit pater, & filius, & spiritus sanctus, nec esse essentiam, nec substantiam, nec naturam; quamuis patrem, & filium, & spiritum sanctum vnam esse essentiam, vnam substantiam, vnam naturam concederet: & ita arguebat PETRUM LOMBARDUM, qui dicebat vnam quandam rem esse, quae veraciter est pater, & filius, & spiritus sanctus, & sunt tres personae, ideoque trinitatem tantum esse; at ille ex eo quaternitatem inducere Petrum assererat, tres nempe personas, & communem essentiam quasi quartam, quam calumniam INNOCENTIVS III. in cap. 2. concilii Lateran. eluit.

VII. Iste Ioachim similem, non eandem cum PETRI GNAPHEI FVLLONIS episcopi Antiocheni haeresim adstruebat, qui quaternitatem introducere voluit trifagio in omnibus ecclesiis decantari solito: *sanctus DEVS, sanctus fortis, sanctus immortalis*, addens: *qui passus est pro nobis, miserere nobis*: effingebat duos filios, vnum immortalem, alterum mortalem crucifixum, toti trinitati crucem coadunans, & vnam trinitatis substantiam asserens crucifixam. Contra illum tot celebres episcoporum epistolae leguntur: ACACII archiepiscopi Constantinopolitani, PAMPHYLII, ASCLEPIADIS, IVSTINI, & ipsius FELICIS papae III. vt patet ex *epistola ad eundem Petrum*, sententiam depositionis, & condemnationis eius continente; contra hunc etiam concilium CHALCEDONENSE, & CONSTANTINOPOLITANVM II. fuere celebrata.

VIII. Quocunque igitur modo, siue ex Petri Gnaphei, siue ipsius Ioachimi dogmate, trinitatis mysterium, & tota fides catholica, cuius fundamentum est sanctissima trinitas, destruebatur; ideo hic titulus ita conceptus fuit, quia sine trinitate salus esse non potest, imo trinitas est ipsa salus, ipsa fides; & hoc nomen salus trinitatem designare notat D. AVGVST. in *expositione epistolae ad Romanos*: ait enim lingua Punica significari tria,

B

&amp;

& Hebraei salutem vocant *salom*, vt scribit D. HIERONYMVS *cap. 10. in Matthaeum*; quae ratio maxima fuit, cur in colloctionibus, & epistolis familiaribus salus semper solet apponi inter Christianos, quasi praecipuum eo tempore verae fidei, & Christianae religionis argumentum, quo catholici ab haereticis discernerentur. Et ob id etiam synodus NICAENA decreuit, vt *formatae literae tribus elementis Graecis, patrem, filium, & spiritum sanctum designantibus signarentur*, vt IVO CARNOTENSIS scribit *libro de causis clericorum*.

IX. Est porro aduertenda Ioachimi fraus, qui quidem se se trinitatis fidei inhaerere effingens hanc quaternitatem ex Petri Lombardi doctrina effluxisse mentiebatur. Ideo ea quaestio mota sub ALEXANDRO III. mansit indefinita vsque ad INNOCENTIVM III. vt scribit MATHAEVS PARIS. *in Henrico II.* qui addit abbatem non proprio motu litem hanc excitasse, sed suafu Alexandri III. cui falso persuasum fuerat, Petrum contra veram Christi humanitatem docere: quae causa fuit, cur archiepiscopo Senonensi synodum Lutetiae conuocare praeceperit, sed postmodum cognita calumnia Petro illata, & detectis Ioachimi erroribus, Innocentius III. Lateranense concilium conuocauit, in quo non ipse abbas, sed ipfius libellus haeresis damnatus fuit; quem quia ecclesiae iudicio submitit, haereticus dictus non fuit; illi siquidem haeretici non censentur, qui sententiam suam pertinaciter non tuentur, sed censurae subiiciunt, *can. dixit apostolus. 24. q. 3.* E contrario quilibet pravae opinionis assertor, licet ab ecclesia non recedat, haereticus censetur, *can. haeresis ead.*

X. Fuit hic abbas vir alioquin clarus, qui monasterium Florense instituit, magni & acuti ingenii, qui etiam diuinandi laudem non minimam consecutus est, quasdam enim praestigias edidit, quae *prophetiae* vulgo vocantur; *commentaria* etiam in quosdam sacrae scripturae libros, quibus vaticinia miscuit, vt XISTVS SENENSIS in *sua bibliotheca* refert.

XI. Non ea vero mens fuit Innocentii III. vt ad hunc libellum confutandum tam solenne concilium indiceret, sed propter multas alias haereses, inter quas fuere errores ALMARICI: ille Albigenfium sectae adhaesit, vt videre licet in articulis ab eo propositis, quos refert CAESARIUS *dialogo 5. cap. 2.* inter quos fuit ille impius, non aliter Christi corpus esse in pane altaris, quam in alio, & qualibet alia re; quae fuit assertio Albigenfium, vt patet ex dicto concilio Lateranensi.

XII.

XII. Fuit hic Almaricus Carnotensis territorii, qui aegre ferens dogmata sua improbari morbo occubuit, ac post aliquot annos edita constitutione Lateranensis concilii, ossa eius exhumata, & combusta fuerunt publice, cum suis sequacibus adhuc superstites Lutetiae, iussu Philippi Augusti Franciae regis, vt historici narrant. Hunc autem titulum (de quo actum est) Innocentius quartae compilationi iussit praefigi, cum in tribus prioribus desideraretur.

TITVLVS II.  
DE  
CONSTITVTIONIBVS.

I. **V**t in libris iuris ciuilis, ita & in his post ea, quae sunt iuris sacri de *constitutionibus & rescriptis* agitur. Eo nomine comprehenduntur in primis canones sanctorum apostolorum, secundum numerum praescriptum in *can. 1. 2. 3. 4. dist. 16.* & conciliorum generalium, de quibus *dist. 17.* synodorum prouincialium, & priuatarum, *dist. 18.* epistolae quoque decretales, *dist. 19. & 20.* tum decreta, mandata, interlocutiones, sanctiones pragmatica, rescriptae, priuilegia; quibus plena, & integra fides, & authoritas constare debet, maxime supra leges ciuiles; edicta & constitutiones secularium principum, quae in causis ecclesiasticis neminem adstringere debent; *can. bene. dist. 96.* nisi quatenus consentiunt canonibus ecclesiasticis, & sacris scripturis. *can. non licet, & seqq. dist. 10.*

II. Quod si veram constitutionis significationem spectemus, & iuris ciuilis vestigia sequamur, similiter hoc iure dicemus eam esse, quam summus pontifex edidit proprio motu, & spontanea voluntate *ἐξ ἀπειρίας φύσεως* vt loquitur THEOPHILVS *ad titulum de iure naturali apud Iustinianum:* vel ad preces & suggestionem aliquorum, vel ob negotia, *l. leges. C. de legibus. l. 1. ff. eod.* & in eo tantum distabit canon, quod sit lex quaedam primitus a Domino, vel apostolis edita, vel in conciliis promulgata: constitutio vero ex emergentibus causis, & necessitatibus originem sumpserit, *cap. canonica. infra. de sent. excom.* sicut apud iurisconsultos lex & constitutio: vtraque tamen eandem plane vim habet, & auctoritatem, siue eam per epistolam pontifex statuerit, *can. in*

*canonicis dist. 19.* siue per annotationem, siue alio quouis modo, dummodo constitutio sit generalis, & in formam edicti transferit.

III. Edicta sunt leges publicae, quae per omnes populos, & prouincias iudicum programmatibus diuulgantur, & licet ortum ex priuatorum causis sumpserint, tamen *similium causarum facta componunt*, vt loquitur *d. l. leges*. Ex quibus omnibus conflati fuerunt varii codices, tum iussu THEODOSII, cum IVSTINIANI imperatorum; sic etiam CODEX ille *canonum ecclesiae vniuersae* olim in concilio Chalcedonensi probatus fuit, & a Iustiniano confirmatus *non. 131.*, qua statuit *τάξιιν νόμιμον ἐπέχειν τὰς ἀγίας ἐκκλησιαστικὰς κανόνας* vicem legum habere.

IV. Hi canones sumpti fuerunt ex diuersis conciliis, quae quidem concilia eos hauserant ex sanctorum patrum scriptis, & sacras regulas vocitabant; quibus postea summorum pontificum constitutiones accesserunt; inter quas differentia adhibenda est, quod aliae sint *generales*, aliae *priuae*.

V. *Generales* ita dignoscuntur, tum quod scriptae sint, *can. 3. dist. 1.* tum quod omnes omnino comprehendant, neminem excipiant, atque in corpus iuris sint relatae *cap. 1. b. t.* nec ad priuatos separatim pertineant, ex definitione Atteii Capitonis apud GELLIVM *cap. 2. lib. 10.* quamuis pro aliquo priuatim negotio editae fuerint, dummodo conditoris mens fuerit eas generales facere *l. 12. C. eod.* quae mens sine dubio concipitur ex eo, quod priuatas illas constitutiones in corpus iuris transferri voluerit: nec interest, quo motu pontifices eas promulgarunt, sponte, an rogati, precibus, relatione, suggestionem, vel lite mota, vt de principum constitutionibus definitur in *d. l. leges*.

VI. A generalibus canonibus, vel constitutionibus distinguuntur *priua*ta decreta, siue personalia, siue realia; quae tunc demum vim, & robur habere possunt, si a summo pontifice fuerint approbata, vel confirmata, etsi contra ius commune, *cap. cum accessissent. b. t.* similiter etiam valent ea, quae in synodis prouincialibus, & conuentibus vnius cuiusque dioecesis peculiariter conficiuntur, licet a summo pontifice non approbentur; quia quae decreuit synodus prouinciae, rata habentur, dummodo ad priuatam eius vtilitatem pertineant, non vero ad ecclesiae vniuersalis detrimentum; quae tunc confirmari censentur eo ipso, quod iure stabilita sunt a synodis iure congregatis, quas bis in anno fieri mandat concilium Tridentinum: vt in his tria potissimum conficiantur;  
de-

delicta scilicet, & crimina puniantur, mores ad optimam disciplinam redigantur, lites & controuersiae dirimantur.

VII. Non idem dicendum de statutis, siue institutis (vt elegantius loquitur *l. 1. C. quae sit longa consuetudo*) vnicuique ecclesiae propriis; quae non possunt sustineri nisi synodi prouincialis, vel dioecesanae, vel summi pontificis auctoritate fulciantur, *cap. quoniam. infra. de vita & honest. cleric. sine vlla falsi suggestione cap. ex parte. b. t.*

VIII. Multo minus valebunt ea, quae a laicis fiunt, *cap. quae in ecclesiarum. b. t.* etiam si ecclesiae vtilitatem respiciant, *cap. ecclesia. eod.* quia de rebus spiritualibus disponendi facultatem non habent: nisi initio constitutionis & donatiui id fuerit reseruatum iure patronatus, & foundationis: quia tunc licuit olim, & adhuc licet, statuta quaedam edere, dummodo contraria non sint legibus & canonibus: vt de iis, qui seipfos praefectos & ephoros τὰς ἡγούμενους sine episcopi confirmatione constituunt, in *can. 1. synodi Constantinop. I. & II.* vbi BALSAMON laudat constitutionem imperatoris, qua patroni statuta edere possunt, vt pro suo arbitratu bona administrantur; dum tamen nihil contra leges & canones agant.

IX. Quin etiam saepius eis beneficiorum collatio denegata fuit. Vnde INNOCENTIUS III. *epistola CXIV. lib. III. Regest. XV.* negat collationem praebendarum *Matbildi* comitissae Flandriae, quam ipsa sibi reseruauerat, & suis successoribus in fundatione cuiusdam ecclesiae in loco dotalitii sui, *Nepa* nuncupati. Idem de aliis ecclesiarum patronis statuitur, atque etiam de vniuersitatibus, quae statuta condere non possunt inconsulto summo pontifice, vel episcopo, *cap. ex literis. hoc tit.* quia mixtae sunt, auctoritate pontificia simul & regia constitutae, vt haec nostra Tolosana; ideo Parisiensis conseruatorem suum & iudicem apostolicum & regium nominat, quod confirmatur argumento sumpto ex *cap. super specula. infra de priuilegiis.*

X. Oportet autem ea statuta esse iuri conformia, vt vel defectum suppleant, vel ius iam certum confirment; quae tamen non ideo minus sunt necessaria, nec frustra edita censenda sunt, quod ius receptum contineant; quia, vt glossae annotant, duplici modo peccantes cogi possunt, iure communi, & vigore statuti.

XI. Alia sunt statuta, quae vocantur constitutiones, quae non ab ipsis vniuersitatibus & collegiis factae sunt, sed a summis pontificibus in-

dultae: quales sunt, quae quibusuis corporibus, ciuitatibus, aut curiis dari dicuntur in *l. 2. C. eod.* Hae proprie *pragmaticae sanctiones* vocantur *l. ult. C. de diuersis rescript.* ad differentiam *rescriptorum* quae priuatis dantur, *l. 1. C. eod.* & de plano ex mera & vnica summi pontificis voluntate in consistorio sacrorum procerum, & synodis proficiscuntur; ideoque *pragmatica sacra* vocantur, *can. ult. dist. 101.* desumpto ex canone *12. concilii Chalcedonensis*, ad quem ZONARAS, ea *πρωσαγματων έγγραφων* id est, *edictorum* nomine nuncupat, & *can. 38. synodi VI. τες πολιτικες και δημοσιες τυπες*, id est, *ciuiles ac publicos typos.*

XII. Quamuis autem ex priuatorum causis ortum habeant, quia tamen in publicam causam, & vtilitatem conuertuntur, puta collegiorum, vniuersitatum, prouinciarum, *pragmaticae* appellantur *d. l. ult.* quo fit, vt publici iuris sint constitutiones, & ab omnibus agnosci vt tales debeant, licet non omnes tangant.

XIII. Similiter edicta quae a principibus feruntur, constitutiones & *pragmaticae sanctiones* promiscue appellantur, & ad idem saepius referuntur: siquidem imperatores non semper iisdem verbis loquuntur, licet eadem mente; vt cum dicunt, *generali lege sancimus*; alias *bac edictali lege*, quibus verbis leges, edicta, *sanctiones pragmaticae*, *rescripta*, constitutiones designantur, *l. 4. C. de domesticis & protectorib. lib. 12. lege pragmatica constituendum credidimus.* Id manifestum est in *cap. 64. lib. 1. legum Sicularum*, vbi rex GVILHELMVS, primo ita loquitur: *bac edictali lege sancimus*: & mox addit, *praesentis pragmaticae sanctionis edictum.*

XIV. Idem plane dicendum de *rescriptis* & constitutionibus pontificum, quae vel epistolas, vel decreta, vel *rescripta*, vel *pragmaticas* appellamus: sic *l. 10. C. de sacrosanct. eccles.* mentionem facit coelestis oraculi, annotationis, & diuinae *pragmaticae sanctionis*, loquens de constitutione patriarchae Constantinopolitani: & in hoc nostro titulo cum agitur de negotiis vniuersitatum, & capitulorum, respondet summus pontifex eorum precibus, & definit controuersias in *cap. cum omnes, & c. cum accessissent, hoc tit.* Quae constitutiones nihil aliud sunt, quam *pragmaticae sanctiones*, *cap. 1. de rerum permut.* iuxta definitionem *d. l. vltimae*: & hoc singulare habent, vt quamuis ad preces alicuius curiae vel collegii fiant, tamen preces non continent, sicut priuata *rescripta*, vt refert D. AVGVST. in *collatione tertii diei cum Donatistis.*

XV.

XV. Hae autem pragmaticae sanctiones, edicta, constitutiones, & similia, vel propria manu, siue annotatione principis subscribebantur, vel sacro encauto, vel sigillo insigniebantur, vt ex innumeris locis in *codice Theodosiano* patet, & ex *l. 2. C. ex quib. munerib. lib. 10. d. l. 6. C. de diuersis rescript.*

XVI. Annotatio fiebat per subscriptionem cum syngrapha breui relatione rei gestae, non vero nuda nominis appositione, *cap. 6. infra de fide instrum. Nouella 126. cap. 6.* Quo pertinere videtur subscriptio summi pontificis vulgo apponi solita, *fiat, vt petitur*; aliquando vero cum rei gestae narratione, siue annotatione adhibebatur sacrum encautum, vel sigillum, *l. 4. C. Theod. de extraordinariis criminibus*, id est sacro oraculo, seu praecepto manu principis conscripto: LVITPRANDVS in legatione: *sanctissimus dominus*, sic corrigendus Luitprandus, *ἐνετειλε, praeceptum constituit, quod & sigillo suo signauit.*

XVII. Et ita differentia adhibebatur inter annotationem siue subscriptionem, & signum seu sigillum; nam signare, & subscribere maxime differre docemus in *nostris observationibus*, in quibus & de diuersis bullarum modis agimus, quando aureae, argenteae, plumbeae, vel cereae erant; quae tamen omnes saepius aureae dicebantur, etsi nullo auro illustrarentur; sicuti etiam sacra oracula dicebantur, & variis etiam nominibus, prout res postulabat, donabantur, quod summum auxilium adferrent, & e sacro principis ore proficiscerentur.

XVIII. Non absimili ratione constitutiones summorum pontificum, licet vulgo sint plumbeae, dici debent aureae bullae, cum per eas loquatur spiritus sanctus, & quae ab illis fiunt, ab ipsius diui Petri ore pronuntiata existimentur; *can. sic omnes. dist. 19. Christus enim rex regum, & dominus dominantium illis in persona Petri potestatis plenitudinem concessit, vt ait Clementina 2. in fine de sententia & re iudicata.*

### TITVLVS III. DE RESCRIPTIS.

I. **D**e rescriptis est hic titulus, & merito praecedenti subiungitur; nam rescripta & mandata sunt species constitutionum. Con-  
stituti-

stitutio, sicut lex, sui natura ius publicum facit, rescriptum quoque, nisi sit priuatum, veluti responsio ad singulares preces & libellos. *l. 1. C. de precibus imperat. off. l. 1. ff. de appellat.* & licet ad vnius instantiam petitio facta sit, quia tamen voluit summus pontifex, vel princeps, ius commune facit, & proprie definit esse rescriptum, vt constitutionis dignitatem assumat; ideo iure optimo omnia rescripta, licet personalia, quoties de iure quicquam definiunt, generalia sunt, *cap. 8. 9. & cap. pastoralis hoc tit.*

II. In *capite, causam 18. eod.* quaeritur, quomodo haec clausula, *quantum de iure poteritis*, sit accipienda; papa respondet de iure communi, prout definitum est in conciliis generalibus, vel patrum decretis, *cap. ex parte. 33. cap. ab excommunicato. 41. hoc tit.* vel si ipse de nouo definiat, quia *ius commune habet in scrinio pectoris*, *cap. vlt. prout Dominus nobis ministravit consultationibus respondere cogimur singulorum*, ait ALEX. III. in *cap. 1. hoc tit. in prima compilatione.*

III. Nec enim quicquam in literis & rescriptis Deo contrarium, & sacris canonibus inimicum emittere solet, *cap. 4. hoc tit. in 2. compilat.* vt cum papa mandat alicui de beneficio aliquo prouideri, subintellegitur, si dignus existat, *cap. 7. hoc tit.* & hoc rescriptum proprie vocatur mandatum, licet & mandatum dici possit de quocunque alio negotio; vt in iure ciuili quoties mandatur cognitio seu iurisdictio, *l. 4. ff. de officio eius, cui mandat. l. 6. de offic. proconsulis*: sumitur & pro quocunque onere, quod alicui iniungitur, vt in *cap. 1. de procurat.*

IV. Denique mandatum, parum, aut nihil differt a rescripto: *mandatum & rescriptum dicuntur literae principis. l. 5. §. 1. de censib.* & passim hoc iure, epistolae, edicta, praecepta, iussiones, imo & sigilla synecdochice pro literis sigillatis in *legibus Longobard. lib. 2. tit. 55. cap. 2. & Boiorum cap. 14.* & alibi passim; quia literis & rescriptis frequenter sigillum, seu bulla papae apponitur, *cap. licet, & seq. infra, de crimine falsi, cap. nuper. infra. de fide instrum.*

V. Saepe annotatio vel subscriptio propria ipsius manu adhibetur, vel officialium cancellariae Rom. eodem fere pacto, quo imperatores rescripta sua propria manu, vel quaestoris firmata, aut sigillo seu bulla aurea emittebant, vt superiori titulo diximus.



VI. Quae quidem maiorem auctoritatem quam simplicia habent; erant simplicia sine sigillo, aut annotatione principis vel quaestoris, eo scilicet infcio, quae magistri scriniorum, aut memoriales dabant, vt nominatim scribit VALENTINIANVS, *novella de homicidio*, cuius verba clare arguunt ipsum CUIACIVM, qui ad *l. fin. C. de petitionib. bonorum sub. lib. 10.* scribit simplicia esse, quae subnotata a quaestore solo, vel magistro scriniorum edebantur; nam e contrario conqueritur imperator, quod rescripta illa simplicia quaestore infcio darentur; *cum rescripta*, inquit, *huiusmodi etiam viro illustri quaestore nesciente procedant.* Vnde factis patet quaestoris rescripta non fuisse simplicia; quia propter assiduas principum occupationes ad eorum aures vota supplicantium non perueniebant, sed totum iustitiae pondus penes quaestorem erat, vt liquet ex *d. novella*, quo fiebat, vt eo etiam inconsulto magister scriniorum, & memorialis (qui scriniarii in *cap. ad audientiam. infra, de praescriptionib.* dicuntur) ad libellos responderent; quod Valentinianus in causis grauibus, veluti homicidiis, aegre tulit; & hoc est, quod innuit *d. l. ult.* Vel cum aeternae memoriae aliquid mandare vellent, tunc id ad principem vel quaestorem referebant, vt in CHRONICO ENGOLISMENSI fauore ecclesiae fieri dicitur: *quod praeceptum*, inquit, *Bartholomaeus cancellarius eius scripsit, & ipse dominus rex Carolus manu sua, & de annulo firmavit.*

VII. Talia igitur rescripta licet priuata, ius publicum faciunt, & generalia non immerito dicimus, cum distinguimus ab iis, quae mere personalia sunt; quae quidem canonis aut constitutionis robur non habent, licet in corpore iuris inserta; quia non ea fuit summi pontificis mens, nec quaestio proposita tam ius, quam factum respicit; ita sunt rescripta gratiae, & mandata de prouidendo, *cap. constitutus. cap. mandatum. hoc tit.* & priuilegia, de quibus infra.

VIII. Inde emergit vulgaris rescriptorum diuisio, vt alia sint *iusta* siue *iustitiae*, alia *personalia* siue *gratiae*, *cap. gratiae. hoc tit. in 6.* haec ex mera summi pontificis liberalitate & beneficio, illa ex iuris ordine procedunt; haec annalia, illa perpetua, iure ciuili, *l. 2. C. hoc tit.* & in heredes transeunt, *l. 2. & ult. C. Theod. eod.*

IX. Iure vero nostro annalia, *cap. ex parte, & cap. plerumque hoc tit.* si intelligantur secundum communem interpretum sententiam; quum re vera ex his non colligatur mentem pontificum fuisse ea efficere anna-

C

lia,

lia, nisi eo casu, quo antequam primum rescriptum praesentatum fuerit, aliud fuerit impetratum; nam si tunc annus excesserit, primum inutile est: inde tamen effectum est, & moribus receptum, vt omnia rescripta iustitiae fuerint annalia, condempto hac in parte iuris ciuilibus ordine; & cum hoc temperamento, vt annus computetur a die, quo quis dolo, vel negligentia non utitur.

X. Personalia vero rescripta perpetua esse vulgo existimantur, ex *cap. decet. de reg. iuris in 6.* licet iure ciuili annalia, aut saltem temporalia dicantur, *arg. l. 2. C. hoc tit.* in qua CLAUDIVS imperator respondet, *ea, quae ad ius referuntur, esse perpetua*, quasi dicat reliqua esse temporaria: quia imperatores olim beneficia personalia initio sui imperii confirmare, vel extinguere solitos fuisse certum est, *l. 6. ff. de excusat. tuto. & l. 14. C. Theod. de paganis.* Id constat ex Suetonio, Plinio, & aliis; tum etiam, quia ad heredes non transeunt, *l. priuilegia. de reg. iur.* tum, quia diem & consulem requirunt, nec aliter valent, *l. 4. C. eod.* quod ideo requiritur, vt tempus computari possit, intra quod insinuanda, & alleganda sunt, *d. l. 2.*

XI. Quae omnia coniecturam faciunt personalia esse temporalia, licet non dilucide constet: nam & difficile id probari posset, siue hoc iure, siue ciuili. Et in eo contendunt omnes iuris consulti, & se se confundunt miscentes tempora, quibus dantur rescripta, cum iis, quae ad insinuationem & allegationem requiruntur; quae tamen valde sunt distinguenda.

XII. Tempora vero, quibus durant rescripta iustitiae, licet non exhibita procul dubio perennia sunt, & ideo transeunt in heredes, *d. l. 2. & vlt. C. Theod. hoc tit.* hoc iure annalia sunt, *d. cap. plerumque.* Personalialia intra quod tempus sint insinuanda nec vlllo iure definitur, nisi ex supradicta coniectura. Exhibita perpetua esse dicendum est, ex *d. cap. decet*, scilicet ea, quae post litem contestatam annum euaserunt, quae vsque ad triennium durant. *l. properandum. C. de iudiciis*: nisi dolo malo factum esset, vt triennium efflueret, sic enim debet intelligi *caput venerabilis. infra, de iudiciis.*

XIII. Sed cur potius personalia rescripta aliquo tempore concludi meruerint, ratio est, quia odium secum trahunt, & pugnant cum iure  
com-

communi: HARMENOP. *lib. I. tit. I.* ἐπρώθω παράνομος ἀντιγραφὴ βασιλέως: id est, *ratum habeatur, quod praeter leges rescriptum est principis.* Quae causa fuit, cur OPILIVS MACRINVS in animo habuerit omnia rescripta tollere, vt iure, non rescriptis ageretur, apud CAPITOLINVM, quod gratia & fauore saepius concederentur, vt innuit *cap. 4. in 3. compil.*

XIV. Aliam differentiam ponit ius ciuile, inter rescripta iustitiae siue generalia, & gratiae siue personalia; quod illa valeant, etsi neque dies, neque consul fuerit adiectus; haec vero minime; *l. 4. C. eod.* quod ita sumendum est, leges olim & constitutiones generales siue priuatas sine die & consule auctoritatem habuisse, vt testatur D. AVGVST. *collat. diei 3. cum Donatistis*: quod non placuit CONSTANTINO imperatori, qui ius illud abrogauit, & vetuit, ne deinceps sine die & consule proferrentur in *l. 1. C. Theod. de constitutionibus.* HLOTARIVS imper. in *leg. Longobar. tit. 38. in finibus Tusciae, quae sunt absque mense, & die mensis, nullum habeant vigorem.* Quod IVSTINIANVS tamen non probauit; quum enim multas constitutiones, edicta, & rescripta optima, quamuis sine die, & consule in codicem suum referre cuperet, eis plenam auctoritatem nominatim tribuere voluit, *constitutione vnica, de nouo codice faciundo*: ideo TRIBONIANVS, cui per eandem constitutionem eadem colligere, iisque adiicere, imo & eorum verba mutare concesserat, dictae legis primae verba immutauit, & horum verborum loco, *si qua posthac edicta, siue constitutiones,* apposuit, *si qua beneficia personalia,* vt scilicet nouum ius statueret, & rescripta tantum personalia ob diei & consulum defectum expungeret in *l. 4. C. hoc tit.* quam GRATIANVS iuris huius consortem fecit in *can. dicenti. 25. q. 2.*

XV. Sed summi pontifices eam legitimam non agnouerunt; quum moris esset frequentioris in ecclesia neque diem, neque consulem decretis & epistolis adiicere: quae causa fuit, cur in accusatione Caeciliani episcopi Carthaginensis Cirtense concilium falsi argueretur teste eodem D. AVGVST. *dicto loco, cap. 17.* Vnum, inquit, *quia contra ecclesiasticam consuetudinem ipsum Cirtense concilium diem & consulem haberet.* Et adducebatur Nicaenum concilium, in quo cum symbolum fidei scriberetur, nulla temporis nota apposita fuit, quod erat necessarium: nec ideo minus decreta & constitutiones valuisse sine subscriptione, quae ta-

men addita procul dubio fidem augebat, vt factum est in fynodo Romana sub IVLIO I: vnde ATHANASIVS, *lib. de fynodo Ariminensi in negotio paschatis*, diem & consulem adiectos fuisse dicit, licet in dicta Nicaena fynodo omiffos.

XVI. Ex quibus & aliis quam plurimis fynodis, epistolis, & decretis siue fidei, siue alterius cuiuscunque negotii satis constat, certam consuetudinem non fuisse; licet frequentius subscriptio adhiberetur; fidem faciunt primorum pontificum epistolae, & decreta LEONIS M. & omnium quotquot fuerunt vsque ad PELAGIVM, & ad GREGORIVM M. quos primum, reiectis consulum notis, mensem & indictionem adscripsisse videmus; quod tamen alii postea non fecerunt, NICOLAUS nempe I. qui GREGORIVM sequutus est, IOANNES VIII. GREGORIVS VII. ALEXANDER III. INNOCENTIVS III. & ceteri, qui longas & multiplices epistolas decretales ediderunt. Sed & loco indictionis, annus pontificatus poni coepit, vt videre est in epistolis INNOCENTII III. Aliquando nomen imperatoris appositum fuit, sicut fecit ZACHARIAS.

XVII. Vt vt fit, non dubitem diem & annum esse scribendum, quomodo enim fides adhiberetur, & annus, quo durant rescripta, computaretur in *d. cap. plerumque*. Quando rescriptis subscribi coeperit annus Christi, *vid. obseruat. 7. lib. 3.* Est etiam alius defectus, qui nullius momenti rescripta efficit, quoties dolo aut supina negligentia veritas reticetur, *cap. 3. hoc tit.* ideo ANASTASIVS imperator in *l. ult. C. hoc tit.* in omnibus rescriptis & pragmaticis sanctionibus hanc clausulam exprimi voluit, *si preces veritate nitantur, l. interpositas. C. de transact.* quam nostri reges in Gallia obseruant, & in suis libris ac diplomatibus adhibent. Eam tamen omiffam obesse noluit ALEXANDER III. sed subaudiendam esse semper, respondit in *cap. 2. hoc tit.* licet eam crebro apponant summi pontifices, vt in *cap. ex parte; si ita constiterit. hoc tit.* quae verba idem sonant *l. 2. C. de reuocand. donat. cap. constitutus. hoc tit.*

XVIII. Ita fit vt hae clausulae sint generales, & omnia quae proposita in libellis fuerunt, liquido constare velint, vt haec, *si ita esset; cap. olim. cap. dilectus. cap. Rodulphus. cap. significauit. hoc tit.* similiter conditio iuris semper est intelligenda, quae, licet non apposita, seruari debet, qualis est illa; *quantum de iure permittitur, cap. 1. de appellat.*

lat.

lat. in *G. cap. cum adeo. hoc tit. si dignus existeret*, *cap. causam quae. inf. de elect. semper ordo iuris seruandus est, nisi necessitas aliud suadeat, cap. in causis. infra, de sentent. & re iud.* sic etiam iniqua conditio e contrario contemnenda est, & reiicienda, *cap. Quintauallis. de iureiur.*

XIX. Quae omnia sunt admittenda in rescriptis iustitiae, non in mere personalibus, seu *privilegiis*, quae ad alias personas extendi non debent, quam quae nominatim designatae sunt, *cap. cum olim. & cap. 40. de officio iud. deleg.* licet iure ciuili valerent & prodesse heredibus, & in heredes eorum, qui rescripto vti non essent, *l. 2. & vlt. C. Theod. hoc tit.* quia oblatio precum, & responsio principis pro litis contestatione habebatur, *l. dubium. eod. & l. 1. C. quando libellus principi datus.*

XX. At non ita hoc iure, quo lis contestata non praesumitur ex sola rescripti concessione; quod aperte demonstrat ALEXANDER III. in *cap. relatum. infra de offic. & potest. iud.* Qui litem contestatam definit prout ordo iuris expostulat *titulo de litis contestat. si lis fuerit per conquestionem, & responsionem partium contestata*; vt est in integra decretali, in concilio Lateranensi, *parte 7.* quod & in dubium non reuocauit VRBANVS III. in *cap. graue. eod. tit. de offic. iud.* qui citatione facta litem contestatam fore dicit.

XXI. Nec ob stare potest *caput, quia. de iudiciis*, quo rescriptum obtentum contra eum, qui vi deiecit, valere praecipit summus pontifex contra successorem; id enim est ius singulare in odium eius, qui in vitium & malam fidem defuncti successit, qualis est violentus possessor, contra quem interdictum *unde vi*, licet totum personale, hoc iure fit mixtum, rem nempe persequitur, & in successorem transit, *cap. saepe. inf. de restitut. spoliat. cap. 1. de alienat. iudicii mut. cap. aduersus. de immunitat. eccles.*

XXII. Hanc distinctionem pro regula canonica obseruandam esse docet glossa, quam sequitur PANORMITANVS, quemadmodum quoties re-scriptum successorum commodum respicit, vel ratione dignitatis, aut officii, vel quia ecclesiae interest; tunc enim in successorem transit, *cap. dilecti. & cap. significasti. infra, de foro competent.* quae est ratio capituli, *significauit, hoc tit.* in quo pecunia mutuo accepta fuerat ab episcopo pro ecclesiae negotiis, ideo eius heres a creditoribus conueniri non debet.

XXIII. Ex quibus omnibus regula generalis elicienda est, vt semper re integra rescriptum longius non extendatur: *re integra* id est ante citationem factam, vt glossa notat ad *caput, vt debitus. infra, de appellat.* dummodo rescriptum sit de re non *transmissibili*, vt loquuntur interpretes, quae non conueniat heredi, sed defuncto tantum, vt est fori priuilegium, *cap. clericum, & cap. cum sit. de foro. compet.* vt est meritum, vel crimen quod non egreditur personam: similia exempla opportune refert glossa, & Dinus in *cap. is cui. & cap. quod alicui, de reg. iur. in 6.* semper enim in cuius gratiam rescriptum conceptum fuerit, magis inspici debet, quam ad quem dirigatur; nam licet ad vnum dirigatur, tamen ad plures alios pertinet, si in eo contineantur, *l. 1. C. hoc tit.*

XXIV. Debet etiam perspicui a quo proficiscatur, vt debitus honos reddatur; nam literae, epistolae, & rescripta summorum pontificum cum honore & reuerentia excipienda, & adimplenda sunt, *cap. 5. hoc tit. Decretales epistolas, quas beatissimi papae diuersis temporibus ab urbe Roma pro diuersorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter esse recipiendas;* inquit GELASIVS I. in concilio Romano.

XXV. Contemptus vero grauitur puniri solebat amissione bonorum, & verberum castigatione in *cap. 3. lib. 4. Capitularium, & tit. 7. cap. 1. legum Longobard.* Hunc honorem frequenter osculo decerni notum est; nam literae, & epistolae principum pro salutatione, & reuerentia labris admouebantur, vt ex PAVLO diacono obseruat. *8. lib. 1. adnotauimus.*

XXVI. Sic & amicorum literae osculo in modum adorationis excipiebantur olim, & primitus in ecclesia ex more communi, vt scribit THEOPHILVS ALEX. in *epistolis suis paschalibus;* quae literae dicebantur priuatae apud D. AVGVST. *epist. 162.* ad differentiam earum, quae pacificae, confessoriae, communicatoriae, commendatitiae, decretales, pastorales, catholicae, apostolicae, dimissoriae, circulares, synodicae dicuntur. *dist. 71. & 72. can. 11. concilii Chalced. can. 7. synodi Antiochenae;* quae a summo pontifice episcopis & ceteris praelatis dabantur; sicut clericae quae a clero sede vacante apud CYPRIANVM *epist. 4.*

XXVII. Sunt & alia rescripta, seu literae frequentes in hoc iure, quae pro ratione causarum, & qualitate diuersam fortiuntur denominationem, monitoriae in veteribus gloss. ὑπομνησμά, *Novella 138.*

Ἐία

Ἔπειτα κομπουτώγια apud CASSIODORVM lib. 7. epist. 27. dicuntur etiam suaforiae, rogatoriae, exhortatoriae, accensoriae, quales regi Anglorum Eduuino, & correctorias genti Scotorum misisse HONORIVM III. scribit HENRICVS Huntidonensis, lib. 3. historiarum, preces ab INNOCENTIO III. epist. 213. lib. 1. & epist. 253. lib. 2. Registri: tum quia summus pontifex primum verbis mitioribus utitur; cum quod prima mandata admonitionem potius, quam iussum praeferant.

XXVIII. Sequuntur deinde praeceptoriae, quae strictius obligant, Graecis προσηλίμας, quibus mandatur aliquid fieri, cap. dilectus. 27. infra. de praebend. ad exemplum praeceptorum regionum de quibus toties in veteribus formulis & in legibus Salicis tit. 5. & in Capitularibus.

XXIX. Quae sane praecepta, seu praeceptoriae literae, sicut monitoriae magis ex tenore & materia causarum, quam ex verbis ipsis dignoscuntur, can. dudum 18. q. 2. in quo licet hortatoriam scripserit videatur GREGORIVS, quia tamen mens imperantis agnoscitur, praeceptoriam esse notat glossa, quemadmodum in l. 1. C. communia de legat. volo, iubeo, rogandi significatum habent, & e contrario etiam rogo, hortor, sumuntur pro, volo, impero. Hae autem literae non omnino & praecise obligant: ideo adiectum est tertium genus nempe executoriarum, per quas executores deputantur, cap. constitutus. 19. hoc tit.

XXX. Et hic ordo solet obseruari, ut monitoriae aut praeceptoriae praecedant, quamuis & executoriae solae aliquando emittantur, cap. capitulum. hoc tit. raro, & speciali gratia, ut docet glossa in cap. ex insinuatione hoc tit. Quando vero monitoriae & praeceptoriae praecesserunt, earum mentio in executoriis fieri debet, alioquin hae nullius sunt momenti, d. cap. super literis. hoc tit. Regulariter trium literarum ordo seruatur, nec temere refragari licet.

XXXI. Quod si hi, ad quos diriguntur, non obtemperauerint, ut in mandato de prouidendo, si beneficium alteri contulerint, valet collatio: nisi clausula irritans fuerit apposita, cap. si soli. de concess. praeb. si quid a te fuerit ordinatum decernimus non tenere, inquit INNOCENTIVS III. epist. 5. lib. 2. vel executor datus ante rem gestam inhibuerit, cap. tibi quae. hoc tit. in 6. & executioni rescriptum mandauerit, utpote aliquem inuestiendo, & stallum in choro assignando apud eundem INNOCENTIVM, epist. 213. lib. 1.

## TITVLVS IV.

DE

## CONSVETVDINE.

I. **A**ctum est supra de constitutionibus & statutis ecclesiarum, nunc de *consuetudine*, & ita bis eadem materia excuti videtur: nam quid aliud sunt statuta, siue instituta ecclesiarum quam consuetudines? an in eo tantum differentia, quod statuta sint ius scriptum, consuetudines ius non scriptum, quod cleri & populi vsus longo tempore comprobauit §. *sine scripto. inst. de iure naturali?* minime. Nam & consuetudo nomen est generale, quod tam ius scriptum, quam non scriptum complectitur, *can. consuetudo dist. I.* ita vt promiscue statuta, & constitutiones appellentur consuetudines, *cap. cum dilectus. & seq. hoc tit.*

II. Ergo consuetudines a iure scripto non differunt, contra sententiam D. BASILII in *can. consuetudinis. dist. II.* qui consuetudines vocat quae scriptae non sunt, sed vel traditione apostolica, simplici ritu, obseruantia & silentio  $\sigma\iota\omega\pi\eta$  roborantur.

III. Hanc differentiam vt aperte dignoscamus, diuisionem accipere debemus ex iure ciuili, inter ius scriptum, & non scriptum, quam sequutus est D. AVGVST. in *can. catholica. ead. dist.* vt quicquid in ecclesia catholica tenetur, aut scripturarum auctoritas sit, aut traditio vniuersalis; quicquid sacris scripturis definitum sit, dicatur ius scriptum; quod vero longo vsu & generali consensu receptum, ius non scriptum, & consuetudo appelletur.

IV. Traditiones enim licet hodie scriptae reperiantur, maxime quae ad fidem pertinent, multo ante receptae fuerant vsu solo, & longo annorum decursu, donec scriptis mandatae sunt. Et haec est prima iuris publici diuisio, in ius scriptum quod sacris scripturis continetur, & non scriptum quod traditionibus, maiorum institutis, & moribus per totam ecclesiam catholicam diffusum est.

V. Altera diuisio est iuris priuati, in ius quoque scriptum, quo vnaquaeque regio sibi constitutiones & statuta scriptis inferi mandauit; vel non scriptum ex solo vsu sine scriptura, vt docet D. AVGVST. *can. in bis, & sequentibus, dist. II.* quod ex PLATONE desumpsit, qui

qui



qui *lib. 7. de legibus*, ciuitatem colligari, & consistere tradit ex his omnibus, quae leges, vel consuetudines vel instituta appellantur, ὅσα νόμος, ἢ ἔθνη, ἢ ἐπιτηδεύματα καλεῖ.

VI. Et hae priuatae leges, respectu iuris communis & publici, dicuntur consuetudines & instituta, siue, vt vulgus loquitur, statuta. Sic videmus in Gallia leges Salicas vocari consuetudines, quae tamen scriptae sunt, & legum nomen accipiunt, *cap. 12. formularum Marculphi*, Frisiones, Ripuarii, Saxones, Longobardi, & aliae pleraeque nationes patrios mores asseruarunt, eosque publicis monumentis, & diptychis mandarunt, quos leges simul & consuetudines nuncuparunt.

VII. Similiter mores vniuscuiusque ecclesiae licet scriptos, & synodos prouinciales, consuetudines vocamus, si ius vniuersum summorum patrum & conciliorum generalium decreta, & canones spectemus, *l. can. catholica. Priuatis*, inquit *constitutionibus & propriis informationibus vnaeque pro locorum varietate prout cuique visum est subsistit & regitur.*

VIII. Nec tamen huiusmodi statuta, & consuetudines villo pacto iuris vniuersi & ecclesiae orthodoxae destruant auctoritatem; dummodo in his versentur, quae fidei non contradicunt, licet caeremonias, ritus, dignitates, ac ordinem viuendi peculiarem habeant, *can. nos consuetudinem. dist. 12.* verbi gratia in *cap. cum olim. hoc tit.* praecentor in quibusdam ecclesiis Anglicanis dignitatem habet, in aliis personatum, in aliis nec dignitatem nec personatum, sed simplex officium; id non pugnat cum sacris canonibus: difficilius ferri posset, vt archidiaconus dignitatem non haberet, quae & suapte natura debetur.

IX. Aliquando etsi fidei nullum sit periculum, tamen, si de splendore & dignitate totius ecclesiae agatur, consuetudines vim nullam habent; veluti iure communi clericus coram ecclesiastico iudice conueniri debet, contraria consuetudo nullius erit momenti, *cap. 8. infra, de iudiciis.* Ita etiam efficere non potest consuetudo, vt clericus reseruata ordini episcopali officia exercere possit, *cap. quanto. eod.* vel electus administrare, non habita prius confirmatione, *cap. 7. hoc tit.*

X. Denique non est tanta consuetudinis auctoritas, vt rationem simul & legem vincat, *l. 2. C. hoc tit.* quia vt recte dixit imperator, *plerumque ratio pugnat cum lege*, vbi vtrumque inesse debet; ideoque legem sine ratione, si quae sit, vincit consuetudo, cui veritas & ratio suffra-

D

gan-

gantur, *can. frustra*, & *sequenti dist. 8. can. consuetudo dist. 12.* quae tunc derogat iuri scripto, cum & necessitas & ratio fortior reperitur, *l. 1. C. eod. vt in cap. dilecti. infra, de arbitris.* foeminae illustres & praecellentes in Gallia in subditos iurisdictionem habent, & arbitrium suscipere possunt, contra iuris auctoritatem in *l. foeminae ff. de regul. iuris. can. infamis. 3. q. 7. & can. mulierem. 33. q. 5.* Et ex aduerso per consuetudinem ab ordinaria iurisdictione eximuntur, qui seruitio capitali deputati sunt, *cap. cum contingat. infra, de foro compet.* Sic canonica portio aestimatur in sepulturis, *cap. de uxore. & cap. certificari. infra, de sepult.* idem in decimis, *cap. ad Apostolicae. infra, de decimis,* in electionibus, *cap. cum esset. infra. de testament.*

XI. Denique in omnibus quibus ius publicum, vel honor, vel auctoritas ecclesiae non laeditur, tunc consuetudo fortior est lege, & naturam imitatur, τῆ φύσει εἰκλεν, ait PHILOSOPHVS *lib. 7. de moribus,* iuxta dictum illud:

*Multos quod partum est meditando permanet annos,*

*Atque in naturam tandem conuertitur usus.*

Imo laudabilior est saepius consuetudo quam lex; quippe lex est ius coactum, consuetudo voluntarium, δίκαιον ἐκείσιον; illa malorum, haec bonorum; illa ἐν στήλαις, ἢ στήλαις, id est in tabulis, ac columnis; haec ἐν ταῖς ἡμετέροις ψυχαις, id est, in nostris animis custodiuntur, vt eleganter dixit DIO CHRYSOSTOMVS *oratione περὶ ἔθους.*

XII. Nec tamen inferre debemus ex eo, quod rationem consuetudinis praeualere dicit imperator in *d. l. 1.* quod lex aliqua sine ratione lata fuerit, sed quod maior potiorque fuerit consuetudinis, quam legis ratio, quae minor habenda est respectu loci, temporis, aut personarum, *can. sit sancta dist. 12.* exemplum est in *can. aliter dist. 31.* Inde fit, vt *consuetudo sit vera rationis, siue legis interpret.* vt ait TERTULLIANVS *lib. de corona militis l. 38. hoc tit.* & ita superet legem, imo & destruat, abroget, emendet, damnet; quo factum est in vtroque iure, vt innumerae leges & constitutiones olim obseruatae contemptae fuerint; sic Draconis, Solonis, & Clistenis leges abrogatas fuisse scribit LIBANIVS in *apologia Socratis.*

XIII. Saepius tamen ac frequentius tunc demum vim tantam habet consuetudo, cum lex deficit, cum non omnia, quae in controuersiam venire possunt, legibus definita sint, quarum defectum supplet consuetudo,

tudo,

tudo, l. 3. §. vsu. 12. ff. de testib. l. 3. C. hoc tit. l. 1. de vsur. quemadmodum etiam cum lex & consuetudo deficiunt in causis de nouo emergentibus, id esse custodiendum, quod proximum & consequens est, docet IULIANVS in l. de quibus. de legibus. FABIVS declamatione 331. si quid vltione dignum non habet lex, manifestum iudicium proximum sequi debere, ad vicinorum leges recurrendum est, cap. super eo. infra, de censib. maxime in rebus ecclesiasticis regula sumi debet a metropolitana ecclesia. cap. cum ecclesia Vulterana. infra, de electione. cap. super eo de cognat. spirit. nisi de his agatur, quae fidem, vel vniformem ecclesiae statum respiciunt, tunc enim Romana consuetudo seruanda est, can. de bis. dist. 12. veluti in sacramentis, quae administrantur, prout Romana ecclesia praedicat, & obseruet, id est: imperat, & solet, cap. ad abolendam. infra, de haereticis.

XIV. Vt autem consuetudo vim & auctoritatem habere possit, tria potissimum sunt consideranda, vsus longaeuus, ac tacitus populi consensus, temporis longitudo τὴ χρόνος πλῆθος d. l. de quibus, cap. cum consuetudinis. hoc tit. & antiqua traditio, can. decreuimus. 10. q. 1. cuius non existat memoria; non quidem decem annorum, vt iuris ciuilis interpretes voluerunt, sed ad minus triginta vel quadraginta annorum, iuxta l. 2. C. de praescript. trigint. vel quadrag. annorum. cap. abbate. infra, de verb. signif.

XV. Praeterea, quantumuis sit longaeua & diuturna, nullius est momenti, maxime si vitium trahat, cap. vlt. infra, de praescript. cap. vlt. hoc tit. debet enim esse utilis & laudabilis, quae bona ecclesiae adferat: si ratio desit, tunc potius erit corruptela, quae nullo vsu & cursu temporis sustineri poterit, can. mala. dist. 8. nec vnquam peruersa consuetudo defendi poterit, nisi grauius malum timeatur, can. denique dist. 4. nec est bona ratio, quae adduci solet, ita a maioribus fuisse constitutum: qua responsione se se tueri solebant Boeotii, nec ad aliam rationem reddendam cogi posse contendebant, vt scribit AGATHARCIDES in biblioth. PHOTII.

XVI. Postremo desideratur, vt sit probata contradicte iudicio, id est causa cognita per sententiam iudicis, d. cap. abbate. & l. consuetudine. ff. eod. & his modis dicetur vera & iusta consuetudo, non corruptela.

XVII. Praeter consuetudinem aliquid minus adiunxerunt Graeci ἀχρησίαν, id est desuetudinem, quam tamen nihil aliud esse quam consuetudinem contra eos contendit CUIACIVS, de quo quid sentiam: peculiari obseruatione scripsi.

## TITVLVS V.

DE

## POSTVLATIONE PRAELATORVM.

I. **A**d ministros ecclesiarum se se transfert GREGORIUS, de quibus agendum vtpote de auctoribus constitutionum, & legum ecclesiasticarum; quorum quidem nomine non tantum episcopos, sed omnes praelatos, cuiuscunque generis sint, contineri dubium non est, *can. si in plebibus. 63. dist.* etsi in hoc titulo agatur tantum de postulatione praelatorum, id est episcoporum.

II. Nomine enim praelati quoscunque alios qui vel auctoritatem summam, vel iurisdictionem quamlibet, vel administrationem habent contineri dicemus *infra. tit. de excessib. praelat.* Iam vero quia maxime hic titulus ad postulationem praelatorum pertinet, de ea agendum.

III. *Postulatio* est *πρροσέλευσις*, siue *ἄτησις*, supplicatio, siue petitio concors eius qui regulariter eligi non potest; quam gratiam sibi fieri a superiore postulatur. *c. 5. b. t.* in quo notanda est vox, *gratiae*, vt agnoscamus postulationem contrariam esse iuri communi, & niti tantum favore & beneficentia, quam superior facit promouendo ad praelaturam eum, qui de iure promoueri non debet, vel ob defectum, vel impedimentum; ita vt quotiescunque electio, quae tota est stricti iuris, haberi non potest, ad postulationis remedium recurratur.

IV. Et vt postulatio suum fortiatur effectum, haec potissimum requiruntur, consensus ipsius postulati, si sit laicus, vt notat glossa, *in can. Osius. 61. dist.* rationem hanc existimo, quod nemo cogendus sit ad votum emittendum, & ordines suscipiendos, *can. vbi ita 74. dist.* sed nec clericus. *can. gesta. 74. dist.* nisi ob vrgentem ecclesiae necessitatem, *can. vlt. ead.*

V. Episcopi etiam consensus adhibendus est, cuius ditioni subditur postulatus, *nisi eius episcopus precibus exoratus concedere voluerit*, inquit *can. 2. & 3. dist. 71.* vbi quaerit glossa, an dissimulatio & conniuentia sufficiat, quod negat, *ex can. literas. 63. dist.* quia nemo cogitur emancipare filium suum; oportet saltem probabilem esse consensum, si non expref-

pressum: ideo in *can. primatus. 71. dist.* dicitur, *sine conscientia*, id est sine literis dimissoriis. Sic etiam monachus sine licentia sui abbatis, episcopus fieri non potest, nec vllum honorem in ecclesia suscipere, ex decreto GREGORII in *can. quam sit. 18. q. 2.* sed nec ordinari, nec fieri sacerdos, *can. si quis monachus. 16. q. 1.* ita magnus HINC MARVS a clero, plebe, archiepiscopo Senonensi, aliisque episcopis, cum consensu abbatis & fratrum monasterii S. Dionysii, in quo degebat, ad Rhenensem ecclesiam electus fuit, id est postulatus, vt scribit FLODOARDVS.

VI. Postremo superioris, id est ipsius summi pontificis auctoritas desideratur, citra quam postulatio aliqua locum habere non potest, siue postulatus sit episcopus, siue non; sed maxime episcopus, qui cum iam spiritali matrimonio vni ecclesiae coniunctus sit, non potest sine absolutione illius ad aliam transire, *cap. bonae, & cap. fin. hoc tit.*

VII. Requiritur ergo ad postulationem, vt fiat eius, qui regulariter eligi non potest, qualis est neophytus, secundum sententiam Apostoli, quamuis D. AMBROSIVS ita fuerit vocatus, *can. Valentinianus. 63. dist.* Qualis est clericus in aliqua ecclesia ordinatus, vel episcopus alicuius loci, qui cum spiritale contraxerit matrimonium, & ecclesiae suae ordinatus sit, sicut colonus adscriptitius, *can. sanctorum 70. dist. via electionis*, quae tota regularis est & canonica, ab ea extrahi non potest.

VIII. Proinde magna hodie est differentia inter postulationem, & electionem, quamuis olim promiscue vtrumque nomen vsurparetur; vnde videmus passim apud auctores electum dici, quem hoc iure postulatum dicimus: quippe quod postulatio, cum non sit canonica, sed tumultuaria, nullum fortitur effectum, donec a superiore fuerit approbata: ideo quantumuis quis postulatus, & scrutinium publicatum fuerit, possunt postulantes a postulatione recedere, & in alium vota sua conuere, possunt variare quomodocunque libuerit: ratio apertissima est; quod cum inhabilis sit postulatus, possunt absque iniuria recedere, antequam ei ius quaesitum sit, quod nunquam fit, nisi tunc demum cum postulatio superiori praesentata, & ab eo comprobata fuerit, *cap. postulationem. hoc tit.* & quamuis praesentatione facta postulantes variare non possint, non ideo tamen postulatus vllum ius habet ante confirmationem, vt omnes doctores in *dicto cap.* sentiunt; in electione secus est, vt suo titulo dicetur.

IX. Aliud postulationis genus est *nominatio*, quae fit duarum, trium, aut plurium personarum; nec enim electio dicenda est, quia electionis forma est, ut vnus dignior a pluribus eligatur, & concors seu maior pars capituli, vel eligentium conueniat, *can. congregatio 16. q. 7.* nominatio vero fit plurium, ut in episcopo Neapolitano eligendo tres sibi nominari mandat D. GREGORIVS *epist. 15. lib. 2.* & quoties plures eliguntur, proprie electio non est, sed nominatio: sed nec postulatio, quae proprie fit vnus; quamuis in *cap. cum olim.* nominatio etiam fieri dicatur vnus, sed id ob promiscuam nominum significationem, cum non ita subtiliter distinguantur, quin passim & reciproce sibi inferuiant, quorum praecipuam differentiam obseruauit INNOCENTIVS magnus iurisconsultus.

X. Quinimo addere possumus, non in eo tantum differre nominationem a postulatione, quod illa fiat plurium, haec vnus; sed quod postulatio tota pendeat ex gratia, & mera liberalitate superioris; non ita de nominatione, cui ipse aliquanto magis adstringitur, & ad quam sequendam cogi videtur.

XI. Sic fiunt nominationes a regibus nostris vi concordatorum, & ab vniuersitatibus in fauorem graduatorum nominatorum, mensibus Ianuario & Iulio: Aprili & Octobri simplicium, quae quidem ingerunt necessitatem, & maius robur habent quam postulationes. Exemplo quoque patronorum, quorum praesentationem, seu nominationem admittere tenetur superior, *cap. pastoralis. infra, de iure patronat.* ideo patronorum nominatio pro collatione habetur, *cap. 4. infra, de testib. cap. vlt. de concess. praeb.* dummodo qui nominatur sit idoneus, *cap. 1. de iure patron. in 2. coll.* vnde fit ut qui nominandi ius habent creare dicantur, & nominatores creatores, & nominati creaturae, *in l. 2. §. si eo, de administr. rerum ad ciuit. & l. si quos 59. C. de decurion.* & plerisque aliis locis.

XII. In Basilicis nominatores saepius, *χειροτονῆται* dicuntur; imo & in iure ciuili nominatores decurionum, fideiussores eorum habentur, *l. vlt. C. de periculo nominat.* sicut tutorum & curatorum, *l. 1. C. de magist. conuenient.* quod periculum non incumbit ratione beneficiorum nominatoribus, quia totum onus spectat ad praelatum, vel superiorem, qui habet ius institutionis, ut nonnisi praeuio diligenti examine quemquam admittat ex concilio TRIDENTINO.

TITVLVS VI.  
DE  
ELECTIONIBVS.

I. **H**ic titulus debuerat praeponi superiori, quod sit omnino generalis, si attendas ad nomen electionis & significationem, quae tam postulationis, quam nominationis & translationis, & electionis specialiter desumptae nomen designat.

II. Accurate quidem tractandus est utpote continens materiam arduam & periculofam, ex qua sicut ex fonte omnia commoda & incommoda ecclesiarum pendent: vnde B. CHRYSOSTOMVS, *lib. 3. de sacerdot.* dum sciscitatur, vnde tot turbae & lites in ecclesiis nascantur; non aliunde opinatur, quam ex episcoporum electionibus, casu potius ac temere, quam diligenter factis, ἐκ τῆς τὰς τῶν προεσώτων ἀρέσεις, καὶ ἐκλογὰς ἀπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε, diligenter, inquam, obseruato ordine ecclesiastico, & via spiritus sancti, qui omnibus electionibus praeesse debet, *cap. 1. 13. Act. Apost. 1. ad Titum*: quamuis enim differentia ponatur iure isto inter electionem, quae fit per inspirationem spiritus sancti, & alias quae fiunt per scrutinium, & per compromissum; tamen in omnibus diuina gratia interesse debet, aliter non esset vera electio. Quam differentiam discutiemus si prius originem & progressum electionum attigerimus.

III. Sciendum igitur est primitus electiones immediate a Deo fuisse factas duodecim apostolorum, cum eos vel a piscatione, vel a mensa nummulariorum, vel aliis occupationibus detentos proprio ore ad se euocauit. Sed & viam electionis in D. Matthia aperuit Dominus, & in eo rectae & legitimae vocationis fundamentum proponere, ac stabilire voluit Dominus noster, cuius exemplum posthac sequerentur discipuli, ac eorum successores.

IV. Is mediate electus fuit ab apostolis, immediate a spiritu sancto, qui primum vocauit eum, & deinde vocatum declarauit congregatio. Sic enim *13. Actuum* dixit spiritus sanctus; *segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*: προσκέκλημαι αὐτός. Ita in electione Matthiae vox totius congregationis erupit; *Tu Domine ostende quem*

quem

quem elegeris ex his duobus unum, & cecidit fors super Matthiam, κληρος ἔπεσεν, & adnumeratus est cum undecim, id est suffragiis electus, συγκατεψηφίσθη: quae suffragia exquisita fuere a singulis vel publice, vel secreto, per scrutinium, ut dicitur in cap. quia propter. hoc tit. & hanc fuisse veram sortem, non vero fortunae euentum calculis, aut baculis commissum credendum est: neque enim id fortunae periculo commiserunt apostoli, sed voluntati Dei quae tunc aperta fuit; ita ut ipsi non tam elegisse quam declarasse Matthiam dicantur, iuxta sortem, id est voluntatem & gratiam Dei: *Sors*, inquit D. AVGVST. in psalm. 30. *res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem.*

V. Sic fors fuit vocatio Pauli & Barnabae, quae ut vim electionis haberet, & apostolorum auctoritate confirmaretur, & transfret in praeceptum, dixit Dominus *segregate*: diuina gratia illis effulsit, qua illustrati eos ad gentes miserunt sine fortunae periculo, sed forte, hoc est diuino oraculo, quod glossae veteres κληρον χρησμόν vocant; sicut Lyciae sortes dicuntur apud VIRGILIVM, quod per Apollinem in Lycia redderentur.

VI. In Matthia quidem duae species electionum fuere; vna fortis seu voluntatis Dei, altera suffragiorum: sed haec frequentius haberi coepit, quia Deus raro gratia illa visibili illustrat homines, sed id religioni plurimum committit, quorum congregationi praesidet, quoties in nomine eius conuocati fuerint, *can. non exemplo, 26. q. 2.* non vero calculorum, tesserarum, globulorum, lapillorum, quae in urnam, vel hydriam, vel galeam coniciebantur: quae omnia damnantur, maxime in electionibus praelatorum. *cap. ecclesia. infra. de sortilegiis*; cui constitutioni viam praebuerunt gentilium leges apud DIONYSIVM HALIC. *lib. 2.* licet in officiis, & militiis dandis, & agris assignandis fortunae & fortis ratio haberetur, ut notum ex *Aeneidos I.* & APPIANO in *Ibericis.*

VII. Ex his, & aliis quae hoc titulo tractantur tria potissimum & nunc, & olim fuisse electionum genera colligere possumus, *per inspirationem, per scrutinium, & per compromissum.* Primum nulla requirit solennia, nec suffragiorum numerationem, sed publicum consensum, & repentinum, vltro impellente spiritu sancto, & communiter omnibus postulantibus, *dicto cap. quia propter*; sicut enim D. AMBROSIVS studiis in diuersa fluctuantibus infantis voce, sed diuino inspirante oraculo episcopus

scopus



scopus conclamatur, ab omnibus vnanimiter receptus fuit, vt scribit PAVLINVS *in eius vita*; quod aliquando in summorum pontificum electionibus factum legimus, & nostro aeuo LEO XI. hac via pontificatum iniit.

VIII. Per scrutinium vero electio fit secreto, & singulorum votis diligenter conquisitis: scrutinium est diligens inquisitio, cuius ritus celebres erant in examine catechumenorum, exhibito exorcismo, apud LEONEM M. *epist. 5. d. AVGVST. & alios*: illud examen fit secreto & sigillatim, *d. cap. quia propter*, ne pateant omnibus quae aguntur, *ex can. 4. synodi Laodiceae*, & ne electiones in praesentia audientium fiant; per *audientes*, populum intelligunt ZONARAS & BALSAMON, licet verifimilius de catechumenis intelligi debeat.

IX. Fit autem electio eius in quem maior & sanior pars capituli confenserit, ratione habita zeli ad zelum, & meriti ad meritum, vt scilicet merita electorum, & dignitas eligentium considerentur, *cap. in Genesi. hoc tit. nec semper numero est acquiescendum*, cuius iudicium raro tutius, & sanius, *cap. gratum. sup. de postul. praelat.* ad quod glossa plene docet, quomodo zelus, numerus, meritum expendi debeant, qui ordo vix hoc seculo obseruatur, quo non tam eligentium dignitas, quam numerus consideratur, scilicet omnium ius aequale aestimatur ex iure communi, quod, patrias leges, dixit PRVDENTIVS *lib. I. contra Symmachum*:

*Seruemus patrias leges, infirma minoris*

*Vox cedat numeri.*

*Legem curiae*, dixit SYMMACHVS *epist. 27. lib. 4. vt maioris numeri antistat auctoritas*, licet in *sententiis ferendis suffragia non numeranda esse, sed ponderanda* dicat PLINIVS *epist. 12. lib. 2.*

X. Porro numerus hic apud veteres saepius clam & secreto exquirebatur, vt liberior vnicuique iudicandi, vel eligendi facultas pateret, & in quem quisque vota sua dirigeret, vel scripto in tabella & membrana, vel quouis alio signo in urnam vel arculam demisso, quod & hodie religiosiores faciunt; colligunt enim tabulas seu membranas, quas *γραμματῖα* vocat PLVTARCHVS, & is, cuius nomen pluribus insertum reperitur, ab omnibus electus censetur, nec id fors dici potest, quia nullus est fortunae casus, sed his tabellis tantum voluntas designatur eligentium.

E

XI. Per

XI. Per compromissum vero fit electio, cum vni vel pluribus, non quidem laicis, eligendi potestas committitur, *cap. sacrosancta. hoc tit.* quorum iudicio standum omnino est, nisi indignum elegerint, *cap. causam. 8. hoc tit.* quod fit maxime cum multitudo eligentium sibi ipsi negotium facit: hoc consilium praebet GREGORIUS in eligendo Napolitano episcopo, *epist. 15. lib. 2. & in cap. 10. in prima compilatione:* & hanc formam compromissi seruare tenentur compromissarii, alias eorum electio nulla esset, nec compromittentes hanc sequi cogentur, *cap. dilectus. hoc tit.*

XII. Quouis autem horum trium modo fiat electio, iure communi ad clerum pertinet, *eligente clero & populo*, inquit D. CYPRIANVS, *epist. 24. 33. & 42.* quod fuit ex apostolica traditione, quam patres Constantinopolitani ex veteri lege, ac SS. patrum in concilio Nicaeno esse dixerunt τὸν παλαιὸν θεσμὸν, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαία πατέρων ὄρον. D. CYPRIANVS *de diuina & apostolica traditione, canones ecclesiasticos vocat:* D. ATHANASIVS *apol. 1. antiquam institutionis formulam:* Concil. AVRELIAN. II. *canonicae regulae disciplinam: caput 1. huius tit. antiquam canonum consuetudinem;* concilium PARISIENSE I. *cap. 6.*

XIII. Per cleri nomen intelligimus capitulum, seu collegium, ad quod regulariter ius hoc pertinet, *cap. cum ecclesia. infra. de causa poss. cap. nobis. de iure patron.* licet ex priuilegio & consuetudine ad capitulum solum, *cap. cum ecclesia. hoc tit.* D. HIERONYMVS *epist. 85. ad Euagrium:* Alexandriae a Marco euangelista vsque ad Heracleam & Dionysium, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominarunt.

XIV. Additur frequenter populi consensus. *cap. quanto. hoc tit. & can. plebs. can. sanctorum. 63. dist.* non tantum in comprobatione electionis iam factae, vt quidam ex verbis CYPRIANI colligere voluerunt, *praesente populo, vel assistente plebe*, sed etiam faciendae, *cap. 2. hoc tit. in 1. compil.* quod primum synodo LAODICENA vetitum fuit, *can. 13. vbi definitur non esse permittendum turbis episcopos & sacerdotes eligere.*

XV. Hoc a populo ad principem translatum est, exemplo legis regiae, *l. 1. C. de veteri iure enucl.* quae principi non solum bonorum, sed etiam corporum potestatem dedit, vt THEOPH. addit *ad tit. de iure naturali:* ἐμόνον τῆς ἡμετέρας περιβσίας, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν σωμάτων ἐστὶ κύριος.

Nam

Nam cum habeant ius in capita & fortunas reges, hanc ad se facultatem aduocarunt; praesertim quod se patronos & fundatores omnium ecclesiarum in suis ditionibus profiteantur.

XVI. Sed hoc similiter prohibitum fuit praecipue NICAENA synodo in *can. omnis. can. porro 63. d.* & quamuis id saepius factitatum in plerisque regnis fuerit, non tamen sponte, sed coacte, vt testatur LVCIVS III. in *cap. 5. hoc tit. in r. compil. si aliter fieri non possit*, inquit. Aliquando rigor ille temperatus fuit, vt electione facta regius exspectaretur assensus, *cap. cum terrā. hoc tit.*

XVII. Inde tot mala in ecclesiam aliquando irruerunt, cum ignari & indigni homines, & quod peius, pueri electi fuere, vnde versus recitat IVO epist. 67.

*Eligimus puerum, puerorum festa colentes,*

*Non nostrum morem: sed regis iussa sequentes.*

FLODOARDVS, *lib. 4. c. 22.* refert Odalricum Aquensem episcopum, praefectum ecclesiae Rhemenfi, vice filii Hugonis comitis, tunc paruuli. Hinc & magna illa exorta est tempestas inuestiturarum, quae innumeras lites, diffidia, haereses inuexit, de quibus fatius est tacere, quam tot sanctissimorum patrum querelas refricare, quibus haec calamitas inexhaustas lacrymas elicuit; non ideo tamen condemnem regum nominationes a summis pontificibus comprobandas in hacce seculi corruptela: maius forte detrimentum ex electionibus timendum esset, cum res omnes ambitioni & auaritiae locum fecerint.

XVIII. Praeter hunc cleri, populi, regis consensum, olim tres ad minus episcopi interesse debuerunt, reliquorum suffraganeorum consensu & suffragio accedente, *συμφήφων γινόμενων καὶ τῶν ἀπόντων. can. 4. syn. Nicaenae, & can. 13 syn. Carthag. & can. 3. syn. VII.* quod & D. CYPRIANVS agnoscit *epist. 68. episcopi eiusdem prouinciae proximi quique conueniant, & episcopus deligatur*, iuxta *can. non licet. 63. dist.* imo & electio sine tribus episcopis nulla erat: *SYNESIVS epist. 67.*

XIX. Quod ad rem maturius exequendam cautum fuit, ita vt nomine cleri, non solum collegium, seu capitulum, sed etiam episcopos prouinciae debeamus comprehendere: nec id referendum est ad *χειροθεσίαν*, seu *χειρῶν ἐπίθεσιν*, *Act. cap. 13.* id est, manuum impositionem, consecrationem, ad quam duo, vel tres episcopi praecipue desiderantur,

*can. I. Apost.* sed ad χειροτονίαν seu electionem, quae per manuum elationem fiebat, acclamante vniuerso populo; eligentes enim palmas attollebant, & per manus sublatas numerabantur qui hunc vel illum elegissent, vt refert ZONARAS ad dictum *can. primum*: nec mirum si saepius quae de consecratione sunt, ad electionem referantur, & e contra, cum passim videas promiscue χειροτονίαν pro χειροθεσία, & e conuerso accipi; vnde factum est vt multae difficultates, & variae natae interpretationes fuerint: proprie tamen electio Graecis ἐκλογὴ in *d. can. 13. syn. Laodic.* & Ἰηφός in *d. can. 3. syn. VII.* & alibi passim.

XX. Est praeterea obseruandum in electionibus, vt vota omnium in scriptis redigantur *d. cap. quia propter*; quod est ex concilio NICAE-NO *d. can. 4. συντιθεμένων διὰ γραμματέων*, & *can. in episcopum. 64. dist. can. legum. 2. q. 1. cum decreto scriptis roborato. can. Catinensis. 61. dist.* quod quidem decretum omitti non debet, quia est de substantia electionis, & continere debet publicationem, inquisitionem, collationem, & electionem, vt sentit optime gloss. in *cap. innotuit. hoc tit.*

XXI. Denique seruetur, forma concilio LATERANENSI praescripta in *d. cap. quia propter*; scilicet vt primo eligantur duo vel tres scrutatores, colligant vota singulorum, in scriptis redigant, mox fiat publicatio, & postremo collatio *d. cap. Cumana*. Absentium ratihabitio desideratur, scriptis etiam facienda, quos iure communi euocandos esse certum est ex *d. cap. quia. §. vlt.* si sunt in prouincia & commode euocari possunt, *cap. coram. hoc tit.* licet gloss. contrarium sentiat, quae consuetudinem inspiciendam esse dicit ad *caput coram 35.* quod confirmat ex *cap. in Genesi*, vbi INNOCENTIVS III. adfert consuetudinem regni Franciae; sed ex eo non est inferendum sola consuetudine id fieri; imo vero iure communi cum consuetudo illa desideret, vt ex toto regno absentes non tantum ex prouincia euocentur: alias vero certum est absentes euocandos, *cap. quamuis. de off. ord. in 6.* consuetudo intelligi debet, de valde remotis, quorum expectatio valde suspecta & damnosa esset, vt idem ipse INNOCENTIVS III. exprimit in *cap. cum inter vniuersas hoc tit.* non ideo tamen negem aliud saepius consuetudine obseruari.

XXII. Possunt quidem absentes non interesse, & suffragium suum per procuratorem mittere, *cap. congregato hoc tit. d. can. 4.* ille autem sit de gremio, alias, licet de iure non videatur repellendus, tamen optime

me

me dicit gloss. in dicto cap. quia. canonicos non facile extraneum admitturos: hi etenim ita caute sibi ius illud vindicant, vt numquam extraneum pro quocunque negotio sedentem in capitulo, sed rogantem tantum & supplicansem excipiant: cum autem dico omnes vocandos esse, intellige eos, qui iure vocandi sunt, vt excludantur qui defectum aetatis patiuntur, necdum pubertatem, scilicet 14. annos attigerunt. cap. ex eo. hoc tit. in 6. Concilio TRIDENTINO prouectior aetas exspectanda, quo nullus ad canonicatum cathedralis ecclesiae admittitur, nisi aetatis ad ordines sacros suscipiendos legitimae, nec vocem in capitulo habere potest, donec ordinem sacrum affectus fuerit.

XXIII. Excommunicatus quoque electioni interesse nequit, cap. cum inter. 16. hoc tit. cum hac tamen distinctione, an eligens sit suspensus maiori, aut minori excommunicatione, vt latius tractabitur infra de clerico excom. Suspensus ab homine lata sententia, vel a canone, illo casu repellitur, hoc vero admittitur, cap. 2. & cap. si celebrat. infra, de cler. excom. glossa in cap. latores. infra, de clerico excom. & ita conciliantur canones inter se pugnantes. Similis ordo seruandus circa eos, qui eligi debent, cap. cum Vintoniensis & pluribus aliis, hoc tit. contra facientes, & indignum eligentes ea vice conferendi facultate priuantur.

XXIV. Electione vero celebrata, statim sequi debet publicatio, ne quid clandestine fieri videatur, & fraudis suspicio euitetur, non quod sit de substantia electionis d. cap. quia in fine: quam citius commode fieri poterit, ait GREGORIUS X. in cap. quam sit. hoc tit. in 6. quod restringitur ad octo dies in cap. cupientem. §. ceterum, eod.

XXV. Superest altera pars huius tit. quae respicit electum, ac eius potestatem; non enim sufficit electionem fuisse celebratam & publicatam, nisi electo praesentata, & ab ipso acceptata fuerit, quae, acceptatione facta, confirmari debet ab his ad quos regulariter ordinatio, seu consecratio dignoscitur pertinere, dist. 65. & 66. ab episcopis comprouincialibus, & maxime a metropolitano, vel primate, can. 4. concilii Nicaeni; nisi id peculiariter summo pontifici fuerit reseruatam, dicit INNOC. III. in cap. nihil est. 44. hoc tit. vt de archiepiscopo Capuano dicitur in cap. cum nobis. hoc tit. de Rhemenfi in synodo apud S. Medardum, in causa Hincmari, & apud FLODOARDVM in historia Rhemenfi: & peculiariter primatum, patriarcharum, & metropolitanorum confirma-

tio referuatur, vt patet ex *epist. Simplicii papae*, sicut hodie nominatio regibus & praesertim nostro, transactione generali habita cum LEONE X.

XXVI. Et haec confirmatio maximi momenti est, cum matrimonium spirituale inter ecclesiam & electum conciliet, *cap. inter corporalia. infra, de translat. episc.* & iam gradum episcopalem sit consecutus electus, licet non omnem, sed talem vt administrationem bonorum suscipere valeat, & omnia quae sunt iurisdictionis exercere; non tamen, quae sunt maioris disquisitionis, vt notat CUIACIVS ad *cap. verum. infra, de for. compet. sed nec ordinis, cap. transmissam. & cap. cum in cunctis. §. cum vero. hoc tit.*

XXVII. Ante confirmationem vero administrationi se se immiscere non potest, *cap. qualiter. & cap. iam dudum. hoc tit.* nec censetur adhuc electus, ita vt aduersus eum agi possit, sicut aduersus quemuis alium priuatum, & intendere accusationem sine poena inscriptionis actor possit, eo casu, quo non probauit: secus vero post confirmationem, *cap. super his. infra, de accusationibus*: quia tunc priuilegia fere omnia in eum concurrunt, adeo vt insignibus vti valeat, corona ampla, & birro, quem nostri *camale* vocant: dummodo sit proxime cingendus, cum tunc pro cincto habeatur. Et olim coniugati, simul ac electi erant, ab vxoribus recedere cogebantur: HIERONYMVS *lib. I. aduersus Iouinianum, & epist. 50. ad Pammachium in fine: Episcopi, aut virgines eligantur, aut vidui, aut post sacerdotium pudici*. Porro immistio, quae fit a confirmato, & administratio bonorum ecclesiae, vim possessionis habet, vt notat gloss. in verbo, *administrationem. d. §. cum vero.*

XXVIII. Differentia autem ponitur optima inter electionem, & confirmationem: quod illa conferat praelaturam & administrationem in habitu, haec in actu; illa ius, haec exercitium, gloss. in *can. quanto. 63. dist.* exemplo iudicis delegati in *cap. pastoralis. supra, de rescript.* nec est necessaria instalatio, seu missio in possessionem vt INNOCENTIVS, HOSTIENSIS, & alii sentiunt, contra sententiam ARCHIDIACONI in *cap. eum qui. de praeb. in 6.* quam litem ita componit PANORMITANVS, in *cap. transmissam. hoc tit.* aut alius est in possessione praelaturae, aut non; illo casu tenetur confirmatus assumere possessionem; aut nullus est in possessione, quia sedes vacat de facto, & tunc possessionis assumptio non est necessaria.

XXIX. Sed

XXIX. Sed hanc distinctionem non facile probarem, cum iura loquantur de quocumque electo, qui per confirmationem acquirit ius administrationis; ita tamen ut nisi possessione adeptus ius spiritale non videatur adipisci, nec nisi per consecrationem plenarium ius habere; imo si eam spreuerit, & negligenter tres menses egerit absque legitimo impedimento, ipso iure priuatur, nec opus est sententia, & denuo locus fit nouae electioni, vacat sedes, & capitulum succedit, *can. quoniam. 75. dist. & can. quoniam. 100 dist. d. cap. si episcopus de suppl. negl. praelat. infra.*

XXX. Consecratio iurisdictionem confert, simul & ordinem, & fieri debet publice in ecclesia, dum missae celebratur officium, *cap. quod sicut. hoc tit. a tribus ad minus episcopis*, ita ut hic numerus videatur de substantia consecrationis, secundum gloss. in *cap. ne episcopi. de temp. ordin. infra.* idque probat ex *can. ult. 66. dist. contra canonem 1. apostolorum: Episcopus a duobus, vel tribus episcopis ordinetur.* Apud SIDONIVM *epist. 25. lib. 4. Euphronius, & Patiens Ioannem consecrarunt, quem creauerunt ambo; Euphronius testimonio, manu Patiens, ambo iudicio: vbi SAVARO* anxius est quomodo id factum, ut duo consecrarint contra *canonem 39. concil. Carthag. III. BALSAMON ad can. 13. Carthag. syn. scribit primitus quidem hunc canonem non fuisse obseruatum: ita ut huic incommodo synodus NICAENA prospexerit, can. 4. quo factum existimem, ut de consecrationis ordine trium numerus fuerit factus, & aliter consecratio facta, licet characterem imprimat, tamen effectum tollit. ARCHID. in can. quid sit. de consecrat. dist. 2. & GEMINIANVS in cap. degradatio. §. poterit. de poenis, in 6.*

XXXI. Vno tantum casu ab vno episcopo consecrationem fieri posse docet *cap. 27. constitutionum Apostolicarum, tit. 8.* Si propter persecutionem, aut aliam grauem causam plures adesse non possint; dummodo afferatur decretum commissionis *Ψήφισμα τῆς ἐπιτροπῆς* plurium episcoporum, quod decretum vix hodie probaretur.

XXXII. In archiepiscoporum consecrationibus olim omnes suffraganei interesse debuerunt, aliter factae irritae erant, *can. 1. 66. dist. quod confirmatur, cap. si archiepiscopus. infra. de temp. ordin.* hodie non obseruatur: glossa, horum peculiariter consecrationem summo pontifici reseruatum fuisse coniicit, omnino male, ex *can. pudenda, 24. q. 1.* Iuri enim communi nil derogatum, sed tantum sibi praecipuam habuit papa pallii datio-

tio-

tionem, quod plenitudinem potestatis confert archiepiscopis, qui sola consecratione non omnimodam potestatem consequuntur, cum episcopos consecrandi ius non habeant, §. 1. can. quoniam. 100. dist. sed tantum confirmandi, licet aliis possint demandare consecrationis munus, cap. 1. infra, de translat. cap. quod sicut. hoc tit. & sic intelligi debet, cap. suffraganeis. hoc tit. mirum tamen, ut demandare aliis possint, quod ipsi non habent.

XXXIII. Tanta vero privilegia sequuntur consecrationem tam episcoporum, quam archiepiscoporum, ut papae fratres fiant, IVO CARNOT. epist. 8. quos ipse in omnibus rescriptis hoc nomine nuncupat, electos vero filios dicit, cap. sane de renuntiat. cap. coram de off. & potest. iud. cap. quam graui. infra, de crimine falsi. imo & cardinales, qui non sunt episcopi, cap. dilectus infra, de excessib. praelat. tantusque honor consecrationi datur, ut singulis annis olim solennis eius memoria fieret, can. solemnitates & seq. de consecrat. dist. 1. in martyrologiis mentio fit ordinationis s. AMBROSII, dicebatur natalis episcopatus: in veteri fragmento translationis S. Martini: scitis quia post hoc triduum natalis episcopatus eius esse consueverat, sicut natalis imperii apud TACITVM 6. Annal. & SPARTIANVM in ADRIANO; & quod maius est, olim reus vnus e carcere liberabatur IVO CARNOT. epist. 53. vita S. Aniani apud Sur. tom. 6. die 17. Nouembris.

XXXIV. Haec autem omnia, quae de electionibus diximus, ad omnes dignitates, personatus, & alia officia ecclesiastica pertinere dubium non est, d. cap. cum in cunctis. §. inferiora. utpote praeposituram, cap. dudum: canonicatus, cap. cum ecclesia: decanatum, cap. cum in iure: abbatiam, cap. causam. cap. cum inter. & cap. ad nostram: ecclesiam parochialem. cap. querelam. prioratum, cap. sacrosancta. atque etiam ordines sacros, presbyteratum & diaconatum. can. 3. syn. 7. imperatorum etiam, cap. venerabilem. hoc tit.

XXXV. Quorum omnium electio tribus modis supra dictis fieri debet, non quidem viuentem, aut in extremis alio agente, vel nondum sepulto, cap. bonae 36. hoc tit. sed tribus hinc diebus, can. nullus 79. dist. quod glossa non admittit, imo simul ac ecclesia, vel beneficium vacat, statim ad electionem procedi posse contendit, quod maior pars doctorum sentit, cum tantum obitus fiat mentio in can. episcopo. 8. q. 1. idque, quod supra dictum est magis honestatem, quam necessitatem respicit.



TITVLVS VII.  
DE  
TRANSLATIONE EPISCOPI.

I. **H**ic titulus pertinet ad superiores, agit enim de genere ultimo electionis a nobis proposito: sed ideo peculiarem titulum fecit GREGORIUS, quod translatio non fit minoris ponderis, quam electio; nec temere, ac inconsulto fieri debeat, ne inconstantiae vitium inuratur; tum, quod olim episcopatus, presbyteratus, diaconatus, & minores ordines nulli absque titulo, sine altari, sine paroecia, aut officio ecclesiastico darentur, cui nominatim adscribebantur, & a quo diuelli non poterant, *can. sanctorum. 70. dist.*

II. Ideo Carthag. synodus III. equiparat translationes, & reordinationes, quasi is, qui mutat ecclesiam vel officium, reordinetur; imo etiam rebaptizationes, quae nunquam, aut raro fieri possunt, *can. non licet. de consecr. dist. 4.* vnde fit, vt quoties aliquis ad episcopatum vel ordinem sacrum, vel officium ecclesiasticum promouetur, ordinari & certo negotio specialiter adstringi dicatur, non vero ἀπολελυμένως absolute, *can. 6. concilii Chalced.* relato in *can. neminem. d. 7.* id est, vt sacras functiones, quibus locis libuerit, exercere possit, iuxta ZONARAM ad hunc locum: vagandi enim & excurrendi licentia olim maxime exosa, ita vt nullus absque literis commendatitiis alio pergere possit; quod vtinam hodie fieret: sed proh dolor! ordinantur aliquando vilia capita sine titulo, sine beneficio, sine officio, quae magno ecclesiae scandalo per orbem discurrunt.

III. Ergo translatio episcopi in aliam dioecesim caute fieri debet, & raro; inde KRANTZIVS *lib. 9. metrop. cap. 45.* suis temporibus coepisse frequentari translationes ait, quae antea non nisi magnis & ponderosis de causis fiebant. Non quidem prohibita fuit olim translatio, sed tantum permessa cum aliqua rationabili causa, ὡς πλεον κέρδους, id est, propter maius lucrum. *can. 14. & 15. Apost.* quod *lucrum, populi utilitatem* interpretantur ZONARAS & BALSAMON, non vero reditus pinguior: quibus hodie inhiant, qui episcopatum deserunt, vt alium assequan-

F

tur:

tur: quod lucrum malum dicit IVSTINIANVS *non. 3.* quo casu nullus sponte ad aliam dioecesim transire potest, sed cum iussu & auctoritate synodi, & multorum episcoporum iudicio commonitus de minori ad maiorem, de populosa ad populosiorum, & de nobili ad nobiliorem, vt loquitur INNOC. III. mandans episcopo Nannetensi Pictauios transire in *epist. 498. lib. I. regist.*

IV. Haec translatio dicitur proprie *μετάθεσις*; alia est *μετάβασις*, id est *transitio*, quae etiam licita est, quando quis episcopatum non habet, vel est eiectus, vel alio pacto destitutus, qui episcoporum iudicio in vacantem ecclesiam transire iubetur.

V. Est etiam *ἐπίβασις*, *inuasio*, quae fit malis artibus; nullo consilio, cum quis propria auctoritate inuadit ecclesiam, quae omnia optime distinguit BALSAMON in *supplementis ad can. 15. syn. Nicaenae*, & ita docet intelligendos *can. 2. syn. Sard. & canonem 16. syn. Antioch.* Eadem ratione presbyter, diaconus, aut quiuis alius in aliam ecclesiam, vel ministerium inconsulto proprio episcopo transire prohibetur, *can. 15. Apost.*

VI. Successu vero temporis effectum est, vt translationes, vtpote in maiorum causarum numero positae, soli summo pontifici fuerint reseruatae, vt est in *cap. quod translationem. infra. de off. legati*: quia opus fuit dispensatione, quae ab alio concedi non potuit, *cap. 1. 2. & 4. hoc tit.* ideo in *can. mutationes. 7. q. 1.* addita sunt haec verba a GRATIANO, auctoritate huius sanctae sedis, *& non tamen sine sacrosanctae Rom. sedis auctoritate & licentia*, quae desunt in editionibus decretalium epistolarum; eadem ratione, qua supra diximus confirmationes fuisse reseruatas sedi apostolicae, ita vt nec legatus id ius habeat, nisi speciali indulto. *cap. si abbatem. §. fin. de elect. in 6. in d. cap. quod translationem.*

VII. Non ita de abbatibus, sicut de episcopis; illorum enim translatio non ad papam iure ordinario pertinet, *can. abbas 18. q. 2.* nisi immediate pendeant a Romana ecclesia, *cap. cum venerabilis. de consuetud. cap. ult. de renunciat.* Hodie in Gallia abbatum translatio sedi apostolicae reseruata etiam fuit, transactione regni generali.

VIII. Clericorum vero vero mutationes ad episcopum plane spectant, *can. 15. Apost. & can. 16. Nicaenae syn.* ita, vt cogendi sint ab episcopis, qui eos vel ad altiores gradus, officia grauiora, & digniores ecclesias propter ecclesiae vtilitatem, non vero ad minores, prouehere

volunt, vt recte annotat BALSAMON ad *can. 34. syn. Carthag.* ipsi vero citra voluntatem episcoporum alio transire, vel alterius iurisdictioni se subiicere nequeunt, *cap. significasti. inf. de foro compet.* Idem de monacho sine sui abbatis licentia, *cap. non est. inf. de regularib.* Et haec quidem de translationibus episcoporum, abbatum, & ceterorum.

IX. Est etiam alius translationis modus non omittendus, non quidem personarum, sed locorum, & ecclesiarum, seu sedium episcopaliū, quod fieri non potest propria & singulari voluntate episcopi, sed causa cognita, *μετὰ συνδικῆς διαγνώσεως*, inquit BALS. ad *can. 74. syn. Carthag.* tribus potissimum de causis: ob persecutionem, *can. temporis. 7. q. 1.* ob difficultatem locorum, veluti aeris intemperiem, *arg. can. quorundam. 74. dist.* ob meliorationem, *can. si quis vult. 16. q. 7.* quae distinctio est D. AUGUSTINI in *can. tribus. de consecr. d. 1.* quod & de abbatibus, & aliis ecclesiis dicendum; adhibito nempe consensu episcopi, & fratrum, in *d. can. si quis.* & apud INNOC. III. *epist. 179. lib. 1. Regesti.*

## TITVLVS VIII.

DE

## AVCTORITATE, ET VSV PALLII.

I. **H**ic titulus pendet a superioribus, quibus de electionibus, translationibus, confirmationibus, & consecrationibus episcoporum egimus, quibus addi debuit *pallii* traditio, in augmentum plenariae potestatis archiepiscoporum, & metropolitanorum.

II. Sine eo enim fastigium pontificiae dignitatis non attingunt, nec vere, & proprie archiepiscopi appellari possunt, *cap. 3. hoc tit.* nec episcopos consecrare, synodos celebrare, ordinare clericos, conficere chrisma, *cap. quod sicut. supra, de electione*: licet olim hoc fieret, vt licet colligere ex *epist. 1. GREGORII VII. lib. 9.* Non quod pallium quidquam addat consecrationi iam factae quantum ad ordinis ministerium, sed potius ad plenitudinem iurisdictionis.

III. Hoc non tam ex veteri ecclesiae instituto, quam ex apostolicae sedis, & totius Europae consuetudine fieri dicit PASCHALIS II. in *cap. 21. in 1. compil. cap. ad honorem. hoc tit. Priscam sedis apostolicae consuetudinem.*

F 2

nem.

nem vocat GREGORIUS, *epist. 50. lib. 4.* idque in signum obedientiae & subiectionis, cui magis adstringuntur archiepiscopi, quam episcopi, maior nobis sollicitudo ecclesiarum, & cura populorum, propter pallia credita, & recepta, quam ceteris episcopis incumbit, ait S. BONIFACIUS Mogunt. *epist. ad Cuibertum*; nam tunc iuramentum praestant fidelitatis, & fidei catholicae unitatem profitentur: sed & facultatem consecrandi episcopos accipiunt, quae cum olim tota esset penes summum pontificem, hoc signo concessa fuit archiepiscopis, *d. cap. 21.*

IV. Imo potestas ipsa summa & suprema aliquatenus pallio communicatur ipsis archiepiscopis, & metropolitanis, qui papae vices supplent. GREG. *epist. praedicta: Quod vero iuxta antiquum morem usum pallii, ac vices sedis apostolicae postulasti, inquit, absit, ne aut transitoriae potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus nostris ac pallio quaesiste te suspicer.* Quae *epist. scripta est ad Vigilium episcopum Arelatensem: RABANVS MAVRVS de ordine Antiphonarii: Propter apostolicam vicem pallii honor decernitur; ideo ab ALEXANDRO III. epistola 23. edita cum epistolis Petri Cellensis archiepiscopus Lundensis, sedis apostolicae legatus dicitur.*

V. Itaque pallii datione fiunt archiepiscopi sedis apostolicae legati: quod tamen ingessit dubitationem glossae in *can. pallium. 100. dist.* ideo dixit privilegio id factum in gratiam episcopi Augustodunensis, sed quare? Quia scilicet pallium iure communi archiepiscopis concessum fuit, idque petentibus; at vero episcopis nusquam, nisi ex peculiari privilegio, quoties summus pontifex eis vices suas conferre voluit.

VI. In Graecia non solum patriarchas, primates, & metropolitanos, sed etiam omnes episcopos palliis uti refert LVITPRANDVS *Cremonensis in legatione ad Phocam, & rationem addit, quod per vim Theophylactus patriarcha Constantinop. obtinuerit posse uti & successores suos pallio, non petita licentia a summo pontifice; quod ius sensim in omnes episcopos Graeciae irrepsit.*

VII. Hi autem episcopi, quibus ius pallii ex privilegio concessum erat, metropolitani, vel archiepiscopi nomine gaudebant, dicti secundi metropolitani a Graecis, ad aliorum, qui iure praecipuo primi dicebantur, differentiam, ut scribit HINC MARVS *Rhem. in opusculo ad Hincmarum Laudunens. c. 17. & BALSAMON ad can. 12. concilii Chalcedon.*

VII. Pallium ergo denotat iurisdictionem in alios episcopos suffraganeos; nec quidquam facit ad sacerdotium, nec ad consecrationem, quo dempto archiepiscopus nil differt ab episcopo: *Alia sunt sacerdotii, alia pallii*, inquit NICOL. I. in *quadam epist. apud Krantzius lib. 1. Metropol. cap. 39.* quae verba ut efficacia repetit ALEX. II. in *epist. ad archiepiscopum Dioclien.*

IX. Pallium est beneficium non personale, sed reale, quod datur ratione loci, & loco adhaeret, ita ut transiens ab una ad aliam sedem nouo pallio sit honorandus, *cap. bonae. de postul. praelat.* nec extra prouinciam deferre potest, *cap. cum super. hoc tit.* nisi gratia speciali sit indultum. *cap. ex tuarum. hoc tit.* Solus Romanus pontifex hoc potest *d. cap. ad honorem.* Sed nec quotiescunque libuerit deferri potest; sed iis diebus quibus definitum fuerit, *can. porro. de consecrat. dist. 1. D. GREGORIUS epist. 54. ad Ioannem: Tibi non putauimus ignotum, quod pene de nullo metropolitano legimus extra missarum solennia usum sibi pallii vindicasse.* Dies quoque quibus ferre pallium licet enumerantur pluribus locis, *dict. epist. Alex. II.* & apud INNOC. III. Consuetudine quidem hic ordo infringi potest, ut idem GREGORIUS respondet, *in epist. 78. lib. 7.* quae omnia expressa habentur *dist. 100.*

X. Utilitatem non exiguam induxit pallii datio, quippe terminos prouinciarum constituit, intra quos quiescere deberent variae sedes episcoporum, & paroeciae, ut *observatione peculiari* docebimus.

XI. Nunc agendum de forma & qualitate huius pallii, cum de ratione egerimus. Pallium torques est, imperii ecclesiastici summam denotans, ad exemplum Romani, in quo imperatores cum maiestatem suam alicui communicare vellent, dabant usum pallii & purpurae, ut constat *EX CAPITOLINO in Albino;* & in Gallia torquati milites dicuntur, qui ordine regio insigniuntur.

XII. Hunc torquem SYLVESTRUM primum gestasse historici docent, quo non tantum ipse, sed eius successores *εις τὰς προελεύσεις* in processibus ad imitationem imperii Romani utebantur; quod ex eo confirmari videtur, cum ante Syluestrum pallii mentio nulla fiat, & primus MARCVS eius successor, hoc episcopo Ostiensi communicauerit, apud ANASTASIUM *bibliothecarium.* Pius imperator Constantinus fidei Christianae

nae zelo incensus ad summam auctoritatem reuocare voluit statum ecclesiae, ideoque ingentia dona, & insignia ei contulit, vt videre est apud eundem.

XIII. Quidam vero pallii originem altius repetunt, a LINO nempe D. Petri successore, & assessore, qui ephod praefulibus in signum auctoritatis concessit. Ephod duplex fuit, vnum quod pro tunica linea sumitur, simplex & lineum: aliud quod nunc superhumeralis est summorum pontificum, ex hyacintho, purpura, cocco, byssoque contextum, vt videre licet apud ANASTASIVM *Sinaitam*, & ARNOLDVM abbatem Bonaeuallis, *tractatu de vltimis verbis Domini*. Huic torqui successisse dicunt pallium; imo & a D. PETRO communicatum; nam & scribit RVPERTVS, *lib. 1. de diuinis officiis, cap. 27*. Maternum a B. Petro missum ad ecclesiam Treuerensem pallium suis successoribus reliquisse, quod scilicet a suo principe acceperat.

XIV. Vt vt fit, communicatum pallium episcopo Ostiensi vtpote omnium episcoporum dignissimo, a quo summus pontifex consecrari debuit, ad primates & patriarchas successu temporis translatum fuit; tum deinde ad archiepiscopos & metropolitanos, postremo ad episcopos singulari quodam priuilegio, vt ex GREGORII *epistolis* notum est.

XV. Illo autem torque imperatorio non vfos fuisse pontifices constat, sed fascia ex candida lana contexta, in modum circuli humeros constringentē, vt docet ONVPHRIVS, quia Phrygium, seu Phrygionicum opus erat arte maxima elaboratum, & acu pictum a Phrygibus, quos primos acu pinxisse refert PLINIVS *lib. 8. cap. 48. En broderie. VIRG. III. AENEID. Et capite ante aras Phrygio velamur amictu*. Cui fastui renuntiarunt pontifices, lana candida contenti, vel etiam bysso, qui apud molles & delicatos non inferior serico, nec lino. Inter lanas gossipium, xylon, & bombyx aestimantur apud PLINIVM *lib. 19. cap. 1. quae Indi ex arboribus colligunt apud PHILOSTRATVM, & ARRIANVM; vel ex conchis marinis apud TERTVLLIANVM lib. de pallio. cap. 76. De mari vellera, quae muscosae lanositatis lautiores conchae comant*. Quibusdam linum, aliis lana apud POLLVCEM; vnde fit vt pallium D. GREGORII ex bysso candente contextum fuerit, nullis acubus perforatum, ad luxum vitandum: nec tantum ex sola lana fiebat pallium, sed simul ex lana & lino, licet contrarium sentiat ISID. PELVS. *epist. 136. lib. 1. Solae cruces infer-*

infer-

infertae filis aureis, & subtemine serico, vel bractea textae erant, **VE-**  
**NANT. FORTVNATVS** agens de pallio Gregorii Turonensis, *lib. 2. epigr. 3*

*Serica cui niueis agnata est bractea telis,*

*Et textis crucibus magnificatur opus.*

Vbi melius forsan legendum, *agnaua*, vt & in quibusdam codicibus: vel etiam imaginibus & picturis illustrabatur, vnde pallium dicebatur *geniatum*, *fait a images, au vis*; sicut apud **CASSIODORVM**, *geniatum tribunal*, apud **CAPITOL.** *in Pio*, *geniatus vultus*.

**XVI.** Licet autem hoc pallium omnibus metropolitanis debitum fuisse videatur, non tamen nisi praesentibus vel obnixè postulantibus datur, vt docet **IVO CARNOT.** *epist. 250. & 254.* fortiter, inquit **GRE-**  
**GOR.** *epist. 5. lib. 7.* quod putem pro arbitrio summorum pontificum factitatum: saepius quippe satis fuit misisse nuntios, *can. quoniam 100. dist.* licet **VRBANVS II.** *epist. ad archiepiscopum Mediolanensem*, se non nisi praesentibus concessisse profiteatur, *quod quidem dignitatis genus nulli ante te nisi praesenti concessum est*, apud **PLATINAM**.

**XVII.** Et hoc quidem pallium de corpore **B. Petri** tantum sumi solitum fuit, *cap. significasti supra, de elect.* quod intelligendum est de altari; quia scilicet altaria primum erigi coeperunt super sepulcra martyrum & confessorum, quae dicebantur *memoriae*. *Primus Anacletus memoriam B. Petri construxit*, inquit **ANASTASIVS**, & adhuc in nostra Tolofana ciuitate in capella **S. Raimundi**, iuxta **S. Saturnini** ecclesiam, altare maius tegit corpus ipsius **S. Raimundi**: super altare autem **D. Petri** summus pontifex benedicit pallium, vnde **VRBANVS II.** *epist. ad Bernardum archiepiscopum Toletanum* ait; *pallium tibi ex Apostolorum Petri & Pauli benedictione contradimus*.

**XVIII.** Praeter pallium aliquando summi pontifices sandalia, mitram, & alia mittebant: ita **IOANNES VIII.** Photio patriarchae Constantinopolitano, imo & crucis ante se deferendae facultatem, raro quidem archiepiscopis & metropolitanis, nisi etiam primatus, aut patriarchatus iure niterentur, sic **ALEX. II.** crucem ante ferre permisit archiepiscopo & primati Sclauoniae & Dalmatiae *in suprad. epist.* & **INNOC. III.** Thessalonicensi *in epistola nuper edita*, quem ab antiquo primum post quatuor patriarchas, & vicarium sedis apostolicae dictum fuisse scribit, *lib. 15. Registri*. Certum est quidem omnes episcopos ius crucis ad collum appen-

appen-

appenfae habere, ideoque *σαυροπάτας* vocatos fuisse in concilio *Constantinop. VIII.* sed & sandalia, mitram, baculum, & cetera ornamenta, quae ad mysterium consecrationis, non ad priuilegium pertinent. Plura hic adiici possent, quae ad iura primatum & reliquorum spectant, quae inferius ad titulos de *maioritate* & de *appellationib.* dicentur.

---



---

T I T V L V S IX.

DE

R E N V N C I A T I O N E.

I. *Renunciatio* aptissime connectitur superioribus, qua locus fit electioni, vel translationi vacantibus beneficiis per renunciationem, siue cessionem: quae quidem non minoris est ponderis, quam cetera mutationum genera; quia frequenter contingebant horum causa, qui vltro & sponte renunciabant, siue spe pinguioris fortunae: raro tamen audiebantur, imo renunciatio prohibebatur non tantum iis, qui digni sacerdotio erant, verum etiam aliis, vt est in *epist. canonica Cyrilli Alexandrini.*

II. Qui enim adeptus est aliquam dignitatem vel officium, & ad ordines aliquos promotus est, iam addictus & mancipatus ecclesiae habetur, & in eo manere debet ad quem vocatus est, *can. clericus. 21. q. 1. perpetuo perseueret*, inquit *can. sanctorum. 70. dist.* exemplo adscriptitorum & conditionalium hominum in *l. defensionis. C. de iure fisci*, qui quidem ad aliam dignitatem, vel officium, vel militiam aspirare non possunt, *l. scripturas C. qui potiores in pign.* De quibus etiam meminit INNOC. III. in *epist. ad Colocensem episcopum lib. 15. Registri & alibi saepius*: qui si recedant ab officio & munere suo, furtum sui faciunt, & vt fugitiui repetendi sunt, *l. cum satis. C. de agricol. & censit. lib. XI.* Ita erat olim in omnibus titulis beneficiorum, quos deserere summum erat piaculum, & qui renunciabant ad id redire cogebantur, *can. non oportet. & can. si qui vero. 7. q. 1.* sicut desertores milites ad suum ducem cum elogio mittebantur, *l. 3. ff. de re milit.*

III. Inter ordinatum & intitulatum alicui beneficio & ecclesiam, matrimonium contrahi dicitur, quod vnus partis tantum arbitrio dissolui non possit: *Contrahitur vltro, citroque per mutuum consensum eligentium & electi, quasi coniugale vinculum spiritualiter est contractum. cap. cum inter canonicos.*

*supra*



*supra*, de elect. cui vinculo electus renunciare sine aliorum consensu non potest: sicut nec post confirmationem, nisi de licentia summi pontificis, ad quem pertinet confirmatio, *cap. inter. sup. de translat. episc. De licentia nostra cedas*, inquit *cap. nisi. hoc tit.*

IV. Summus pontifex solus potest soluere coniugium spirituale; quia tunc non homo, sed Deus cuius vices gerit in terris id exsequitur, *cap. quanto. sup. de translat. episc.* licet enim primatibus, & metropolitanis id concessum fuerit, *can. denique. 6. q. 3. can. 16. synod. Constantinop.* Cautius tamen id ius reseruat fuit ab INNOCENTIO III. vt supra titulo *de electione* notavi; & saepius summi pontifices renunciationem citra manus suas factam comprobarunt, pro pace, & necessitate ecclesiae, vt proficitur ALEX. III. de renunciatione Lingoniensis episcopi coram Aeschilo archiepiscopo Lugdunensi facta, *in epist. 23. edita post epistolas. P. Cellesis*, & in *cap. 1. in prima compil. ad exemplum legum ciuiliū*, quae prohibent abdicationem legati Caesaris, praesidis, & correctoris prouinciae citra auctoritatem principis, *l. penult. de off. praesid.* Apud LIVIUM volentem se abdicare magistratu prohibet senatus & populus, & distinguunt optime iurisconsulti inter abdicationem & cessionem, quod illa Graecis ἀποκήρυξις proprie sit spontanea repudiatio, & declaratio se nolle amplius magistratum gerere, sine vllius iudicio & approbatione, & cessio sit in iure causa cognita, auctore praetore, vel nutu principis, & haec renuntiatio ἀποταγή, καὶ ἐξάιτησις Graecis canonibus, sine nutu, vel summi pontificis, archiepiscopi, episcopi, vel praefecti fieri non debet: quod ideo factum est, ne temere, ac sine iudicio superioris fiant renunciationes, sine probatione ἀδοκιμάσεως ἀποταγὰς vocat *can. 5. syn. I. & II. Constantinop.*

V. In quo aduertimus summam illam rationem temporis ad probationem praefigendi iis, qui monasticam vitam amplecterentur, nempe triennii, quod tempus pro varietate consuetudinum & locorum breuius, vel longius habitum fuit, quo elapso non licebat diutius vagari & propositum relinquere; idem clericis ne beneficia sua episcopo inconsulto deserant, suadet, *cap. admonet & c. pen. h. t.* Sic etiam & de episcopis, quorum non nisi, diligenti & canonica examinatione facta, renuntiatio est admittenda, cum quidam, veluti propter exactorum vexationes, vicinorum inuasiones populi inobedientiam, pusillo & abiecto animo suis episcopatibus renunciant, inquit BALSAMON ad *can. 16. dictae syn.*

G

VI

VI. Casus certi & determinati sunt, quibus cessio admitti debeat, propter conscientiam criminis, ob corporis debilitatem, scientiae defectum, malitiam plebis, graue scandalum, & irregularitatem, super quam dispensari non potest. *cap. nisi. hoc tit.* non vero leuibus de causis, aut propter tranquilliores vitae cursum, utpote monasticae, quod & Gregorium, theologum, & Macrem quendam Dei famulum fecisse perhibetur, cuius examinatam cessionem patriarcha Lucas reiecit, eo quod is renunciaisset non ὡς ἀνάξιος, ἀλλ' ὡς μὴ ἄξιος, non ut indignus, sed potius non dignus, ut idem BALSAMON refert: quod & ita definitum fuit a synodo EPHESINA in epistola ad synodum Pamphyliae, super libellum renunciationis Eustathii metropolitani, qui tamen postea poenitentia ductus honorem & appellationem episcopi sibi concedi postulauit, atque obtinuit; ita tamen ut sacra facere, & quempiam ordinare inconsulto episcopo non posset, quod hodie passim conceditur.

VII. Ad episcopatus vero curam & beneficii possessionem redire non potest, qui rite renunciauit, *cap. ex transmiss. cap. in praesentia. hoc tit.* & licet renunciando iurauerit, id non ad electionem, de qua nunquam cogitauit, extendendum est, ut docet glossa, *cap. clericus. infra, de iureiurando.*

VIII. Qui vero formam renunciationis debitam contempserit, licet illa renunciatio sit nullius momenti, tamen in poenam ipsius valet, quatenus priuetur beneficio; ut de eo qui in manibus laici renunciauit, *cap. quod in dubiis. hoc tit.* quamuis alias renunciatio illicita, quae iure non seruato facta est, etsi nullius momenti, non tamen priuet renunciantem. *cap. admonet. hoc tit.* quia scilicet, sicut de manu laici beneficium accipere grauiissimum est, ita & renunciare in eius manibus, *can. si quis deinceps. 16. q. 7. IVO CARNOT. epist. 131.* Nec obstat *can. Gonsaldus 17. q. 2.* quamuis in manu aduocati renunciauerit, quia id fecit sui non compos, sed morbo coactus: imo & iste aduocatus non erat mere laica persona, sed aliquatenus ecclesiastica; aduocatus enim est defensor ecclesiae, & cui beneficiorum saepe competit praesentatio, *cap. praeterea. § cap. cum autem. infra, de iure patronat.* ut latius suo titulo dicetur infra: licet alias rerum ecclesiasticarum dispositio nulli laico, etiam religioso, competat, ut scribit INNOCENT. III. *epist. 347. lib. 1. Reg.*

IX. Sed nec omnis renunciatio valet, licet facta coram legitimo superiore, nisi etiam id libello, vel supplicatione in scriptis fiat, ut docet D. GREGORIUS *epist. 51. lib. 7.*

TI.

## TITVLVS X.

DE

## SVPPLENDIA NEGLIGENTIA PRAELATORVM.

I. **I**ncuria, & negligentia est species quaedam renunciationis, per quam praelati, & patroni, quibus facultas datur eligendi, vel praesentandi ius suum hac vice amittunt, & ius deuoluitur ad superiorem.

II. Quae quidem negligentia varie sumenda est, quotiescunque electio, vel collatio facta non est, vel iure non facta, vtpote indigna persona scienter electa, quo casu ius deuoluitur ad superiorem, *cap. cum Vintoniensis. supra, de elect.* & hoc tit. si intra sex menses concilio Lateranensi sub Alexandro III. praestitutos electio facta non fuerit, vt de electione archidiaconi dicitur, *in cap. licet, & cantoris. in cap. vlt. hoc tit.*

III. Haec negligentia computatur a tempore notitiae, *d. cap. licet. cap. quia diuersitatem. infra, de concess. praeb.* & hoc in beneficiis simplicibus; nam in praelaturis tres tantum menses conceduntur, propter maius periculum, *cap. ne pro defectu. supra, de elect.* quod statuit INNOC. III. & quantum ad episcopatus, & archiepiscopatus concilio Lateranensi sub ALEX. III. derogatur, & sex mensium tempus pro personatibus & dignitatibus minoribus tantum obseruari voluit *in cap. dilectus. infra, de concess. praeb.* & id non a die vacationis, vt dixi, sed notitiae computandum esse dicitur, *in d. cap. quia in fine,* a quo tempore quis facultatem eligendi vel conferendi habuit; tunc enim vtile tempus habetur, quo experiundi potestatem habet is, cui competit actio, *l. 1. ff. de diuers. & temp. praescript. ex quo cognouit, ait l. 6. de calumniatorib. nec currit ignoranti, sed tantum tempus quod dicitur continuum, l. 2. quis ordo in possess. seruetur,* in qua VLPIANVS bene distinguit, vt dicatur vtile, in quo dies omnes vtilis sunt, scilicet vt per singulos dies scierit, & potuerit. Sic dies creationis numerantur apud VLPIANVM *tit. 22. Cernito in diebus centum proximis quibus scieris, poterisque.*

IV. Quidam tamen generaliter existimarunt notitiam siue scientiam ita spectari, vt nunquam sit in mora, qui nunquam scierit: quod CLEMENS V. ita interpretatur, *in Clement. de concess. praeb. ad tollendas dubi-*

tationes vulgo emergentes, vt tempus tunc demum currat, cum in loco, vel ecclesia beneficii nota fuerit vacatio, aut per se, vel per alium scire quis potuerit: ei enim tunc negligentia imputatur; supina enim & dissoluta ignorantia, est ignorare quod omnes norunt, de qua PAPINIANVS in *l. cum sex. de aedilit. edict.* vocat *παρομίας*, seu voces de via, aut propatulo collectas, quocunque denunciante, vt ait gloss. in *l. item veniunt. §. petitam. ff. de petit. hered.*

V. Imo vero videtur monitio necessaria, ita vt illi ad quos ius conferendi pertinet, sint admonendi INNOC. III. in *epist. 21. lib. 2.* *Idoneis personis*, inquit, *valeas conferre, si iuxta concilii Lateran. constitutionem illi ad quos pertinent ad commonitionem tuam neglexerint ordinare: & epist. 151. lib. 1.* *Canonice moneas, vt infra mensẽ post admonitionem vestram, personam idoneam eligant in pastorem.*

VI. Alia est negligentia, quae fit data opera, vel dolo a scientibus, vel cum impedimentum aliquod est, quo fit vt inutilis fiat & inhabilis ad agendum de iure, sicut de syndico dicitur in *l. 1. §. vlt. quod cuiusque universit.* vel propter crimina, quae eum irregularem faciunt, & inutilem, ita vt pontificale officium exercere non possit, *cap. ex literis. infra, de excessib. praelat.* quae negligentia dolo comparatur in *can. 1. 86. dist. & excommunicationem saepe infert, can. placuit. 11. q. 3.* quam etiam sequitur suspensio vel degradatio. *can. dictum. 81. dist.*

VII. Negligens etiam dicendus est, qui citra crimen & culpam senio aut infirmitate perpetua laborat, cui datur coadiutor, *can. quamvis, & seq. 7. q. 1. & cap. 2. hoc tit. in 6.* & tunc omnis potestas & iurisdictio ad superiorem non deuoluitur, *cap. 1. hoc tit. in 6.* quia iurisdictio non pendet ab archiepiscopo, nec ad eum deuoluitur, nisi via appellationis, sed tota ad capitulum socium suum & consortem, *cap. cum olim. infra, de maiorit. & obedient. & cap. unic. eod. tit. in 6.*

VIII. Negligens etiam dicitur electus, qui munus suae consecrationis intra tempus a iure definitum spernit, *can. quoniam. 75. dist. can. quoniam. 100. dist.* qui propter negligentiam priuandus est munere consecrationis, imo & deponendus; quod solus metropolitanus facere potest: & in eo differentiam agnoscere debemus inter electum & consecratum; quod ille deponi a metropolitano possit, hic non nisi a summo pontifice, ad quem diximus cessiones, translationes, depositiones pertinere. Inde etiam

col-

colligere licet, canones illos, qui ipso iure priuari dicunt episcopum, sententiam requirere, *d. cap. quoniam.* quod etiam sentit PANORMIT. in *cap. cum in cunctis. §. cum vero, supra, de electione.*

IX. Et tunc demum, cum negligentia electi examinata, & episcopus iure suo motus est, ad capitulum spectat ius electionis, & nedum priuato episcopo capituli est prospicere rebus spiritualibus, & temporalibus, sed & oeconomum constituere, *cap. 16. sess. 24. concil. Trid.* Nec enim metropolitanus hucusque manum extendere potest, ἀλλ' ὑπὸ παραφυλακὴν ἔσωσαν τῆ κληρῆ τῆς ἐκκλησίας: id est, *sed sint sub custodia cleri ecclesiae,* inquit *can. 35. syn. VI. in Trullo,* qui refertur in *canone, non liceat 12. q. 2. & folius capituli est administrare, cap. fin. hoc tit. in 6.* quia nempe capitulum in his, quae iurisdictionem tangunt, episcopo succedit, *cap. cum olim. infra, de maiorit. & obedient.* Episcopus siquidem cum capitulo vnum corpus componit, vt diserte scribit ALEXANDER III. in *cap. quanto, & cap. nouit. infra, de his, quae fiunt a prael. sine cons. cap.*

X. Ideoque vacante sede, capitulum confirmat & reiicit electiones, absoluit a sententia excommunicationis; distinctione tamen habita, prout optime distinguit glossa in *dicto cap. cum olim. & cap. illa, ne sede vac. cap. unic. de maiorit. & obedient. in 6.* quae quidem in omnibus iuribus succedere capitulum ait, praeterquam in collationibus praebendarum, quas referuari debere futuro successori contendit HONORIVS in *dicto cap. illa.* quod tamen vix constare potest, propter periculum imminens, si diutius ecclesiae vacent.

XI. Hoc ius accurate seruat nostrum capitulum ecclesiae Tolosanae, cui creandi vicarios, & res ecclesiae procurandi facultas a pluribus retro seculis competit: & notandum, in quo multi peccant, capitulum non tantum posse decernere de rebus ecclesiae, & iurisdictionem assumere, sed & sedem vacantem pronunciare, quamuis sententia priuationis secuta non fuerit: quia dupliciter vacat ecclesia; vere & de facto, cum iam sententia lata est, vel mors intercessit; quo casu nulli dubitant ad capitulum ius omne pertinere; aut vero intellectu & interpretatione ob negligentiae casus supradictos, qui suspendunt electum vel promotum, & inhabilem reddunt, & sedem, quantum ad ecclesiae administrationem, vacantem efficiunt; sedes etenim vacat, nec tamen ecclesia caret episcopo.

XII. Sic censuerunt multi in quaestione diutius agitata, ob negligentiam in petenda consecratione cardinalis de la Valette archiepiscopi electi. Idem existimo in electo nondum confirmato, nondum consecrato, qui ob negligentiam non assumpsit possessionem, nec se immiscuit administrationi: tunc enim capituli est eius supplere vices, quem ecclesia sponsum suum, nisi per confirmationem non agnoscit, *can. sicut. 7. q. 1. cap. inter corporalia. supra, de transl. episc.* & vt negligentiae casus sint aperti, electo primum datur mensis ad deliberandum, num electioni de se factae consentire debeat; postea tres habet menses a tempore electionis ad petendum confirmationem, *cap. quam sit. de elect. in 6.* tres alios ad petendam consecrationem *d. can. quoniam, & can. 2. 72. dist.* Si est archiepiscopus habet adhuc tres alios menses ad petendum pallium, *can. 1. 100. dist.* vt distinguit glos. in *cap. si electio.* in verbo, *aliam. de elect. in 6.* quibus locis semper concluditur capitulum ius habere per tales negligentias nouam faciendi electionem, & consequenter suscipiendi omnem administrationem.

XIII. Sed quia in hoc regno transactione solenni pontificia & regia, electiones sublatae sunt, & regiae nominationi hoc ius attributum est, capitulum cum de nouo eligendi facultatem non habeat, non potest etiam episcopum priuare, & sententiam in eum ferre, sed tantum ius declarandi sedem vacantem, ob inutilitatem, vel alios certos defectus, illaesum & illibatum retinere.

---

## TITVLVS XI.

DE

### TEMPORIBVS ORDINATIONVM.

I. **D**e electionibus & postulationibus praelatorum supra; iam transfundum ad proprium munus ipsorum, quod quidem praecipuum est in *ordinationibus*, in quibus & collationes olim fiebant ecclesiarum, *can. sanctorum. 70. dist.*

II. Institutio ecclesiastica est, vt extra ieiunia quatuor temporum ad sacros ordines nulli promoueantur, *cap. 2. hoc tit.* quod ius est vetustissimum, & a nascentis ecclesiae initio duxit exordium, *can. 13. Apostolorum*; quo constat, tempore ordinationum fieri solita ieiunia. Hoc tempus

pus

PUS ZEPHYRINVS papa congruum vocat, in *can. 31. 75. dist.* quod & S. SYLVESTER solitus fuit obseruare, dum presbyterorum & diaconorum ordinationes faciebat, mense potissimum decembri; vt certum est ex ANASTASIO *bibliothecario, & pontificali*; idque a B. Petro vsque ad B. Simplicium durasse scribit AMALARIVS FORTVNATVS *lib. 2. cap. 1. de eccles. off.* argumento sumpto ex ipso pontificali, in quo reperitur, Simplicium ordinationes fecisse mense decembri, & februario; quod quidem non erat constitutionibus cautum, donec GELASIVS I. quarti mensis ieiunio, septimi, & decimi, quadragesimalis initii, ac medianae quadragesimae die ordinationes fieri debere definiuit, *epist. 9. can. fin. 75. dist.* quem tamen ordinationes non fecisse nisi iisdem temporibus, quibus Simplicius, scribit idem ANASTASIVS.

III. Haec quatuor tempora tandem ita accurate fuerunt obseruata, vt nullus episcopus extra ea ordinare potuerit, & qui aliter egisset, suspensione plecteretur. Exemplum praebet *cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* in quo Clariensis episcopus, quod in vigilia assumptionis Deiparae quemdam in presbyterum ordinasset, ab episcopali administratione suspensus fuit. Simili etiam iure promotus extra illa tempora, ordinum susceptorum fructu carebat, *cap. cum quidam. hoc tit.* hunc tamen rite ordinem suscepisse & caractere insignitum fuisse non est dubitandum, licet ministerium interdictum ei esset, *cap. consultationi. hoc tit.*

IV. Duplex porro tempus in his considerandum est, stata nempe, & certa quatuor anni ieiunia, quibus id licuisse diximus; tum etiam interstitia quae transgredi nemini fas fuit, ita vt certus, & definitus annorum cursus, vnicuique ordini constitutus foret, antequam ad alium perueniri posset, quod clarius expressisse ZOSIMVM indicant eius epistolae, ex quibus sumptus est *canon, in singulis. 77. d.* Tum etiam aetas ipsorum ordinandorum expressa fuit in subdiaconis 20. annorum, in diaconis 25. presbyteris 30. *can. 14. & 15. synodi VI. in Trullo, & tota dist. 77.* quae omnia paululum immutata sunt *concilio Trident. sess. 23. cap. 11. & 12.*

V. Et sicut distincta sunt tempora; ita & ordinationes, ne plures facri ordines vna, eademque die conferri possent, *cap. 13. & 15. hoc tit.* nec etiam minores cum aliquo sacro, nisi alia fuerit loci consuetudo, vt censent doctores in *cap. de eo, & cap. dilectus. hoc tit.* in quo dispensare posse episcopos autumant, sicut in collatione ordinum minorum: non vero vt  
duo

duo ordines sacri conferantur, etsi inueterata regionis consuetudo id tulerit, *cap. 2. hoc tit.* Sed nec ipse metropolitanus id permittet, *cap. dilectus.*

VI. Solus summus pontifex his legibus solutus est, qui vbiicumque, & quodcumque voluerit duos, vel tres, vel simul omnes suprema sua auctoritate conferre potest, *d. cap. de eo.* vel aliis gratiam facere, *d. cap. dilectus.* Sic enim CLEMENS VI. Imbertum Delphinatus principatu abdicato, nocte Natalis Domini ad omnes sacros ordines vno ductu promouit, vt refertur in historia ipsius Clementis, sumpta ex bibliotheca Fuxensi.

VII. Minores certe ordines omnes simul & semel vno, eodemque die, extra quatuor ieiuniorum tempora conferre possunt episcopi, nisi consuetudo obstet, inquit gloss. ad *d. cap. de eo.* Non quidem cum subdiacornatu, quia cum sit ordo sacer separatim dari debet, licet quidam contrarium censeant, vbi consuetudo id facit, cui sententiae inhaerendum vix existimauerim.

VIII. Quod ad locum attinet in ecclesia cathedrali ordinationes fieri debere monet *concilium Trident. sess. 23. cap. 8.* vel si alibi magis idonea ecclesia seligatur, praesente clero, & canonicis adstantibus, quorum consilio & approbatione talia peragantur, *can. 22. concilii Carthagin. IV.* Sicut in omnibus aliis negotiis, *cap. quanto. de his quae fiunt a praelat.*

IX. Qua de re plures sunt constitutiones antiquae & nouae, quibus facile illuditur hoc tempore, dummodo tamen ecclesia illa intra dioecesim existat; non enim fines transgredi potest episcopus *ἐξω τῶν ἐαυτῆ ὁρων*, *can. 35. Apostolorum*; nam hoc casu quidam nec characterem imprimi dixerunt, ac ea quae ab ipso geruntur irrita fieri *ἄκυρα πεπραγμένα can. 13. synodi Antiochenae*, *ἄκυρον εἶναι τὴν χειροθεσίαν*, in *can. 22.* quod etiam refertur in *can. 6. & 7. 9. q. 2.* quia scilicet non est maior defectus quam potestatis.

X. Hoc est, quod obiiciebat IOANNES Constantinopolitanus Epiphonio, quod in sua ecclesia ordines contulisset, *καὶ νῦν αὐθις ἐπιτρέπεις ταυτῶ*, iam tibi ipsi facis potestatem, vt scribit SOCRATES, *lib. 6. cap. 13.* verum tamen contrarium fuit conclusum, characterem nempe impressum rite fore; & quod dicunt constitutiones antiquae nullas esse tales ordinationes, benigno intellectu ad executionem ordinum referri debere scribit gloss. in *cap. eos. hoc tit. in 6.* Ita enim VRBANVS papa II. Hugoni archiepiscopo Lugdunensi rescribit in *can. Lugdunensis 9. q. 3.* quasi per praesumptam  
pro-



proprii episcopi licentiam; quae certe non excusat, nisi dimissoriis literis expressa sit, *cap. 11. hoc tit.*

XI. Idem ius statuitur, si quis episcopus in sua dioecesi alienum clericum ordinaverit, *tota dist. 71.* Inde orta est grauis contentio inter Graecos & Latinos, quod passim Graeci Latinos, Latini Graecos ordinarent, hac de re habeo *peculiarem observationem cap. 9. § 11.*

XII. Monachi eandem a suis abbatibus & praepositis ἡγεμένοις, acceptam licentiam episcopis praesentare debent, *cap. ad aures. hoc tit. § tota dist. 58.* alioquin ab ordinum acceptorum executione suspenduntur. Possunt quidem abbates ex priuilegio minores ordines conferre, dummodo manus impositionem ab episcopo acceperint, & presbyteri gradum consecuti fuerint, ex generali statuto ecclesiae ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνῳ ἐκάστῳ ἡγεμένῳ ποιῆιν, id est, *in proprio monasterio etiam unicuique abbati facere licet cap. 7. synod. Constantinop.* quod ideo factum, ne monachi cellis suis derelictis vrbes obire & episcopos adire cogentur, vt inibi docet BALSAMON.

XIII. Id praecipuum habuerunt omnia ordinum capita, abbates generales S. Benedicti, Cassinenses, Cluniacenses, Cistercienses, & Praemonstratenses, quibus ius annuli, mitrae, & chirothecae datum fuit: cui tamen honori Praemonstratenses renunciarunt, & consequenter ordinum colationem amiserunt, *ne forsitan ex his aliquod elationis supercilium assumerent,* inquit INNOC. III. *epist. 196. lib. 1. Registri.* Non aliis vero, quam suis monachis & conuersis abbates conferre ordines potuerunt, nisi ex indulto & licentia episcoporum, *cap. 10. sess. 23. concilii Trid.* qui si non sibi subditos ordinauerint poenas iuris non effugiunt; simul cum iis qui ordines acceperunt, quibus tamen πρώτῃ σφραγίδι primus character impressus manet, sicut iis, qui ab alieno episcopo acceperunt, *can. 16. Apostolorum.*

XIV. Haec praerogatiua gerendi insignia pontificalia pluribus peperit fastidium, cum sit hic honos tantum episcopis debitus, de quo conqueritur PETRVS BLESENSIS, *epist. 90. insignia episcopalis eminentiae in abbate nec approbo, nec accepto.* & hunc abusum condemnat D. BERNARDVS *epist. 42.* De illa tamen liberalitate a summis pontificibus concessa, cur conqueri non debeant episcopi, scribit fuse GOPFRIDVS *epist. 27. lib. 2.* CLEMENS tamen IV. distinctionem adhibere voluit, vt coram episcopis abbates mitris, gemmis, laminisque aureis vel argenteis vti non

H

pos-

possent, vt refert SIRMONDVS in notis ad eandem epistolam. Hac de re est vltima constitutio CLEMENTIS IV. quam cum aliis penes me habeo.

## TITVLVS XII.

DE

### SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO.

I. **O**rdinationem praecedere debet *scrutinium*; ideo & titulus de scrutinio apponi debuit. Scrutinium est certa quaedam & legitima examinandi forma, *ἐξέτασμον* siue *ἐξέτασις*, Graeci canones vocant, id est quaestionem & criminis inquisitionem, quam *δοκιμασίαν, καὶ τῆ βίης ἀρεσιν*, vitae electionem vocat *syn. VI. in Trullo. can. 22.* haec omnino praeuia esse debebat, vt sine ea ordinati essent deponendi, ex decreto Nicaenae synodi, in *can. si qui sine, dist. 80.*

II. Primitus hic ordo statutus fuerat, vt admitterentur contradictores seu accusatores aduersus ordinandos, vt crimina & defectus in lucem prodirent; & ne tamen passim, & de triuio illi accusatores admitterentur, fiebat prius accusatorum examinatio, *ἀνάκρισιν* vocat *canon 19. concilii Nicaeni*, & BALSAMON *ἐξέτασις* intra tres menses, *Nov. IVSTINIAN. 6. quomodo oporteat episcopos &c.* Id vero non tantum de scrutinio episcoporum, sed omnium clericorum intelligendum est, imo & monachorum, qui olim ab episcopo examinari solebant, *can. 40. & 81. synodi VI. in Trullo.*

III. Haec examinatio triennium durabat, *can. 5. synodi VII. Constantinop.* cui tempori successit annus probationis: vita, mores, doctrina, genus expendebantur, *can. definimus 4. q. 1. & can. omnibus. 2. q. 4.* tam obnixae & fortassis nimium pertinaciter, vt in pluribus regionibus non admitterentur, nisi qui ex ordine sacerdotali ortum traxissent; exemplo Iudaeorum, qui ex tribu Leuitica solum sacerdotes admittebant, & in eo damnat Armenios *syn. VI. can. 33.* quod etiam BALSAMON Atheniensibus, & Mesembriensibus obiicit.

IV. Doctrinae quoque examen sanctum fidei symbolum, & diuina dogmata apprime sciri desiderabat, *can. nulli, & seq. dist. 38.* Quae quidem scriptura sua ordinandi firmare debebant, & his etiam se se inscribere; quod tamen se non vidisse asserit BALSAMON ad *can. 19. syn. Carthag.*  
asserit-

afferitque episcopos tantum, non clericos reliquos, huic inscriptioni adstringi debuisse. Mirum, cum ἐπιγραφὴ nihil aliud sit quam assertio, & in scriptis redacta testificatio doctrinae, quam quis tenere debeat, quae in locum sacramenti corporalis successit, a quo absoluuntur omnes clerici, ut ipsemet BALSAMON agnoscit *ad tit. 9. cap. 27. Photii.*

V. Sicut vero fidei confessionem ordinandi in scriptis mandabant, & ita se inscribebant, sic etiam ex aduerso accusatores per eandem κατάθεσιν periculum sui faciebant, *can. 6. syn. II. Constant.* idemque clericos fecisse BALSAMON non aduertit in *epist. Basilii archiepiscopi ad corepiscopos*, obiectantis, quod praeter suam conscientiam & citra legitimum examen multi ad ordines admitterentur, & pro libitu se se inscriberent, atque in clericorum ordinem referrent: quem sacerdotalem catalogum vocat *can. Apostolorum. 8.* idque prohibet BASILIVS, καὶ μηδενὶ ἐξνεῖται ἑαυτὸν ὅτε βέλεται παρεγράφειν id est, & nemini liceat quando velit seipsum inscribere.

VI. Porro examen fit per priorem diaconum, id est archidiaconum; cuius officium est omnes prius ordinandos examinare, ut quos idoneos repererit, episcopo repraesentent, *cap. ut nostrum. infra, de officio archidiacon.* ideo in hoc capite vnica formula proponitur, qua archidiaconus petat nomine ecclesiae, ut aliquos ad ordines promoueat episcopus, qui tunc prius ab ipso dignitatis testimonium accipit.

VII. Eadem ferme ratione, qua in conferendis ordinibus scrutinium illud obseruabatur, ita & in assignandis ecclesiis, quae presbyteris ad annum commendabantur, ut si incapaces reperirentur, aliis darentur: hoc notat ALEX. III. in *epistola ad Ambianum episcopum, edita post epistolas P. Cellensis: significas*, inquit, *quod praedicto Danieli praescripta ecclesia non fuerit concessa, sed ad probationem usque ad annum commendata.* Quod munus probationis olim dabatur corepiscopis, quos suo tempore exoleuisse refert in illud Basilii, BALSAMO: Et omnes clericos fieri ab episcopis, κατὰ μόνην δοκιμασίαν αὐτῶν, per solam ipsorum probationem.



## T I T V L V S XIII.

D E

ORDINATIS AB EO, QVI EPISCOPATVI  
RENVNCIAVIT.

I. **Q**uae superius dicta sunt, pertinent ad ordinationes, quae fiunt ab episcopis; sed quia distinguendum est inter episcopos veros & legitimos, ideo hic titulus subiungitur, vt sciatur an ordinatio bona fit, quae fit ab episcopo, qui episcopatu renunciauit.

II. Olim episcopi liberius renunciabant suis episcopatibus, quod citra dispensationem summi pontificis fieri non posse supra demonstraui-  
mus *tit. de renunciatione*. Hic distinctio adhibetur, vtrum cessio sedis & loci tantum facta fuerit, an vero ordinis & dignitatis: nam si loci tantum, reseruatur episcopo facultas munia pontificalia exercendi & ordines conferendi; si loci & ordinis, vtrumque amittit, nec quicquam praeter minores ordines conferre potest, quia hi etiam a non episcopis dari potuerunt, *cap. cum contingat. infra, tit. sequenti, can. quoniam, 69. dist. 8. cap. 1. hoc tit.*

III. Quam distinctionem libere non esse admittendam dicent plerique: dubia enim emergunt, vtrum episcopus possit renunciare loco & ordini; loco quidem sine dubio ex indulgentia summi pontificis, vt fufe diximus supra, *tit. de translatione, & de renunciatione*, ordini vero, qui fieri potest? character est indelebilis, sola enim degradatione id fieri potuit: nec tamen id nouum; antiquitus enim plurimos & sedi pontificali, & dignitati, siue ordini renunciaffe constat: vnde est, quod Eustathius in *concilio Ephesino, cap. 1. tom. 2.* cum cessisset episcopatu, lacrymans petiit, vt sibi nomen & honor episcopi relinqueretur, quod factum; ita tamen vt propria auctoritate quemquam non ordinaret, nisi assumtus & vocatus: sic rescripsit *synodus Ephesina conuentui Pamphyliae*.

IV. Solebant plerique episcopi taedio tum laboris & curae, cum solitariae, tranquilliorisque vitae desiderio episcopatibus renunciare, quod damnat *can. hoc nequaquam. 7. q. 1.* quod a perfectiori vitae instituto ad ignobilius descendere viderentur: eadem plane ratione, qua in concilio Aquisgranensi statuitur, ne canonici cucullas monachorum induant.

V.

V. Quomodo igitur potuerint episcopi suis episcopatibus, ac simul ordini renunciare non est expendendum, cum id fieri nequeat, nisi ob crimen, & κατ' ἄρῃσιν praecedentem; idque intelligendum quoad sui officii & ordinis executionem, cum sedem non habeant, nec dioecesim, nemini proprio iure ordines conferre possunt, nisi eo modo, quo & minores a non episcopis conferuntur: quae distinctio est PANORMITANI & omnium fere doctorum, qui & inde colligunt episcopatum esse ordinem.

VI. Sed nec episcopus χολάζων, in ecclesiam vocantem transire, illicque pontificalia exercere propria auctoritate potest. *can. 16. syn. Antiochena.* Illi episcopi dicuntur vagi, errantes, vacantes, seu βακάντιβοι apud SYNESIVM, *epist. 67.* Scoti in *concilio Matisc. II.* Sed cur? vide *peculiarem observationem 14. lib. 1.* Sentiendum est episcopos iuri suo causa cognita renunciare potuisse, sed non ordini & characteri, qui exui non potest, sed quantum ad executionem suspendi: ideoque & qui ordinati fuerint a talibus episcopis, ordines quidem recipiunt, sed ab executione remouentur, donec, si ignoranter promoti fuerint, a proprio episcopo fuerint dispensati, si scienter, a summo pontifice, quam puto, fuisse mentem ALEX. III. in *cap. 1. hoc. tit.* Idem est de ordinatis ab episcopo suspensio, excommunicato, vel schismatico in *cap. 2. & can. ab excommunicatis. & can. ordinationes. 9. q. 1.* Qua de causa cum IVO Carnotensis requisitus a Guilelmo Ebroicensi, electo Dunelmensi, an posset suspensus metropolitanus ordines conferre, remisit hunc ad sedem apostolicam *epist. 157.* FLODOARDVS *lib. 3. historiae Rhemensis. cap. 11.*

## TITVLVS XIV.

DE

AETATE, ET QUALITATE, ET ORDINE  
PRAEFICIENDORVM.

I. **E**t hic quoque titulus ad ordines pertinet, qui alias inscribitur *de aetate & qualitate ordinandorum, & praeficiendorum* in quibusdam libris, & melius vt existimo, vt ex sequentibus patebit, quem auget quarta compilatio, de aetate, & qualitate ordinandorum, praeficiendorum, & ordinantium; quia & hos omnes complectitur.

H 3

II.

II. Distinguuntur ordinationes a praefecturis & officiis, de quibus sequentibus titulis: ordinantur enim, qui sacris initiantur *ἱερωμένοι*, ut sunt episcopi, presbyteri, diaconi, & subdiaconi: ordinantur minores clerici etiam per manus impositionem *διὰ χειροθεσίας ἐπισκοπικῆς*, & characterem accipiunt per tonsuram, *διὰ σφραγίδα ἐπιχειρίδος*, ut docet *BALSAMON can. 13. synodi VII. Constantinop. & can. 77. synodi VI. in Trullo*; nec sola & simplici benedictione id fieri, sed manus impositione docet aperte *can. 33. eiusdem*; quamvis a quibusdam aliud sit scriptum, qui *σφραγίδα* accipiunt pro *ἱερολογία*, cum sit re vera character, sigillum, seu impressio per tonsuram.

III. Fefellit eorum opinionem, quod hanc *σφραγίδα* in modum crucis fieri legerint, quod tamen in omnibus cuiuslibet characteris collatione fieri, non in sola benedictione certum est. Nec quicquam facit *can. 51. Basili ad Amphilochium*, qui distinguit sacros ordines, qui per *χειροτονίαν* fiunt, ab aliis qui per *σφραγίδα*: cum tamen omnes per *χειροθεσίαν*, id est, *manus impositionem* assumantur: nam & baptismus characterem imprimit, *can. displicet. 23. q. 4. characterem dominicum portatis in sacramento quod accepistis*, cum agit de Christianis in genere: idem in *can. quomodo. de consecrat. dist. 4.* & alibi saepe.

IV. Veruntamen characteris, seu manus impositionis plurima est differentia; alia est manus impositio consecratoria, alia confirmatoria, alia curatoria, ut optime notat glossa in *can. manus, 1. q. 1.* Theologi characteris impressionem tribus proprie casibus fieri dicunt, in baptismo, confirmatione, & ordine apud *D. THOMAM*; & hic ordinis character omnes tam minores, quam maiores ordines complectitur: quam etiam differentiam aduertit *ZONARAS ad can. 2. synodi Chalcedonensis*. Sed in hoc est discrimen, quod utrumque & *χειροτονία* & *χειροθεσία* in sacris ordinibus reperitur, in aliis designatio tantum ab episcopo cum *χειροθεσία*.

V. Alia praeterea est manus impositio non valde aliena, quae character imperatoris dicitur in *can. quemadmodum. 23. q. 7.* sicut & in regum unctionibus. *cap. unico, infra, de sacra unctione.*

VI. Alia adhuc est valde inferior, quae solam benedictionem spirituales complectitur, sine characterē *ἑυλογία πνευματικὴν*, de qua *cap. 39. lib. 8. constitutionum apostolicarum*, quod inscribitur, *χειροθεσία ὀρθρινή*, id est *impositio manus matutina*, cum episcopus populum suum benedicit: *ἐπίδε ἐπὶ τὸν λαόν σου, τῆτον τῆς κεκλικότας σοὶ τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς*, id est, *respice populum hunc, hos dico, qui tibi sua capita inclinarunt.* VII.

VII. Altera pars rubricae est, *praeficiendorum*; quo nomine continentur, qui non ordinantur proprie, sed eliguntur, nec inter ordinum gradus censentur, vt sunt dignitates omnes, officia ecclesiastica, & praefecturae, licet aliquando manus impositionem citra *σφραγίδα* ab episcopo recipiant, vt sunt abbatiae.

VIII. Nam abbates proprie praefici dicuntur in *cap. cum contingat, & seq. hoc. tit.* desumpto ex *cap. 1. & 2. in quarta compilat.* Hi dicuntur *καθηγόμενοι*, & praefectura monasteriorum, *ἡγεμενεία*, quam ex episcoporum permissione capiunt abbates, vt scribit BALSAMO *ad can. 14. synodi VII.* nec possunt officium exercere, quin sint sacerdotes, vt idem scribit *ad can. 6. synodi Carthag.* quia & confessiones audire debent, & lectores ordinare, & tonsuram conferre possunt, licet ex laicorum numero possint assumi *ἐξ ἀνάγκης ἐπιτεταί τὸ εἶναι τὸν καθηγόμενον ἱερέα*, id est, *necessario sequitur esse sacerdotem.* Scio quidem & *ἡγεμένους* pro episcopis accipi, & pro quibuslibet aliis dignitatibus, quibus praecipue autoritas data est, apud D. PAULVM *cap. 13. ad Haebreos.*

IX. Archidiaconi, archipresbyteri, decani, primicerii, & alii, qui suo munere funguntur, non per ordinationem & manus impositionem qua character imprimitur, fiunt, sed per solam benedictionem, & ita dicuntur ordinari in *can. nullus. & seq. dist. 60.* vbi ordinatione & institutio promiscue vsurpantur; sicut apud SVETONIVM in *Domitiano: Visum proxima ordinatione praeficere Aegypto Metium Rufum:* vel etiam ordinatione sumitur pro *οἰκονομία* & administratione, vt explicat gloss. in *can. episcoporum 74. dist.* Sic ordinatione sumitur apud eundem SVETONIVM in *Nerone cap. 40.* quod genus ordinationis ad dignitates & officia, quae sequentibus titulis exponuntur, pertinet.

X. De foeminis loqui non est alienum, quae nomine *προκαθημένων* continentur in *can. 11. synodi Laod.* quae & praesidentes, & presbyterae dicebantur: hae quidem ingredientibus foeminis in ecclesiam veluti quodam magisterio fungentes praecerant, ac eas *πρὸς ἑνταξίαν* in suo ordine consistere iuebant, vt ZONARAS & BALSAMO scribunt.

XI. Presbyterae supra annos aliquot post sexagesimum assumebantur: diaconissae vero viduae in anno sexagesimo ex decreto APOSTOLI *1. ad Timoth. cap. 5. χῆρα καταλεγέσθω μὴ ἑλαττον ἐτῶν ἐξήκοντα.* Virgines

gines

gines autem quadraginta annorum ex patrum decreto assumi, dicit BALSAMO ad *can. 19. synodi Nicaenae*, & *can. 40. syn. VI.* Quas quidem ab ecclesia eliminatas existimandum est synodo LAODICENA, prohibet enim ἐν ἐκκλησίᾳ καθίσταται id est, *constitui*, seu *praefici*.

XII. Scio quosdam hoc de ordinatione fumere, alios de manus impositione, nam & in *can. 40. syn. VI. χειροτονείσθαι* dicuntur ex *synodo Nicaena can. 19.* non tantum benedictione fieri, sed etiam consecrari per manus impositionem certum est: & in eo agitur tantum de his virginibus, quae ante quadraginta annos schemate solo contentae, sine manus impositione inter laicas censebantur, non de iis, quae iuxta legitimum tempus consecrationis receptae erant.

XIII. Quicquid sit, & ordinari amplius, & praefici prohibitum esse LAODICAENA synodo dicendum est, quod & confirmat ZONARAS, cum ait, canonem decernere ut eae ultro γίνεσθαι ἢ ἔτως καλεῖσθαι, *ne fiant, neque bis nominibus appellentur*, imo nec benedictionem aliam accipiant, quam quae communiter populo impenditur, ut est constitutum in *can. 26. concilii Aransicani primi*, quod repetit *Epainense can. 11.* quo consecratio viduarum vetatur, sola benedictione simplici reseruata; quam etiam benedictionem propter earum fragilitatem sustulit *can. 18. synodi Aurelianensis II.* In responsis BALSAMONIS ad interrogata Marci patriarchae Alexandrini, *cap. 35.* dicitur propter menstruorum iniquationem a ministerio fuisse eiectas, cum antea gradum, βαθμὸν, ad altare haberent.

XIV. Quin multum prodesse primis temporibus non est dubium, ubi morum feueritas vigeat, ita ut mulieres baptizandae ante presbyteros, aut diaconos non nudarentur, sed frons tantum ab eis vngeretur, reliqua corporis pars a diaconissis, ut rite exponitur in *cap. 15. Constit. Apostolicarum. lib. 3.* ἐ γὰρ ἀνάγκη τὰς γυναῖκας ἀνδρῶν κατοπλέεσθαι: *non enim opus est ut viri inspiciant foeminas.*

XV. Iam persequamur figillatim, quae ad materiam huius tituli pertinent. Aetas & ceterae qualitates desiderantur propter titulos, siue beneficia, sine quibus olim nemo ordines recipiebat, ex *decreto EVARISTI*, & ex *concilio CHALCED.* ordinatio sine titulo nulla erat ipso iure, *can. neminem. 70. dist.* ideo ordinans sine titulo de suo alere tenetur, *cap. accepimus. hoc. tit.* eos scilicet, quos ad sacros ordines promouit, non vero reliquos; quamuis in *cap. 2. infra. de praebendis*, ita fuerit definitum.

XVI.



XVI. Triplex est titulus, vt notum est, beneficii, siue ecclesiae, quae est in ciuitate aliqua, pago, vel martyrio, id est, templo martyribus dicato, vt notat ZONARAS ad *canonem 6. concilii Chalced.* monasterii, vt ibi etiam dicitur; nam licet monachi vulgo ad ordines aspirare non possent, sed laicorum numero censerentur, & missas perraro celebrarent, imo nec audirent, vt constat ex P. BLESENSI *epist. 86. & 123.* habebant tamen aliquos qui in solitudinibus & monasteriis missas celebrarent, vt refertur in *can. Eleutherius. 18. q. 2.*

XVII. Patrimonii quoque titulo ordines dabantur, quod noui iuris esse existimauerim; nam quod glossa in *d. can. neminem. locum possessionis,* pro *patrimonio* intelligit, non est exaudiendum; GRATIANVS enim loco ἡ κώμης id est, *pagi,* possessionis vocem apposuit. Temporibus quidem D. HIERONYMI ad patrimonium ordinatos fuisse clericos quidam conii- ciunt ex *can. vlt. 16. q. 1.* quod aperte dicitur in *cap. episcopus. infra, de praeb.*

XVIII. Inter hos tres titulos praecipuus semper fuit titulus ecclesiae, seu beneficii, cuius causa scrutari merita, aetatem, mores debet episcopus, abbates, praepositi, archipresbyteri, & ceteri ecclesiarum praelati ad sacerdotium promoueri debent, ceteri ad ordinem dignitati & officio conuenientem, *cap. 1. hoc tit. & quidem presbyteri vigesimum quintum annum attingere debent, ex decreto ALEXANDRI III. in concilio Lateranensi, cap. cum in cunctis. supra, de elect. cap. 4. licet eod. in 6. & cap. 12. sess. 23. concilii Trident.*

XIX. Aetas illa vocatur a iurisconsultis legitima, sine qua nemo contrahere, vel officium publicum exercere potest, *lib. 1. ff. de minorib.* Senatores Romae infra hanc aetatem non fiebant, vt scribit DIO CASSIVS. *lib. 51. L. Iunius Tribunus plebis vnicuique magistratui aetatis legem dixit, apud LIVIVM lib. 10.* Seuerior multo fuit Lycurgus qui sexagesimum annum constituit apud PLVTARCHVM, vnde senatus, ac γερουσία nomen accepit.

XX. Multo ergo magis in iis qui ecclesiarum & populi curam suscipiunt desiderari debuit prouectior aetas; in episcopis quidem triginta annorum, *d. cap. cum in cunctis.* quae olim in omnibus presbyteris requirebatur, *can. 14. syn. VI. in Trullo, & can. 11. synodi Neocaesariensis.* Diaconi vero & subdiaconi olim vigesimum quintum annum exigebant, hodie vigesimum tertium, & vigesimum secundum. *cap. generalem. hoc tit. in 6.*

XXI. Equidem in beneficiis curam animarum non habentibus facilius dispensari potest, ut sunt canonicatus ecclesiarum cathedralium, licet personatum, vel dignitatem habeant, cum quibus episcopus dispensare potest, *cap. unico, in 6. hoc tit.* nisi tales sint, quibus sit annexus, ordo presbyteri, diaconi, vel subdiaconi, quorum dispensatio soli summo pontifici reseruat. Quamuis enim concilio TRIDENTINO omnibus ecclesiarum cathedralium canonicis ordo sacer iniunctus sit; tamen id communiter non obseruatur, quoties ab ordinariis canonicatus conferuntur, qui eos conferre possunt iis, qui decimum quartum aetatis annum attigerunt, glossa in *cap. si eo tempore. de rescriptis in 6.* secundum ius antiquum; hac conditione, ut quis vocem non habeat in capitulo, donec ad subdiaconatum peruenerit, *cap. vlt. Clement. huius tit.* Beneficia vero mere simplicia in septennio conferuntur, iure communi, licet concilio TRIDENTINO annus decimus quartus sit expectandus.

XXII. Et quamuis aetas in omnibus ordinibus definita sit ad obtinenda beneficia, papa sine dubio potest dispensare in iis quae curam animarum habent, sicut quantum ad residentiam, *cap. licet canon. de elect. in 6.* unde colligunt doctores residentiam esse iuris positiui.

XXIII. De ordinantibus est vltima pars rubricae in quarta compilat. quam attingere debemus, quia & de his agitur hoc tit. nam non solum ordinandi, sed etiam ordinatores scientia moribus, aetate praestare debent, ne incapaces ordinent: *cap. penult. & vlt. hoc tit.* debent enim inquirere eorum vitam, genus, patriam, aetatem, institutionem, locum vbi educati sunt; si sint bene literati, si fidem catholicam teneant, ut est in *can. quando. 24. d.* ne poenam eandem incurrant, quam in electionibus infligi eligentibus diximus *supra, tit. de elect.*

XXIV. Scientia potissimum ad hunc effectum desideratur, quia ipsi decreta conciliorum, & sacros canones auribus ordinandorum inculcare debent, *can. placuit. 28. dist.* & ut ordinandi ritus & caeremonias ecclesiae discant, & rationem reddant, eis praebere debet ordinans librum officiorum, quem *libellum officialem* vocat *can. quando. 38. d.* qui quidem libellus an sit *κοντάκιον*, de quo toties CODINVS in *lib. de officiis Constant.* BALSAMON in *respons. 5. ad Marcum patriarcham Alexandrinum*, in quo continebantur canones, troparia, odae, *ἕρμῶν, σιχηρὰ, καθίσματα*; & cetera, quae cum modulatione canebantur, ut annotauit GRETSEY. *ad dictum Codinum.*

XXV.

XXV. Denique omnia iuris diuini & humani arcana in scrinio pectoris habere debet, vt ab ordinandis rationem exigere possit, qualiter susceptum officium celebrent, vt est, *d. can. quando*. Ideo inter alia insignia pontifex in veteri testamento rationale officii, seu *λόγιον* ad pectus gestare solebat, in quo erat *δήλωσις, καὶ ἀλήθεια*, id est, *declaratio, doctrina, vel veritas*, praecipua episcoporum munera, vt ex eo admoneretur pontifex, & per eum populus, de his quae in suo officio, sacrificiis, & sacerdotio consideranda forent, *cap. 28. Exodi*. Erat autem illud rationale breuis pannus, ex auro & quatuor coloribus distinctus, palmi magnitudine, cui intexti erant duodecim lapides, virtutum figuram significantes, vt patet ex *d. cap. 28.* & late docet D. HIERONYMVS *epist. ad Fabiolam 128.*

XXVI. Similis consuetudinis solennem obseruationem Aegyptiorum sacerdotes habuisse reperio apud AELIANVM *lib. 14. variae hist. cap. 24.* qui imaginem ex sapphiro ornatam collo gestare solebant: sapphirus enim caeruleus est, & aureis guttulis, siue notis splendens, apud PLINIVM *lib. 2. cap. 9.* qui ad solis radios igneum veluti fulgorem emittit, quo homines seculi negotiis occupatos, qui Deum supra omnia, & proximos sicut se ipsos diligere student, significari docet D. AMBROSIVS in *cap. 21. Apocalypsis.*

---



---

TITVLVS XV.

DE

SACRA VNCTIONE.

I. **N**ec male sequitur titulus iste, quum in ordinationibus *unctio* adhiberi soleat, quam esse multiplicem docet. Alia est *unctio* pontificum, alia sacerdotum, alia regum, alia catechumenorum, confirmantium, infirmorum, & altarium, siue ecclesiarum.

II. Pontificum quidem, quod sumptum est ex veteri testamento, cuius caeremonias, iuxta quas *uncti* fuerunt Aaron & filii eius, describit *cap. 29. & 30. Exodi*. Vnguentum quo *liniebantur* ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia & oleo confectum erat, eaque *unctio* fiebat tribus

I 2

in

in partibus: effundebatur super caput, manus replebantur oleo, vestes etiam perungebantur; quod hodie fere seruatum, ut pontifices nouae legis ad caput & manus vngantur, vestes vero benedicantur.

III. Caput folius pontificis vngitur, ut demonstretur principatus, imitando Dominum, qui caput est ecclesiae; D. AVGVSTINVS: *imitando illum*, inquit, *qui caput est ecclesiae, per vñtionis gratiam fit, & ipse caput ecclesiae sibi commissae: propter auctoritatem & dignitatem*, ait INNOCENT. III. *in hoc tit.* Qua quidem vñtione, ita imprimitur character, ut deleri & tolli non possit; ideoque olim pontifices mitram suam, seu cidarim mouere, & caput detegere prohibebantur, *cap. 21. Leuitici*, τὴν κεφαλὴν ἐκ ἀποκισθαρῶσται id est, *caput suum non decidarabit*, ut vertunt septuaginta interpretes.

IV. Manus vero vnguntur, quia tunc *benedicendi & consecrandi potestatem episcopus accipit*, inquit INNOCENTIVS; quod commune habent sacerdotes cum episcopis, propter sacramentorum administrationem, *can. generaliter. 16. q. 1.* quorum ideo manus repleti & consecrari dicuntur, *Numer. 3. quorum repletae & consecratae manus, ut sacerdotio fungerentur, cap. 13. Paralip. 2. quicumque volebat, implebat manum suam & fiebat sacerdos.* Repleti dicuntur manus, vel ob vñtionem, vel quod ipsi in ipsa consecratione victimas & holocausta offerrent; vel etiam quod eorum manus donis & oblationibus cumularentur, ut & hodie obseruatur.

V. Vñtionem illam sequitur manus impositio, & characteris impressio; & tunc omnis potestas spiritalis impenditur: osculum vero pertinet tantum ad inaugurationem, sicut & orarii, annuli, & baculi traditio, quae sunt mystica iurisdictionis iam impensae insignia. Ideo Marinus legatus veteris Romae in *synodo VIII. Constantinopolit.* introducto Photio scipioni innixo dixit: *Eripiatur illi de manu baculus, est enim ecclesiasticae dignitatis symbolum*; & tunc demum cum depositus aliquis episcopus restituebatur, haec omnia illi reddebantur, *can. 27. concilii Tolet. IV.*

VI. Per baculum iurdictio, & ligandi ac soluendi potestas designatur: INNOCENT. III. *epist. 79. lib. 2. regist.* DVRENTVS *lib. 2. de ritib.* genus praecipuum inuestiturae abbatum & episcoporum esse scribit D. BERNARDVS, *sermone de baptismo.* Baculus ille, alias sceptrum vocatur ab OTHONE FRINSINGENS. *lib. 2. cap. 6. de gestis Friderici I.* vulgo virga pastoralis apud IVONEM *epist. 8. & 236.* & alibi passim. Qua  
qui-

quidem virga, seu baculo olim imperatores sibi ius dandi episcopatus arrogare voluerunt eo potissimum argumento, quod olim in electionibus simul cum clero & populo intercederent, quo etiam iure vfi Christianissimi nostri reges; non quidem vt pastoralis muneris ius impendere cogitarent, sed tantum bonorum temporalium, & fundi ecclesiastici vsum redderent, vt est apud *IVONEM, epist. 60.* quod, quia notissimum, nec probationibus, nec auctoritatibus est confirmandum; cum innumeri libri de inuestituris referti sint. Hoc vnicum adnotandum, solum summum pontificem baculo non vti solitum, inquit *INNOCENT.* non quod incongruum esse iudicet, sed propter duplicem rationem historicam, & mysticam, de qua videnda est *peculiaris observatio 14. lib. 1.*

VII. Annulus vero administrationem familiae, & suppellectilis ecclesiae custodiam designat *INNOC. III. epist. 526. lib. 1. vt in l. cum pater §. pater pluribus de legat. 2.* Sic enim heredes fiebant apud *AELIVM SPARTIANVM in Adriano, VALERIVM MAX. lib. 7. IVSTINVM lib. 12.* quae fuit etiam causa cur pronubis daretur annulus apud *CLEMENTEM ALEXAND. in paedagogo.*

VIII. De vnctione catechumenorum, tum etiam ecclesiarum, & altarium dicetur commodius suis titulis, infra. Restat confirmatio, quae pertinet *εις την τε ελαια χρισιν, ad olei vnctionem*: haec fit more athletarum ad confirmandos Christianos in pugna contra diabolum, *can. spiritus sanctus, de consecrat. dist. 5.* cuius effectus diuersus est ab effectu baptismi, licet vtraque vnctione imprimatur character, passimque omnibus Christianis impendi debeat, *can. omnes fideles, ead. dist.*

IX. Differentia maxima est inter baptismatis & confirmationis vnctionem, quod illa a quolibet sacerdote, haec a solo pontifice fieri debeat, *can. de his, ead. can. quamuis. 68. dist. can. presbyteros. 95. dist.* Cuius differentiae rationem aliam quaerere non debemus, quam quae a *D. GREGORIO* datur; nempe vsus, & vetus consuetudo, *can. 1. ead. dist. 95.* & a pontifice ieiuno, nisi ex magna necessitate, *can. vt ieiuni, & seq. ead. dist. 5. de consecrat.*

X. Regum vnctio dissimilis est a superiore, quae fit in brachio dextro, non in capite, vt olim in veteri testamento, quo sacerdotium, & regnum coniungebantur: imo etsi reges non essent sacerdotes, capite tamen inungebantur, sicut Saul & Dauid a Samuele, Salamon a Sadoco,

Ioas a Ioiada, Iehu ab vno ex filiis prophetarum. Quae vnctio in nouo testamento a capite ad brachium translata est, vt ait hic summus pontifex: plures tamen a capite ad pedes oleo inunctos fuisse constat, vt reges Romanorum ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, apud THEOPHANEM, in *Chronico*: & ita Carolum M. inunctum fuisse refert CONSTANTINVS MANASSES, quod est contra Ordinis Rom. feriem.

XI. Ea vnctio frequentius fiebat ex oleo sacro, licet aliquo communi oleo perunctos, vt Saulem, fuisse constet, Dauidem etiam, quem alii sacro perunctum existimant, & probant ex *Psal. 88. Oleo sancto meo unxi eum*, cuius sententiae est GENEBRARDVS. Oleum sacrum in vasa magna tabernaculi asseruabatur, confectum primum a Moyse, quod durauit vsque ad Babylonis captiuitatem, simili prodigio quo ampulla regum nostrorum inungendorum sanctum chrisma indeficiens suggerit, vt idem asserit; qui & distinctam fuisse regum & sacerdotum inunctionem refert, vt illorum fieret in fronte inter palpebras in modum coronae; sacerdotum vero in modum crucis; vtrorumque tamen vnctio regiam tribuit honorificentiam, vt ait D. AMBROS. in *epist. 2. ad Corinthios*, iuxta illud D. PETRI: *Quia sumus genus regale per vnctionem spiritalem.*

## TITVLVS XVI.

DE

### SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

I. **O**rdinatio, siue ordo est sacramentum, de quo, cum iam dictum sit, merito additur hic titulus, *an sacramenta debeant, & possint iterari*; quorum quidem generalis est lex, vt quatuor repetantur, eucharistia, poenitentia, extrema vnctio, & matrimonium; cetera tria nunquam, baptismus, confirmatio & ordo: quamuis olim & extremam vnctionem repetere non esset licitum, vt ex D. AVGVSTINO, & AMBROSIO probat IVO CARNOT. *epist. 257.* quod effectum fuit *concilio Trident. sess. 14. cap. 3.* contra id quod continetur in *canone, nihil de poenit. dist. 3.*

II. Rationem differentiae sumimus, ex eo quod in illis character non imprimitur, sicut in his: siquidem in baptismo ἡ σφραγὶς πίστεως, character fidei imprimitur, in confirmatione τὸ πληρώματος τὸ ἅγιον πνεύματος,

id

id est plenitudinis spiritus sancti; in ordine vero ἡ σφραγὶς τῆς ἐξουσίας, character potestatis, can. quod quidam, I. q. I. can. licite. 32. q. 7. ideoque iterari non debeant, can. non licet 107. de consecrat. dist. 4.

III. Et quidem in primis baptismum non posse iterari omnes ferre censuerunt, dummodo esset rite factus, alioquin iterum posse conferri dubium non est: licet enim ab haereticis praestetur, modo iuxta formam a Domino praescriptam, valet baptismus, can. ostenditur. & can. ab antiqua. de consecrat. dist. 4. siue a laico, can. in necessitate: siue a pagano. can. Romanos. ead. siue ab apostata. can. nullus. Hoc tantum additur, vt sola eis gratia reconciliationis impendatur, per quam catholicae fidei socientur, can. si re vera. 30. ead. & virtutem spiritus sancti accipiant, can. quamuis, ead. quae datur per manus impositionem, & chrismatis vnctionem, & sanctae eucharistiae communionem, can. si qui apud. can. venisse. can. in ecclesia, ead. & sequentib.

IV. At quoties vel qui baptizant, vel qui baptizantur sanctissimae trinitati; vel tribus personis non credunt, sed vnam negant non adhibita forma, vt sunt Bonosarii & Cataphryges, tunc repetendus est baptismus. Alii repetebant baptismum Christianorum, inter quos Eunomius, hostis infensissimus sanctae trinitatis, contra quos acerbis poenis insurgunt imperatores in l. 1. & 2. C. ne sanctum baptis. reiteretur, & l. domus. 49. & l. haereticorum. 56. Cod. Theod. de haereticis. Marcionitae ter baptismum repetebant, ait EPIPHAN. haeresi 42.

V. In his omnibus non alia distinctio adhibenda, quam quae primum fuit accepta ab STEPHANO I. papa, vt quoties ecclesiae forma seruata non esset, toties iteraretur baptismus, contra sententiam plurimorum, qui nimio zelo quaecumque ab haereticis fiebant condemnabant, vtpote baptismum, ordinationem, manuum impositionem, & similia, iuxta decretum synodi Iconiensis, & Synadensis in Epist. Firmiliani apud S. CYPRIANVM epist. 75. & epistolam concilii Antiocheni apud EVSEBIVM lib. 7. cap. 6. & NICEPHORVM, lib. 6. cap. 7. Fundamentum sumebant ex can. Apostolorum. 68. quo baptismus & ordinatio ab haereticis facta reprobantur ὅτι ἔτε κληρικὸς, ἔτε πιστὸς ποιεῖ, quo neque clericos, neque fideles facit. Haereticos intelligunt Apostoli, qui cum ecclesia catholica non conueniunt, nec eius formam sequuntur; ideo baptismus repetitur, sicut & ordinatio, quod proprie non dicitur reiteratio, quia quod non  
osten-

*ostenditur gestum, non videtur iteratum, inquit, Capitulare 329. lib. 7. Quod si in iis, quae iuxta formam & ritum ecclesiae desiderantur aliquid omissum fuerit, hoc caute supplendum esse dicitur in cap. 1. & vlt. hoc tit. Quae suppletio fieri debet iisdem diebus, quibus & ordines conferuntur. cap. 2. hoc tit.*

VI. Quod attinet ad sacramentum confirmationis, ne iterari debeat iisdem rationibus vtendum est; nam & confirmatio ita olim baptismo cohaerebat, vt coniunctim semper darentur, imo & confirmatio esset perfectio baptismatis, ideoque *τελείωσις* vocatur, & perfectio a s. AMBROSIO *lib. de sacramentis*: consignatio per vnctionem apud PAVLVM 2. *Corinth. 1.* & consummatio ac signaculum diuinum, apud CYPRIANVM *epist. 73.* cuius sacramenti collatio penes episcopos semper fuit, *cap. 10. lib. 3. Apostolicarum constitutionum.* Vtrumque illud sacramentum olim duobus stas temporibus coniunctim dabatur, *capitul. 185. lib. 6.* in festo paschatis, & pentecostes: & simul ac baptizatus aliquis erat, ad confirmationem recipiendam episcopo offerebatur, D. DIONYS. AREOPAGITA, *cap. 2. de coelesti hierarchia*: & tunc demum is vtroque sacramento nasci dicebatur, apud CYPRIANVM *epist. 72.* qui & rationes affert, cur iteratio in tribus istis sacramentis prohibeatur, *lib. de ablutione pedum*: *Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, nemo sacro oleo lita, iterum linit, aut consecrat; nemo impositioni manuum vel ministerio derogat sacerdotum, quia contumelia esset spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille sanctificat.*

---

## TITVLVS XVII.

DE

### FILIIS PRESBYTERORVM ORDINANDIS, VEL NON.

I. Superioribus titulis actum de variis ordinationum impedimentis, quibus & hoc additur circa filios presbyterorum. Quaerendum in primis de quibus agatur *hoc tit.* an de his, qui ante sacerdotium ex legitimo matrimonio nati; an vero post sacerdotium, vel ex matrimonio, vel ex concubitu.

II. Non est hic adducendum vetus iurgium Graecorum circa matrimonium; de his enim agetur *infra, tit. qui clerici, vel vouentes matrim.* Haec tantum hic statuenda regula est, alios dici & esse legitimos ex matrimonio-

trimo-



trimonio sacerdotum ante sacerdotium; alios esse spurios, ex illicito nempe concubitu.

III. Utrosque ab ordinibus arcent constitutiones huius tituli, sed diuersimode; si quidem natos ex legitimo matrimonio ordinari non prohibent vllae leges, praeterquam in paternis ecclesiis, *cap. 3. hoc tit.* ne successio hereditario iure introducatur, *cap. ad extirpandas. 11. hoc tit.* nisi media aliqua persona intercesserit, *cap. ex transmissa. hoc tit. cap. consuluit. infra, de iure patronat. can. apostolica. 8. q. 1.* In quo tamen fraus inesse potest, quippe per mediam personam ad paternum beneficium filii facile peruenire possunt: quod iure ciuili vetitum est, ne tacito fideicommissio legibus illudatur, quae turpes personas institui nolebant, *l. non intelligitur. ff. de iure fisci, §. 1. Instit. de fideicommiss. hereditatib. & vt ait D. HIERONYMVS per fideicommissa legibus illudimus. Ideo l. 45. C. de episcopis & clericis, ait: Nec per interpositas personas.*

IV. Nec solum a beneficiis paternis arcentur filii presbyterorum; sed etiam ab omnibus honoribus, sic in *legibus Longobardorum, tit. vlt. lib. 3.* prohibentur fieri notarii, comites sculdassii, id est pedanei iudices. Ex iusta tamen causa sedis apostolicae iudicio comprobata, successio admittitur, *cap. ex tua. hoc tit.* apud Iudaeos non nisi ex genere sacerdotali, & tribu Leuitica ad sacerdotium admittebantur, quod & sequutos fuisse Armenios docet *syn. VI. in Trullo, can. 33.* quae quidem intelliguntur de filiis legitimis.

V. Et quoties hic agitur de filiis presbyterorum & clericorum, natos intelligere debemus ante sacerdotium, quos cum ad sacerdotium veniebant, patres e domo sua dimittere iubebantur, propter publicam honestatem, eosque tenebantur emancipare, vt essent semoti a confortio reliquorum hominum, *can. 33. syn. Carthagin.* Ideoque nominatim spectaculis & ludis scenicis interesse vetabantur. *can. 15. eiusd. synodi, καὶ ὡσεὶ τὰ τέκνα τῶν ἱερῶν κοσμικαῖς θεωρίαις μὴ προσίεναι,* id est, vt filii eorum qui sunt sacrati ad mundana spectacula non accedant.

VI. Spurii vt turpes personae constitutionibus ecclesiasticis repelluntur, *cap. vlt. hoc tit. cap. consuluit. infra. de seruis non ordinandis.* Talis foboles olim in veteri lege ita erat damnata, vt vsque ad decimam generationem ecclesiae ingressu interdictum ei esset, *cap. 23. Deuteron. cap. per venerabilem, infra, qui filii sint legitimi.* Quod quidam referunt tantum ad sanctuarium,

K

alii

alii vero ecclesiae nomine societatem intelligunt, & coetum Iudaeorum; apud quos manzeres, vtpote extranei, iura ciuium non habebant, non vero intelligendum, vt a sacris & templo arcerentur. Verum nec hoc iure differentiam ponere debemus inter natos ex concubinis, & ex stupro: nam licet illi iure ciuili quasi legitimi haberentur, quia talis consuetudo licita erat *l. 5. C. ad senatus consult. Orphitianum*, iure tamen pontificio talis coniunctio damnatur, *can. audite. 34. dist.*

VII. Hodie haec distinctio adhibetur, vt filii legitimi sacerdotum beneficium paternum adipisci non possint, aliud tamen in eadem ecclesia possint, *cap. ad haec. hoc tit.* cui vulgo opponi solet quod dicitur in *cap. ad abolendam, ne canonicorum filii, maxime spurii, in eadem ecclesia instituantur*, verbum, *instituantur*, ponitur pro *succedant: maxime*, glossa interpretatur, *tantum*; quasi soli spurii prohibeantur, non vero legitimi; cum tamen aequae legitimi ac spurii in beneficiis parentum succedere non debeant: legitimis quidem datum est, vt ad ordines promoueantur, *cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* cuius verba notanda sunt: *sacerdotum vero filios, & maxime in sacerdotio genitos non sinit succedere parentibus consuetudo, ne laicis scandalum generetur.*

VIII. Ita fit, vt filii sacerdotum & canonicorum admittantur in eadem ecclesia, qua pater: sicut de filiis episcoporum dicitur in *cap. ad hoc.* non vero si filii sint illegitimi, *cap. cum decorem. hoc tit.* nisi eo casu, quo monachi fiant in regulari aliqua congregatione, tunc enim ordines eis conceduntur, *cap. 1. hoc tit.* quod & statuit **VRBANVS II.** in concilio *Clavomontensi. can. 25.* & **ALEXANDER III.** in concilio *Lateran. parte 19. cap. 2.* Ratio differentiae petenda est ex *d. cap. ad abolendam*; publicum enim scandalum generatur, quoties in secularibus ecclesiis introducuntur, vbi summus populi concursus fit: non aequae in monasteriis, quae sunt recessus solitariae vitae, & veluti carceres, *can. luminoso. 18. q. 2.*

IX. Ex dispensatione vero summi pontificis, non vero episcopi, filii isti sacerdotum, sicut & omnes nothi ad ordines admitti possunt, si morum honestate & scientia commendentur. *cap. ex tua. hoc tit. can. nasci. 56. dist.* ita vt non solum ad beneficia quaecumque & dignitates promoueri valeant, sed etiam ad episcopatum. *can. apostolica, & seq. ead.* dum tamen dispensatio peculiariter ad episcopatum tendat, vt est in *epist. CLEMENSIS IV. 353. ad Ariminianum Asturicensem electum.*

## TITVLVS XVIII.

DE

SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORVM  
MANVM ISSIONE.

I. **P**ersonis, quae ad ordines admitti non debent, annumerantur serui, qui tam iure ciuili, quam canonico personam non sustinent: sed pro nullis, imo fere pro mortuis habentur, *l. 32. § antepenult. ff. de reg. iuris.*

II. Repelluntur ii, quibus nulla natalium, nulla morum honestas suffragatur, *can. admittuntur, d. 54.* ideo prius libertate donandi sunt, *cap. 3. hoc tit.* quae lex a primis ecclesiae cunabulis fundamentum accepit, & licentiam dominorum expetiit, *can. 82. apostolorum.* facta manumissione secundum iuris solennia, vel testamento, vel per tabulas, vt est in *canone 21. syn. Aurelianens.* III. Quod ideo dicebatur *auētoritatis testamentum in antiquitatibus Alemannicis*, editis a GOLDASTO, *tit. de manumissione*, ubi formula refertur integra, & apud CUIAC. *14. Obseruat. cap. 17. ingenuitatis vel manumissionis titulus in concilio Rhemensi, cap. 1. apud BURCARDVM lib. 2. cap. 26. vel charta absolutionis, apud eundem, τὸ τῆς ἀπολύσεως προγράμμα*, vt loquuntur Graeci. Absolutio idem est, quod manumissio in legibus *Vuisigothorum tit. 1. l. 2. lib. 9.* quia cum serui manumittebantur, vinculis & catenis soluebantur, inde *absolutus* dicitur *manumissus* in *veteribus glossis*, & in *canone 5. d. 54.*

III. Manumissio in ecclesia publicari debuit pro ambone vel vmbone ad lectorium, vulgo pulpitem *δεικτήριον καὶ ἀκρατήριον* apud BASILIVM *Seleucia*, *lib. 2. de Tbecla*, & apud ANASTASIVM in *Leone IV.* Vel etiam manumissio publicabatur ad cornu altaris in *Capitulari 88. lib. 1.* Quod ideo fiebat, ne falsis manumissionibus veri domini seruis suis priuarentur, & in detrimentum rei familiaris.

IV. Olim quidem non sufficiebat scientia & conniuentia dominorum, sed ipsa concessio & liberatio, vt est in *d. can. 82.* tum deinde effecit IVSTINIANVS, vt si seruus in clerum fuisset cooptatus ignorante domino, intra annum dominus ius haberet redhibitionis *ἀναλήψεως*, *can. si seruus, 19. ead. cap. 2. hoc tit.* si vero monachus factus fuerit, datur triennium domino, *can. si seruus. 54. dist.* imo etsi episcopus factus sit sacro vestitu

K 2

ex-

exui, & in seruitutem retrudi debere ait HARMENOP. *tit. 14. lib. 1. nouella vero Leonis 10.* annus ille sublatuſ fuit, & perpetua reuocatio data. Sic legibus *Longobardorum lib. 1. tit. 33. cap. 2.* ſi quis ſeruum ſine voluntate domini clericauerit, reuertatur ad proprium dominum; idem ſi ſeruus monachus factuſ eſſet, *d. nouella Iuſtiniani, & capitulari 227. lib. 5.* reuocatio intra triennium competit.

V. Non ita in epiſcopatu, nam eo ipſo quod ſeruus fit epiſcopuſ, confequitur libertatem, nec redhibitio domino competit, nouella ipſa Iuſtiniani, *cap. 4.* ad exemplum filii fam. *nouell. 81.* quod improbauit LEO III. *nouella 11.* qui quaſi ex profeſſo Iuſtiniani conſtitutioneſ aggredi videtur. Hanc nouellam Iuſtiniani reſtringere debuit BALSAMON ad priuilegium patriarchae Conſtantinopolitani; cuiuſ inſignia facit tanti ponderiſ, vt quemlibet ſeruum per epiſcopalem honorem eximat a ſeruitute, contra iuſ commune, quod nulli ſeruo parciſ; & ita obſeruatum fuiſſe docet IVO CARNOTENS. *epiſt. 102.* qua Beluacenſem electum quidam calumnioſe ſeruiliſ conditioniſ eſſe ſuſpicabantur; *Obnoxietas, inquit, parentum a nullo uiuente legitime comprobari poteſt.* Hac voce utitur *can. 2. concil. Matiſcon. II.* licet SIRMONDVS legendum putet *obnoxiationem.*

VI. *Obnoxietas* ſumitur pro ſeruitute, & pro qualibet alia conditione minus ſeruiliſ, qua continentur liberti, *can. vlt. ead. originarii, adſcriptitii, capite cenſiti, coloni, ἐμόκνητοι,* qui praedia in cenſum publicum relata poſſident & ὁμοδελία, id eſt, conſerui agricolae apud SOZOMENVM; & conditionaleſ, qui alicui certae conditioni ſunt adſcripti *d. can. admittuntur, nouella IULIANI 115. c. 455.* de quo conqueritur AGOBARDVS, *tractatu de priuileg. & iure ſacerdotii: Habeo unum clericionem, quem mihi nutriui de ſeruis meiſ propriiſ, aut beneficalibuſ, ſiue pagenſibuſ, volo vt ordines eum mihi preſbyterum.* Hi omneſ aequaleſ fere ſunt libertiſ, qui operas patrono praeflare debebant fabrileſ, & industrialeſ, ſi iuratae & promiſſae eſſent ex *L. Papia;* at officialeſ natura debebantur ipſi tantum patrono, reliquae quibuſlibet pro voluntate patroni, *l. ſi non ſortem. §. libertuſ, de condict. indebit. l. 9. & toto tit. de operiſ libertorum.*

VII. Vnicum hic notandum eſt, quadaſam eſſe ſpiritaleſ operas, quae retineri & exigi iuſte poſſunt, vt canonicarum horarum recitatio, *cap. nulluſ, & cap. eo libentiuſ. hoc tit. ſacrorum myſteriorum celebratio, can. frequenſ. 54. diſt.* imo etiam & negotia eccleſiae tenentur gerere, alioquin

quia

quin in seruitutem rediguntur, *can. diaconi, 12. q. 2.* ac honorem & patrocinium impendere; ita vt nec testes, nec accusatores esse possint, *can. episcopus. 58. ead. dist. vt quorum, inquit, libertas perniciofa est, fit salutifera seruitus. can. octauo ead.*

VIII. Porro adnotandum est ex supradictis seruos non solum ad sacros ordines promoueri non potuisse, sed nec ad inferiores; omnes enim comprehendit. *d. can. ex antiquis.* Quia tamen haec regula strictius obseruari consueuerat circa ordines sacros, *can. 2. & can. de seruorum. dist. 54.* ideo INNOCENTIVS III. respondet idem ius statuendum esse in subdiaconatu, *cap. miramur. hoc tit.* & quidem certum est omnes veteres canones legem fecisse generalem, idcirco de clericatu loquitur *can. 1. d. distinct.* de gradibus omnibus ecclesiasticis, quorum titulo etiam minores clerici continebantur, *can. de rebus ead.* quod non solum pro ecclesiae honore factum est, sed etiam in gratiam dominorum *d. can. 82.* Et hoc ita religiosum fuit, vt in consecratione episcoporum nominatim praeciperetur, ne seruos promouerent, *cap. consuluit. hoc tit.* atque etiam vulgo cum licentia dominorum non licuit, sed parcius & secundum mensuram, vt ait *capitulare 113. lib. 1.*

## TITVLVS XIX.

DE

### OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

I. **C**ur Raymundus compiler specialem hunc titulum ediderit, merito quaeri potest; cum incongruum videatur primo intuitu actores, procuratores, syndicos, tutores, & huiusmodi homines rationibus alienis obstrictos non posse ad ordines promoueri. Quod confirmat *can. 33. FVLGENTII FERRANDI, vt clerici, apothecarii, vel ratiocinatores, non ordinentur.*

II. An propter praescriptionem fori, qua clerici causam dicere coram iudice cincto non tenentur, ex constitutione SYLVESTRI apud ANASTASIVM? cinctum dicimus, inquit CASSIODORVS in *psal. 29. quando eius fasces, honoresque declaramus,* de quo suo loco: verior & probabi-

K 3

lior

lior ratio est Raymundum compilasse decretales miscendo ius antiquum cum nouo, quamuis suo forsan tempore seruitus non esset in vsu.

III. Certum est enim debitores, & quoscunque rationibus obnoxios, & obaeratos corporum obligationibus fuisse obnoxios, imo seruos fuisse creditorum; & quamuis sublatas fuisse duras corporum obligationes dicat LIVIVS 8. *ab vrbe cond. dec. 1.* non tamen omnino erepti sunt ab eorum imperio, & dominio: ideoque recte dicit *cap. vnicum. hoc tit. ante libertatem adeptam*, id est, nondum rationibus redditis, *ecclesiam infamari*; quia scilicet talis obnoxietas, licet non sit vera seruitus, non tamen longe abest.

IV. Nihilominus certum est apud quasdam gentes seruorum conditionem diutius in ecclesia durasse, & non omnino eliminatam fuisse, quod testantur constitutiones FRIDERICI II. imp. in *regno Neapolitano*, & ipse BARTOLVS suo seculo desisse narrat: vnde fiebat, vt qui alienis rebus essent obstricti, redire ad pristinum negotium cogebantur, vt de curialibus refertur in *can. praeterea. 51. dist.* quorum plerique ludis secularibus, & publicis voluptatibus inseruiebant, *l. Circensium. 20. C. de discussoribus, lib. 10.* Serui enim erant reipub. ac *viscera ciuitatum*, vt ait nouella MAIORIANI, senatores aliarum ciuitatum, praeterquam maioris, vel nouae Romae *l. omnes 33. C. de decurionibus lib. 10.* Ex eorum ordine creabantur tributorum publicorum susceptores, *l. 8. C. de susceptoribus. eod. lib.* Similiter & sacrarum largitionum exactores, quos *Rationales* summarum, vel summae rei vocat, *l. 3. C. si propter publicas pensationes*; vnde & procurator Caesaris *ὁ τῆ μεγίστη πράγματος προσατέων* apud EVSEBIUM vocatur *lib. 2.* vt etiam adnotauit CUIACIVS *obséruat. 32. lib. 8.* idem est actor dominicus apud GREGORIVM TVRONENSEM *lib. 9. cap. 38. & capitulari 3. § 41. lib. 4.*

V. Idem dicendum de priuatarum rerum Rationalibus, qui omnes dicuntur Rationales, quia ratiociniis, siue polypticis obnoxii sunt, & ratiunculas *ἀποσημειωμένα*, *l. 2. C. Theod. de discussorib. λογάρια*, veteribus glossis, reddere tenentur ratiociniorum praepositis, quos Athenienses *λογιστὰς* vocabant, apud PLVTARCHVM & ARISTOT. *Politic. 6.* vnde & *λογιστήρια* scholae ratiocinatorum dicuntur apud IVLIVM POLLUCEM.

VI. De his exactoribus fatius intelligere caput vnicum huius tituli, non de executoribus, suadet ANTON. AVGVSTINVS, cui non assentior; recte enim dicit *executores*, seu *curatores pupillorum ἐπιτρόπους*, quibus prae-

prae-

praecipue testator curam pupillorum & legatorum praestandorum committit in *l. 107. de legat. 3.* quos ideo ministros *ὑπεργῆς Basilica* vocant, *dispensatores legatorum nouella MARTIANI, de testamentis clericorum.*

VII. Licet autem clerici ad tutelam cogi non possint, tamen hortantur eos omnes constitutiones ad curam & defensionem pupillorum, & executionem testamentorum, *can. peruenit. 85. dist.* ita vt ii quibus executio demandatur, tutores improprie vocentur, vel curatores, vt perspicuum est ex *nouella LEONIS 68. ἐπιμεληταὶ* apud LAERTIVM; inde fit vt executio sumatur pro *tuitione, defensione, siue procuratione* in *can. defensiones. 2. dist. 87.* Ex quibus apparet, quam varie se se torqueat glossa in *cap. unico*, recedens a vero sensu horum verborum *procuratores, actores, executores, seu curatores*, quos proprie ad personas pupillorum, magis quam ad alia munera & negotia referre debemus.

## TITVLVS XX.

DE

## CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

I. **P**ersequitur Gregorius ordinum impedimenta; inter quae hoc titulo agitur de corporali vitio; claudos siquidem, caecos, deformes, ac debiles ad munera ecclesiastica non admittendos esse sacrae scripturae docent: quod obseruabant gentiles apud DIONYS. HALICARNASS. *lib. 2. cap. 3.* Pari ferme ratione, qua apud iurisconsultos capite minuti, qui non sunt integri corporis, integrae frontis, ad honores & munia publica non admittuntur, *l. 5. ff. de capit. diminut.*

II. Apostolorum & veterum patrum sanctionibus inter corporum defectus distinctio habita fuit, si fungi officio non sinant: tales quidem non vt polluti, non vt indigni, *ἐκ ὧς μεμιασμένοι* reiiciuntur, sed ob eam tantum causam, ne ecclesiastica officia impediuntur, vt de surdis & mutis loquitur *canon. 78. apostolorum*: ideo vno oculo orbatus, vel aliqua corporis parte oblaesus non est reiiciendus; quamuis in *can. vlt. 55. dist.* vno oculo orbatus casu, & non propria voluntate a sacerdotio repellatur; atque etiam, quod maius est, macula in oculo dubitationem ingerat, in *cap. 2. hoc tit.* quod intelligendum est de graui deformitate quae scandalum pariat,

riat,

riat, cum potius in ordinationibus attendenda sit animi, quam corporis deformitas: licet iurisconfulti in redhibitionibus vitium animi non confiderent, *l. 4. ff. de Aedil. edict.*

III. Si enim vitia quantumlibet leuia in animalibus ad sacrificia destinatis expendebantur; quanto magis in personis Deo dicandis. Maximum sane vitium illud est, quod descendit ex defectu scientiae & morum, *can. ult. 49. dist.* Ideoque PHILO *Judaeus lib. de temulentia*, putat Mosem cum prohibuit spadones & exsecutos ingredi templum Domini, denotasse per sterilitatem corporis, defectum sapientiae.

IV. Est & alius corporis defectus, qui solet esse impedimento, quoties quis seipsum de industria mutilauit, vel exsecuit *can. 22. apostol.* non ita de eunuchis, siue thlibiae sint, qui ab infantia per collisionem fiunt, siue thlasiae qui per ruptionem, contusionem, & compressionem, vel ectomia, qui per excisionem, vt notat CUIACIUS in *l. 6. ff. de liberis & postb. & BALSAMON ad can. 24. apostolorum*, & iurisconsultus in *l. spalonum. ff. de verb. signif.* quo nomine non comprehenduntur, qui ab hostibus, vel per vim excisi sunt, *can. 7. & 8. dist. 55.* vel qui ob morbum, *can. 9. & cap. ex parte, hoc tit.* denique spadones, qui tales nascuntur, non fiunt; quibus nulla corporis pars deest, sed vis tantum & facultas generandi, *l. 9. de liber. & postb.* hos leges ciuiles nec a testamenti factioe, nec a matrimonio, nec ab adoptionibus arcent, *d. l. 6. & l. 40. §. spado. de adoptionib.* spes enim manet, sublato impedimento, vt possint gignere, addit HARMENOPVLVS *tit. 8. lib. 2.*

V. Dixi autem de industria, siue sponte factos eunuchos a sacris prohiberi, non tam rei vitio, quam in poenam temeritatis, *can. 4. 5. & 6. dicta dist. φονεὺς γὰρ ἐστὶν ἑαυτοῦ*, id est, est enim sui homicida, & Dei contrariatur opificio, *d. can. 23. Apostolorum, τῆ Θεῆ ἀρμυργίας ἐχθρὸς*, id est, hostis opificii Dei, *can. 22. Apost.* tales ab ecclesiae ingressu prohibebantur in capitularibus CAROLI M. *lib. 6. cap. 49.* Olim sectio & castratio vulgo in vsu erat; vnde graua mala oriebantur, donec paulatim imperatorum legibus prouisum fuit, capitali poena addita, *l. 1. C. de eunuchis;* quod & IVSTINIANVS generali lege statuit *nou. 142.* vt & antea DOMITIANVS apud SVETONIVM.

VI. Nec



VI. Nec vero solum a sacerdotio prohibentur, qui sponte se se excindendos praebuerunt, quod capitale illis erat, *l. 4. ad leg. Cornel. de sicar.* sed etiam qui iam clero adscripti sunt, dignitatis gradu priuantur, *can. si quis. 55. dist.* ideo sacerdotio priuatum fuisse Leontium narrant *SO-CRATES, lib. 2. cap. 21.* & *THEODORETUS lib. 2. cap. 24.* *ORIGENES* quoque in hunc errorem lapsus est, improbe accipiendo dictum apostoli *MATTH. 19. beatos esse qui se castrauerunt propter regnum caelorum*; cuius exemplo ingens haeresis orta est, vt liceret palam se se excindere apud *EPIPHANIVM, AVGVSTINVM, NICETAM & alios.*

---



---

TITVLVS XXI.

DE

BIGAMIS NON ORDINANDIS.

I. Sequitur aliud ordinandorum impedimentum *bigamia*, quam ipso nascentis ecclesiae exordio a sacris explosam fuisse testatur *canon 17. Apostolorum*, iuxta illud *Leuitici cap. 21. sacerdotes mei non plus nubent.*

II. Vnde factum, vt semper ordines denegati fuerint his, qui binas nuptias fortiti essent; quod Nicaeno concilio fuisse decisum scribit *S. AMBROSIVS epist. 88.* relata in *can. cognoscamus, 34. dist.* & ita ab ecclesia seruatum, vt etiam apud Arianos haec lex locum habuerit, vt scribit *EPIPHANIVS haeresi 30.* Sicut apud gentiles Flamen Dialis monogamiae adstringebatur, apud *PLVTARCHVM* in quaestionibus, *TIT. LIVIVM, & TERTVLLIANVM, lib. de exhortatione castitatis: Certe Flamini- ca non nisi uniuira est, quae & Flaminiis lex est.*

III. Huic sententiae protinus accedunt omnes ecclesiae constitutiones, tam veteres quam nouae. Et quidem bigamia varie accepta fuit; vna & praecipua, quae respicit iterata coniugia; ita vt qui semel vxorem duxit, ad sacros quidem ordines admittatur, *can. vna tantum, & seq. 26. dist.* indignus vero fit, qui secundas nuptias expertus sit; secundae enim nuptiae licet numquam damnatae, tamen veteribus exosae fuerunt, vt dicemus infra, *tit. de secundis nuptiis.*

IV. Bigamus etiam habetur, qui viduam, aut ab alio corruptam duxit, *can. lector. 34. dist. can. si quis viduam. 50. dist. d. cap. a nobis. hoc*

L

tit.

tit. & quicumque non virginem duxerit, *cap. 2. inf. de clericis coniugat. can. curandum. 34. dist.* Imo & quod asperius est, is, cuius vxor adulterium commisit digamus habetur, *can. si cuius ead.* denique ii, qui voto se adstrinxerunt, si deinde contrahere matrimonium velint, τῶν διγάμων ὄρον ἐκπληρῶσαν, id est, *digamorum definitionem, siue poenam impleant*, inquit *canon. 19. synodi Ancyranæ, can. quotquot 27. q. 1.* quae poena varia est; nam praeter sacrorum prohibitionem, alia est in *can. 14. § 60. D. Basilii ad Amphilochium.*

V. Similiter bigamus is habebatur, qui binas concubinas diuerso tempore habuisset, quia concubinae olim vxorum loco erant *can. is qui 34. dist.* quoties eo animo retinebantur, vel ad aliam diuertendi propositum non habebant, *can. solet. 34. q. 2.* Vocabant Graeci concubinam ἡμίγαμον, id est *seminuptam*; sed postea vt scortorum, concubinarum consortium damnatum fuit *l. 7. C. de naturalib. lib.* tum deinde *nouella LEONIS philosophi 91.*

VI. Et ita effectum consequenter, vt priscorum temporum austeritas temperata sit, & tota lex conuersa aduersus eos, qui binas nuptias ineunt, vel viduas ducunt, *cap. vlt. hoc tit. qui irregulares fiunt, cap. tam literis, infra, de testibus*, reliqui vero irregularitatem non incurrunt, *cap. quia circa, hoc tit.* quod defectui nostrorum temporum tribuit PELAGIVS in *can. fraternitatis. 34. dist.* Idem est de nubentibus post votum, *can. quidam. 27. dist.* nisi professionem emisierint, *can. 5. dist. 30.* expressam vel tacitam, *cap. statuimus. inf. de regularib.* qui tamen inter adulteros non censentur, *can. quidam. 2. 27. dist.* Nec etiam bigami habentur, qui in matrimonium iterum consenserunt, dummodo corporum commixtio non sit secuta, *cap. debitum. hoc tit. opere non secuto*, vt loquitur *cap. fin. hoc tit.*

VII. Postremo inter bigamos *hoc tit.* reputantur, qui duarum ciuitatum ecclesiis conscribuntur, vel duo beneficia obtinent, *cap. 10. concilii Chalcedon.* qui enim *ab una ecclesia ad aliam transeunt, velut quadam moebatione id faciunt*, inquit IVO CARNOT. *epist. 154.* atque etiam adulterari dicuntur in *epist. 131.* quod malum diutius viguisse in Gallia conqueritur ALEXANDER III. in *cap. 1. de praebendis, in 2. compilatione.*

## TITVLVS XXII.

DE

## CLERICIS PEREGRINIS.

I. **E**t hic quoque titulus ordines respicit, ad quos *peregrini* non sunt admittendi tam priscis quam recentioribus ecclesiae constitutionibus: peregrini sunt quos τὰς ξένους, id est *externos* vocat *can. 32. apostolorum*, vulgo *alieni* vocantur, qui nempe sunt ex alia parochia siue dioecesi, *can. 1. dist. 71. ex aliena cathedra, can. 21. concilii Milenit.* Nam certum est saepius parochiam sumi pro dioecesi *cap. 15. lib. 4. Capitularium*: sicut e contrario etiam dioecesim pro paroecia *cap. 45. lib. 7. Capitularium, can. 2. concilii Tolet. XII. & can. 4. Carthag. II.* vt notabitur *infra, de parochiis.*

II Aliquando dioecesis nomine intelliguntur primatum vel patriarcharum sedes; sic intelligendus, *can. 9. concilii Chalced.* vbi BALSAMON dioecesim interpretatur, quae multas sub se habet prouincias, cui praeest exarchus: imo etiam summus pontifex totius vniuersalis dioecesis, siue ecclesiae dicitur in *concilio Arelat. I.* sed *hoc tit.* de priuatis tantum agitur, quo cauetur, ne vllus episcopus alterius episcopi dioecesanum assumat, & ciuem sui loci faciat, vt loquitur *can. 42. concilii Africani*, vel instituat, *cap. vlt. hoc tit.* vel ad ordines promoueat sine literis commendatitiis proprii & legitimi episcopi, alias irrita fiat ordinatio, vt statuitur conciliis *Nicaeno, Chalcedonensi, Sardicensi, & aliis can. 1. & sequentib. dist. 71.* nec statuitur iuramento eius, qui iurat se ordinatum, *cap. 2. hoc tit.*

III. Has literas commendatitias differre a dimissoriis notat *can. 11. concilii Chalced.* Commendatitiae dabantur omnibus Christianis peregrinantibus, ne fidei suspensionem ingererent iis regionibus, ad quas proficiscebantur, vt constat ex *D. Paulo 2. ad Corinthios, cap. 3. συσταμας* vocat *can. 8. syn. Sardicen.* Has impius Iulianus inter gentiles exerceri voluit, τὰ συνθήματα τῶν ἐπισκοπικῶν γραμμάτων, id est, *formulas literarum episcopaliū*, quasi simia Christianarum obseruationum, vt hoc figmento gentilitiam religionem attollendo alteram deprimeret, vt scribit SOZOMENVS, *lib. 5. cap. 15. & 16.* Dimissoriae vero solis clericis dabantur,

L 2

qui-

quibus significabatur eos ex voluntate ac dimissione antistitis discessisse, vt ex decreto Sixti refert ANASTASIUS. Has & pacificas vocabant, quia litem & contentionem inter episcopos tollebant in ordinibus conferendis, vt notat BALSAMON. In eo differentia erat, quod clerici qui commendatitias haberent, non possent ab alio episcopo suscipi, id est alienae ecclesiae adscribi, nisi etiam dimissoriae essent adiectae, vt idem BALSAMON ad *can. 10. syn. 7.*

IV. Formatae dabantur episcopis ex ipsius Sixti decreto, de quibus OPTATVS MILEVITANVS, & D. AVGVSTINVS *epist. 163. nouella IVSTINIANI 5.* imo & ceteris clericis, vt plene SIRMONDVS ad *epist. 3. lib. 6.* SIDONII APOLL. Formatae dicebantur quod in his signi episcopalis forma impressa erat, sigillo, seu bulla in illis apponi solita: ideo Graeci vocant *τετυπωμένην*: & licet solius episcopi signum sufficeret, tamen in transmarinis quinque episcoporum sigilla requirebantur, *cap. 1. hoc tit.*

V. Hae literae pro qualitate rei, & negotii, varia nomina assumunt, dicuntur tractoriae, synodicae, circulares, apud BARONIVM ad *annum Christi 142. num. 6.* Episcopi quidem formatas accipere debent a proprio metropolitano *d. can. 8. GREGOR. epist. 8. lib. 7.* quas episcopis significare debebant, vt obtenta licentia eorum prouincias ingredi liceret, & in eis ordines conferre, & cetera munia pontificalia exercere, *can. 13. syn. Antioch.*

VI. Quod facit ad dubitationem, quam plerique mouent, an liceat saltem missam celebrare pontificalem in aliena dioecesi, inconsulto proprio episcopo. BALSAMON priuatim quidem posse missam celebrare inuit, licet id verbis expressis non asserat *ad can. 20. syn. VI. in Trullo,* publice vero minime: hinc ingens fuit querela olim Ioannis Constantino-  
politani contra Epiphanium; *ministros,* aiebat, *ordinaſti in ecclesiis meae dioecesis, & antequam tibi a me potestas permissa, tua ipsius auctoritate sacra mysteria celebraſti;* *ἔϊδ' ὅτι προταγείς παρ' ἐμῆ ἐν αὐταῖς ἐλαττωγῆσας,* scribit SOCRATES *lib. 6. cap. 14.* Non distinguitur publice, vel priuatim id actum fuerit; nam & vtrumque sacris canonibus intelligi credendum est.

VII. Quam dubitationem disertissime aperit AVCTOR *constitutionum apostolicarum lib. 2. cap. 58.* agens de omnibus peregrinis, siue laicis, siue clericis, qui ex sua in aliam paroeciam, siue dioecesim conuolassent, cum literis commendatitiis: quomodo sit diaconus, presbyter, vel episcopus excipiendus, sic episcopum loci admonet, *ἐρωτήσεις αὐτὸν ὡς ἐπίσ-*

κοπε προσλαλῆσαι τῷ λαῷ λόγους διδακτικὰς, ἐπιτρέψεις δ' αὐτῷ καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀνοῖσαι, id est, *rogabis eum, episcopo, ut sermonem habeat ad populum docendi causa, deinde committes ei, ut offerat eucharistiam.* Addit postea, si episcopus peregrinus tanquam sapiens, hunc honorem recuset, coge saltem εὐλογίαῖν impendat. Qui locus valde singularis est, & quem libentius refero, quod hac tempestate etiam in nostra ecclesia Tolosana, episcopus quidam suffraganeus contra mentem sui metropolitani id ius sibi arrogarit.

VIII. Vnico tantum casu id concessum fuisse videtur extraneis episcopis, qui desumitur ex *can. 14. apostolorum*, si sit aliqua causa rationi consentanea ad maius lucrum, & bonum ἐκ ἀφ' ἑαυτῆ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, id est, *idque non ex se, sed multorum episcoporum iudicio*, quod quidem iudicium synodalem permissionem interpretatur BALSAMON; additque quendam episcopum sibi hoc ius voluisse arrogare, tum quod dictus canon poenam non indixisset, tum quod munus episcopale sit docere populum, vel dare characterem, quae sententia damnata fuit synodo.

IX. Quidam etiam episcopos extraneos posse celebrare existimarunt, quoties a populo vocantur, ex *can. 13. synodi Neocaesariensis*, quod constanter reprobatur BALSAMON, nisi episcopo permittente καὶ μετακαλῆται ὑπὸ τῆ ταύτης λαῶ, id est, *etiam si ab eius populo accersitus fuerit.*

X. Quantum vero attinet ad presbyteros, diaconos & ceteros clericos, certum est eos in aliena ecclesia celebrare, vel adscribi sine dimissoriis & consensu proprii episcopi non posse *d. can. 13.* solum patriarcham Constantinopolitanum hanc praerogatiuam habuisse idem contendit ad *can. 10. syn. VII. Constantinop.* Carthaginensem idem ius habuisse refertur in *can. 59. synodi Carthaginensis*; sic archiepiscopum primae Iustinianae, seu Bulgariae, *nouella Iustiniani 132.* archiepiscopum nouae Iustinianae seu Cypri, *can. 39. synodi VI.* vt ab eodem ex priuilegio fuisse indultum refertur, eos παρονομαρίως ἐπισκοπεῖς vocatos reperio.

XI. Simile priuilegium concessum fuit a Zozimo, Arelatenfi metropolitano, & vt omnibus e Gallia Romam euntibus formatas daret, *epist. 5. & 9.* Sed re vera solus summus pontifex id habet pleno & summo iure, reliqui ex gratia & indulgentia; sicut etiam id habet praecipuum, ne qui aliquem ordinem ab eo acceperint, ab aliis episcopis sine speciali dispensatione ad alios promoueri possint, vt est in *epist. 22. lib. 1. Registri*

XII. His addo nec olim episcopis licuisse aliquos suae dioecesis ad clericatum promouere absque dimissoriis, & placitis regiis, quae *praecepta de clericatu* dicebantur in *cap. 19. lib. 2. formularum MARCVLPHI*, quod etiam continetur in *can. 6. synodi Aurelianens. I.* nec id tam iure, quam propter necessitatem & penuriam hominum, ex crebris bellis imminentem, vt refertur in *cap. 120. lib. 1. Capitularium*; nec enim solebant hanc licentiam a principe exigere, nisi qui publicis rationibus, seu polyp-ticis censiti & inscripti essent, vt est apud *FLODOARDVM Rbemensẽm*, *lib. 11. cap. 5.*

---



---

## TITVLVS XXIII.

DE

### OFFICIO ARCHIDIACONI.

I. **D**e iis quibus ordines conferri debeant, actum est; nunc transit ad officium *archidiaconi*, qui ordinandorum curam habere debet. Archidiaconus est primus diaconorum apud *HIERONYMVM epist. ad Eua-grium*. Archileuita dictus est, sicut archiepiscopus, primus & caput episcoporum, archipresbyter, presbyterorum, archicapellanus, capellano-rum in officiis aulae Constantinopolitanae.

II. Primus diaconorum fuit s. *STEPHANVS* patronus nostrae eccle-siae Tolosanae, cuius officium fuit assistendi B. Iacobo apostolo, sicut Ti-mothei Lino & Cleto, Anacleti & Clementis Petro, in *epistola B. IGNA-TII ad Trallianos*, & Laurentii Sixto II. quem ideo dictum fuisse archi-diaconum scribit *ANASTASIVS bibliothecarius in vita ipsius Sixti*; & ita initio nascentis ecclesiae id factum fuisse *caput 6. Actorum* probat, quod confirmat *D. CYPRIANVS, epist. 64. Diaconos post ascensum Domini, apo-stoli sibi constituerunt, sui & ecclesiae ministros.*

III. Septem etiam numero Romae primus statuit *Euaristus*, qui presbyteris per septem titulos, siue ecclesias ministrarent, quos postea per titulos etiam, siue regiones diuisit Fabianus; qui numerus & in aliis po-stea ciuitatibus constitutus fuit, *can. 15. Neocaesariensis synodi*, & ex de-creto Caii papae; horum cura fuit alendorum pauperum per illas regio-nes, quas *diaconias* vocabant apud *GREGORIVM epist. 24. lib. 9. &*  

pas-

passim apud eundem ANASTASIVM, inde dicti fuerunt *regionarii*, postea *cardinales*, quod cardini & custodiae vnus tituli addicti essent.

IV. Nec tamen tantum pauperum alendorum curam diaconi habuerunt, sed etiam legendi euangelium, ministrandi altari, praedicandi etiam, apud eundem GREGORIVM *epist. 44. lib. 4. In diaconatus ordine constituti modulationi vocis non inserviant, quod ad praedicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat*: consequenter omnibus negotiis ecclesiae praepositi fuerunt.

V. Qui numerus cum tanto oneri superesse non posset, auctus est Romae, & quatuordecim constituti, & eorum officium diuisum; vt alii praedicantem episcopum custodirent, ex decreto Euaristi, qui idcirco testimoniales dicti fuerunt. Alii tum in palatio & basilica Lateranensi pontifici celebranti aderant, *palatini* siue *basilicarii* dicti; alii stationibus & litiis, vel precibus publicis intererant, dicti *stationarii*; alii denique pauperum & viduarum necessitatibus prouidebant, ac totius cleri victum procurabant, ex fidelium oblationibus, & ecclesiae redditibus, qui a subdiaconis colligebantur, vt ex perantiquo codice Vaticano refert BARONIUS *ad annum 1075. num. 19.* & ONVPHRIVS.

VI. Eandem diaconorum distinctionem ex D. CHRYSOSTOMO refert *syn. VI. in Trullo, can. 16.* Quorum omnium antiquior dictus fuit archidiaconus, quod nomen primis seculis fuit inauditum fere vsque ad Nicaenum concilium, *can. 58.* iuxta editionem ALPHONSI PISANI: vsurpatur postea a D. HIERONYMO, AMBROSIO, GREGORIO, LEONE.

VII. In huius autem archidiaconi defectum, sequens eius vices supplebat, *can. periektis. 25. dist. vel is*, cui ipse praecipiebat, *cap. 2. hoc tit.* nam diaconi sub eius potestate erant, quorum ipse lites & controuersias componebat, ita & reliqui minores ordines; quippe presbyteris altaris sacrificio intentis, vniuersum orationis officium, & quaecunque ad ecclesiam pertinebant, disponebat, ne aliter laici & seculares magistratus hanc prouinciam vsurparent, vt est in *can. 57. dictae synodi Nicaenae.*

VIII. Quae ratio fuit cur archidiaconi omnium rerum & causarum ecclesiae perscrutatores & examinatores quasi *περιδευται*, & circumcuratores essent, *can. 57. synodi Laodicensae, & can. 14. synodi Neocaesariensis.* Quoties enim aliquid gerendum esset, ipsis demandabatur, quasi etiam missis & tabellariis, qui omnia negotia, epistolas, & literas deferebant; vnde

vnde

vnde Hermes archidiaconus delator fuit epistolarum Rustici Narbonensis ad Leonem papam *epist. Leonis 92*. Silentium verbi diuini indicebant, *epist. D. HIERONYMI ad Pammachium 61*. Archidiacono praecepisti, vt talia disputans conticesceret, & paulo post: quando eum per archidiaconum tacere iussisti. Omnium denique negotiorum promotores erant, & id ius eis concessum a primis temporibus vsque ad postrema fere peruenit, vt ex *d. can. perlectis* patet, & ex decreto INNOCENTII III. in *cap. 7. hoc tit.* Ideo & alae episcopi in dicto Nicaeno concilio, atque oculi episcoporum dicti sunt ex *ordine Romano* in *cap. 1. hoc tit.*

IX. Omnis denique honos post episcopos ad eos translatus fuit, veluti dalmaticae vsus, qui primitus tantum episcopo debebatur ex decreto Syluestri in *can. 6. synodi Romanae*. Et ita factum est, vt archidiaconi officium in summam dignitatem versum sit, & ex demandata iurisdictione, quasi ordinaria ei tributa fuerit, vt constat ex *epist. ISIDORI* in *d. can. perlectis*. Ideoque archidiaconus *secundi ordinis antistes* dictus a SIDONIO, *epist. 11. lib. 4.* & *secundi ordinis sacerdos*, *epist. 25*. Antistes fuit ordine in secundo: quem locum de presbytero non esse intelligendum contra viri doctissimi & religiosissimi sententiam in *observationibus meis* ostendo. Id confirmat PRUDENTIVS in *Coronis*.

*Leuita sublimis gradu, & ceteris praestantior,  
Claustris sacrorum praerat, coelestis arcamum domus  
Fidis gubernans clauibus, votasque dispensans opes.*

Omnes quidem diaconi eandem auctoritatem non habuerunt, sed primus tantum, cui prima sedes post episcopum in ecclesia data est ante presbyteros, *d. can. 57*. Alii erant diaconi inferioris gradus, quos diaconos minores, seu communes vocabant, ita *lib. de officiis aulae Constantinop.* Archidiaconus, *πρῶτος τῶν κοινῶν διακόνων* vocatur: quod factum fuerat propter excrescentem diaconorum numerum, vt vult gloss. in *can. diaconi. 7. dist. 93*.

X. Et sicut archidiaconi episcoporum ministri tantum facti sunt, ita & reliqui diaconi presbyterorum, *can. diacon. 17. ead.* nec tamen omnes diaconi eandem auctoritatem habuerunt sicut primis temporibus, quamuis & se presbyteris maiores esse asserere ausi fuerint: quippe archidiaconi, vt se curis eximerent, plura reliquis sibi subditis diaconis demandabant, sicut primitus episcopi & presbyteri fecerant. Solus archidiaconus τῶν  
ἰερῶν



ἱερὸν βιβλίον, id est, *sacrum codicem* legebat, quod postea omnibus diaconis datum est, teste SOZOMENO, *cap. 19. lib. 7.* & constat dilucide ex *cap. 2. hoc tit.* Et ita parem auctoritatem sibi arrogarunt, & presbyteris anteferri & primas sedes occupare conati sunt; de quo conqueritur D. HIERONYMVS in *can. legimus, dist. 93.* Cum non sic deferrī sacerdotibus viderent, per hoc anteferri se putabant, inquit D. AVGVSTINVS *quaestione ex utroque 101.* quos condemnat *Nicaenum concilium, can. diaconos, & can. pervenit, & Toletanum IV. can. nonnulli, dist. ead.* Et rursus omnis illa dignitas solis archidiaconi referuata est; tamque obnixe, vt ipsi presbyteri effici contempserint, & presbyteratum veluti quandam degradationis speciem existimarint, vnde tres epistolae D. GREGORII *14. 15. 16. lib. 2.* de Honorato archidiacono, quem Natalis episcopus sacerdotem efficere volebat: eiusdem opinionis fuit P. BLESENSIS archidiaconus Bathoniensis *epist. 123.* vir alioquin pius: ita error hic in animos irrepserat.

XI. Nec solum presbyteris, sed etiam episcopis aliquando anteponi voluerunt, & ita eos contempserunt, vt nec ipsis obedirent, altaria sibi erigerent, & populum priuatim colligerent, & regerent, *can. 77. concilii Eliberitan. can. 5. synodi Antiochena, & d. can. diaconos, dist. 93.* iura denique episcopalia perciperent, synodaticum, cathedraticum, auxilia, hospitia, procurationes, & alias consuetudines, *epist. 151.* eiusdem PETRI BLESENS. bona omnia & redditus ecclesiae dispensarent, contra sacrorum canonum regulas, vt probat IVO CARNOT. *epist. 113.* quos talia, non iure proprio, sed de mandato, & ordinatione episcoporum facere debere contendit, nec illis suffragari epistolam ISIDORI, nec ORDINEM ROM. in quibus nominatim episcopi iussio desideratur, quam tamen ipsi spernebant & auaritia moti etiam ius dicebant, D. AMBROSIVS in *cap. 18. Apocalyp. Est & aliud scelus valde pessimum, quod ab iis, qui archidiaconi vocantur, committitur; nam ab adulteris presbyteris pretium accipiunt, & tacendo malum consentiunt, quod per auctoritatem, quam ab episcopis acceperunt, emendare possent.*

XII. Eorum autem potentiam altius quam par fuerat euectam, postea non nisi difficile episcopi fraenare potuerunt, ideo dubiam & incertam fuisse, & de ea dubitasse profitetur INNOC. III. iuris alioquin peritissimus, nec aliunde eam haurit, quam ex *ordine Rom. in cap. 1. hoc tit. & ex epist. ISIDORI in d. can. perlectis,* vt expresse respondet in *cap. ad haec hoc tit. Consuluit tua fraternitas, quid ad officium archidiaconi pertineat, no.*

M

prout

*prout possumus respondemus.* Atque his potissimum fretus testimoniis docet archidiaconum esse oculum, & vicarium episcopi, cui omnis sollicitudo ecclesiae incumbat, clericos in ecclesiis instituat, visitet, suspendat, excommunicet, iudicet, absoluat, & solo sit minor episcopo, imo sit secundus episcopus, ad quem totus labor deueniat, insignibus apud episcopum tantum remanentibus vt ait SIDONIVS, *dicta epist. 11.*

*Ille insignia sumpsit, hic laborem.*

XIII. Dignitates & officia ecclesiastica cum imperio & iurisdictione Graecis ἀρχοντία anam praebuerunt, vt se passim vicarium episcopi asseruerit, eo quod patriarchae & metropolitani vices gereret, temporibus, quibus magis, quam nostris supra suffraganeos episcopos eminebat, vt videre licet apud ZONARAM & BALSAMONEM in *can. 6. synodi VI. in Trullo, & can. 39. synodi Nicaenae*, iuxta editionem TURRIANI: & inde factum est, vt is archidiaconus primas sedes occuparit supra omnes presbyteros, vt hodie passim videmus, licet non vbique id probatum fuerit; ideo BALSAMON distinguit, vt non in sacro tribunali, sacrificii & orationum tempore, nec alias antecellat; nisi tunc demum, cum extra ecclesiae limen propter aliqua negotia episcopi vices gerit.

XIV. Igitur ex his omnibus certum ius statuere debemus, archidiaconum iure proprio non esse oculum & vicarium natum episcopi, sed quatenus ei ab episcopo permittitur; quippe a primis ecclesiae cunabulis nihil potuit, nisi vt minister, *cap. 4. & 5. hoc tit.* hodie vero, quatenus consuetudo indulget; eadem ratione qua olim chorepiscopi, archipresbyteri, & vicedomini episcoporum vicarii dicebantur, in capitularibus CAROLI M. & CALVI, & alibi passim. Ideo GREGORIUS, cuius iussu decretalium corpus compilatum est, omnia haec non aliunde, quam ex consuetudine metitur: locus est insignis in *cap. dudum. de elect.* quod confirmant omnes glossographi in *d. cap. ad haec.*

XV. Inprimis nulla datur archidiacono iurisdictione, nisi in suo archidiaconatu, quantum praebet consuetudo; vel ex statutis cuiusque ecclesiae, quae vim & auctoritatem ab episcopo sumpserunt; ita fit in praesentatione & institutione ecclesiarum, *cap. 4. & ult. hoc tit.* quam, quoties ea vtuntur, ad episcopum referre debent, qui confirmandi, vel infirmandi ius habet, *can. omnes basilicae, & seq. 16. q. 7.* ARNVLPHVS *epist. 27. ad Alexandrum P.* agens de electione archipresbyteri, *cum ab archidiacono facta*

*Et*

*Et ad episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eumque potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare.*

XVI. Nulla quoque visitatio, excommunicatio, suspensio, absolutio archidiacono competit, nisi ex consuetudine, *cap. 1. infra, de eo qui furtive ordines suscepit*; vel quoties curam habet animarum, *cap. cum in cunctis. supra, de electione*, & ita intelligendum *cap. 3. infra, de offic. iud. ord.* Quam distinctionem probat concilium Tridentinum, & eum tantum vicarium episcopi sustinet, qui curam habet animarum, *cap. 12. sess. 24.* non vero alios, qui nec iurisdictionem, nec curam habent animarum, quos nec doctores nec licentiatos, sicut illos esse oportet, vt declarat congregatio. Vnde ius certum statuere debemus, archidiaconos ex vi suae dignitatis nihil tale habere, nisi quatenus antea eis concessum est: quod verba concilii demonstrant in *cap. 3. eiusd. sessionis*; *ubi haecenus visitationem exercere legitime consueverunt.*

XVII. Alias iure communi receptum, archidiaconos nusquam dici vicarios, nisi vnico casu, absentibus episcopis, & nullo vicario constituto, vt quidam doctores censent, quod neque ego verum esse existimo, imo potius ad capitulum totum ius deuolui, sicut fit sede vacante; glossa in *cap. vn. de maior. & obed. in 6.* & doctores in *cap. eam te. de rescript.* Haec fusius tracto, tum propter crebras hodie exortas contentiones, in quibus varie ius nostrum torqueri expertus sum; cum quod ea dignitate functus alias sim.

## TITVLVS XXIV.

DE

## OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

I. **P**ost archidiaconum proponitur *archipresbyter*, primus presbyterorum, primas tenens post episcopum, qualem fuisse Petrum quendam in ecclesia Alexandrina, *πρωτοπρεσβύτερον* dictum refert *SOCRATES lib. 6. cap. 9. nou. IVSTINIANI 123.* quod in his quae spectant ad diuinum officium vices agat episcopi, *cap. 3. hoc tit.* & hac ratione archidiacono anteponatur apud *D. HIERONYMVM epist. 4. ad Rusticum.*

II. Decanus etiam vulgo appellatur in *can. 2. dist. 60. cap. 7. superioris tit.* quia praeesse decem ad minus presbyteris debuerat, ad exemplum

decani militaris apud VEGETIVM, *lib. 2. cap. 13.* & ipsemet esse debet presbyter, sicut archidiaconus esse debet diaconus, *can. 1. & sequentibus dist. 60.*

III. Nomine presbyteri olim parochi intelligebantur, *can. 6. concilii Chalcedon. can. 12. synodi Sardicens.* qui quidem a D. Petro fuerunt instituti viginti quinque in vrbe Roma, & crescente Christiana religione passim non solum in ciuitatibus, sed etiam villis, vt ex DAMASO & ANASTASIO constat.

IV. Statutis ergo presbyteris in minoribus ciuitatibus & villis, qui curam populi haberent, ne episcopi nimis occupationibus & curis implicarentur, inter eos presbyter vnus constitutus est, qui ceteris praeesset, quem chorepiscopum vulgo dixerunt, siue *periodeutam*, id est discursorem & visitatorem, qui obseruare debebat, τὰ ψυχικὰ σφάλματα, id est, animarum delicta, ait BALSAMON ad *can. 57. synodi Laodicensae.* Vnde colligere licet in ciuitatibus, in quibus erat episcopus, munus praecipuum fuisse episcoporum missas coram populo celebrandi, sicut chorepiscoporum, & presbyterorum in reliquis siue vrbibus, siue villis & pagis.

V. Hi chorepiscopi, quia nimiam sibi auctoritatem arrogabant, & nominis affinitate iura episcopalia inuadebant, de medio fuere sublati circa Caroli M. tempora, vt ipsemet contigisse refert in *cap. 119. lib. 6. & cap. 318. lib. 7. capitularium*; quamuis antea reiecti fuissent a DAMASO, vt est in *ep. 5.*

VI. His successerunt archipresbyteri, qui curam haberent aliorum presbyterorum, siue plebanorum, & horum negotia ad episcopum, vel archidiaconum deferrent, *cap. vlt. hoc tit. & cap. 7. superiori tit.*

VII. Hi vulgo etiam decani rurales dicti sunt, ad differentiam ciuitatensium: nam in ciuitatibus & episcopatibus est decanus, siue archipresbyter, qui, vt dixi, vices agit episcoporum, in his, quae missae sacrificium, confirmationem, confessionem, baptismum & eucharistiae ministerium spectant, *cap. 3. hoc tit.* quae omnia sua origine ab episcopo expediebantur.

VIII. Hi presbyteri initio ecclesiae in vrbe Roma dicebantur presbyteri cardinales, quod numero aucto per titulos, siue cardines diuisi essent, ex decreto Anacleti apud DAMASVM. His etiam cura fuit in defectum archidiaconorum, pauperes alendi, atque etiam bona ecclesiae dispensandi τῶν κυριακῶν χρημάτων καὶ πτωχικῶν apud BALSAMONEM in *can. 14. synodi Neocaesariensis.*

## TITVLVS XXV.

DE

## PRIMICERIO.

I. **A**gitur hoc tit. *de primicerio*, qui subest archidiacono, & consequenter de aliis officiis. Primicerius stricte hic sumitur, non ex vera & genuina significatione, quae primam & praecipuam cuiuscunque conditionis dignitatem denotat: nam & archidiaconus dici iure potest primicerius diaconorum, archisubdiaconus subdiaconorum, archipresbyter presbyterorum in libris *Romani ordinis*; ideo sanctum Stephanum, *primicerium martyrum*, vocat D. AVGVSTINVS, *sermone 21.* quia is primicerius dicitur, qui est *ὁ μέγας*, magister & primus in aliquo ordine.

II. Similiter apud CODINVM in *officiis aulae Constantinopolitanae* dicitur primicerius aulae lectorum, notariorum, iudicum, defensorum; idem est primiscrinus, prior scrinii, seu princeps apud LAMPRIDIUM in *Seuero*, & passim in CODICE THEOD. primipilus, centurio primae cohortis *l. 1. C. de primipilo*, quasi primus dominus, *πριμύριος* apud SVIDAM; primiclerus in concilio Emeriteni, sed rectius primicerius, qui primus in matriculam, in tabulas, in ceram relatus sit, *can. perlectis. 25. dist.* quia tabulae appenduntur passim in ecclesiis, in quibus nomina omnium clericorum continentur, quae olim erant ceratae, quo facilius dispungi & immutari possent: sic apud iurisconsultos erant tabulae testamentariae, quae & ideo primae cerae, & secundae cerae dicuntur apud PAVLVM *5. sentent. & IVSTINIANVM, tit. de pupill. substit. VITRVVIUM, lib. 4. cap. 2. Tabellas formatas fixerunt, & eas cera caerulea depinxerunt.*

III. Sed quis in hoc tit. primicerius intelligatur, dubium est, vulgo praecentorem, seu cantorem existimant plerique *ex d. can. perlectis*, in quo munus eius est officia diuina disponere, ordinem & modum psallendi in choro statuere; SIDON. *epist. 10. lib. 4.*

*Hic sollennibus annuis parauit,  
Quae quo tempore lecta comenirent.*

Quem locum viri docti referunt ad munus cantoris, quod vix existimem, quia illic Sidonius hoc tribuit archidiacono, siue secundo episcopo, quod & congruit cum *cap. ad haec supra, de offic. archidiaconi.*

M 3

IV. Vt

IV. Vt ut fit eum, qui cantui praeest, primicerium hoc loco intelligunt plerique quem *canonarchem* vocat DOROTHEVS, *doctrina* II. & CODINVS: *canon* siquidem accipitur pro cantico seu psalterio apud *Etymologici auctorem*, κανὼν ὁ τῆς ὑψώσεως τῆς σταυρῆ, id est, hymnus qui canitur in festo exaltationis sanctae crucis, & κανὼν νεκρόσιμος in festo passionis, apud GENNADIVM *cap. 3. de purgatorii igne*. Haec autem tribuuntur primicerio secundario, archidiacono vero primario, ut recte annotavit glossa in *cap. unico hoc tit.*

V. Et sicut episcopus, & post episcopum archidiaconus in alios, qui personatum vel dignitatem gerunt, imperium habet; ita hic primicerius successiue: quo fit, ut proprie non habeat plenam & perfectam iurisdictionem, cum referendi ad superiorem necessitatem habeat, modica contentus distinctione in clericos tantum minores, ut nominatim notatur in *d. can. perlectis*, in quo frequenter clerici distinguuntur a presbyteris, diaconis & subdiaconis. Quin etiam ipse cantor ex illo ordine praecipue lectorum sumebatur, ut constat ex CVROPALATA, & ex SIMEONE *Thessalonicensi archiepiscopo*, *lib. de templis sacerdotum*, & ex INNOCENTIO III. *lib. de mysteriis euangelicae legis cap. 3.*

VI. Vocatur autem cantor saepius magister scholarum, & caput scholae. In ecclesiis duae erant scholae; una cantorum puerorum, & minimorum clericorum, qui diuino cultui mancipati, psallendi modum, cantum & minores literas ediscebant: *Capitulari 72. lib. 1. Scholae*, inquit, *legentium puerorum, psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam, per singula episcopia discant.*

VII. Cantandi enim munus & psallendi penes presbyteros & diaconos non erat, sed subdiaconos, tunc dumtaxat, cum subdiaconatus non erat ordo sacer, sed inter reliquos minores habebatur, *can. 1. & can. in sancta. 92. dist.* ex veteri & primaeuo ecclesiae instituto; ad exemplum Dauidis, qui cantores instituit coram arca foederis, inter quos praecipui erant Heman, Asaph, Etham *1. Paralip. cap. 6.* omnium primus fuit Heman, cuius vices tenere primicerium, seu scholae magistrum docet INNOCENT. III. *eod. lib. cap. 6.* Eundem *pbonasium* vocat SIDONIVS *epist. II. lib. 4. & praecentorem* D. BASILIVS *epist. 63.* ἔπειτα πᾶλιν ἐπιτρέψαντες ἐνὶ κατάρχειν τῆ μέλεις, οἱ λοιποὶ ὑπηχῆσι; *uni id muneris datur, ut quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinant.* FORTVNATVS *3. poematum:*

Cleri-

*Clericus ecce choris resonat, plebs inde choraulis.*

VIII. Altera schola erat eorum, qui theologiae, & rebus sacris operam dant, cui praeest is, quem nunc theologum dicimus, qui potiori titulo dicitur primicerius, & distinguitur a cantore in *cap. constitutis infra, de appellationib.* de quo in *concilio Meldensi cap. 35. Ut quisque episcopus iuxta se habeat, qui de fide & observatione mandatorum Dei, & praedicationis doctrina presbyteros plebium assidue instruat & informet.* Quam institutionem ALEXANDER III. generalem fecit in *concilio Lateranensi cap. 11.* & demum concilium Tridentinum. Harum scholarum meminit D. HIERONYMUS *lib. de illustrib. scriptorib.* scholae Antiochenae, in qua floruit Lucianus presbyter, & scholae Alexandrinae, in qua floruerunt Clemens, Origenes, Pantaenus & alii.

IX. Ex quibus non semper per primicerium, per caput scholae, seu scholasticum, cantorem seu praecentorem intelligi debere constat: nam & aliquando eodem nomine cancellarius accipitur, qui in primicerii locum successit, ut in ecclesia Tornacensi apud INNOCENTIVM III. *lib. 1. Regist. ep. 115.* Et in ecclesia Aurelianensi, ac Bituricensi, ut docet CUVIACIVS *ad caput apostolica. de his quae fiunt a praelatis:* sed de cancellario alias.

X. Hinc vero primicerium, scholasticum, seu cantorem dignitatem meram non habuisse dicendum est, sed potius personatum, seu officium: quod ex consuetudine ecclesiarum petendum est, *cap. cum olim. supra, de consuetudine,* si legatur integrum, ut est in antiqua compilatione.

## TITVLVS XXVI.

DE

### OFFICIO SACRISTAE.

I. **I**Nter officia quae subsunt archidiacono est *sacrista*, idem qui thesaurarius, qui custodit omnia vasa sacra τὰ κειμήλια vocat BALSAMON ad *can. 12. synodi 7. Constantinop.* inde dictus κειμηλιάρχης, atque *Capitiarius* apud FVLBERTVM *episcopum Carnotens. epist. 103.* & passim in *consuetudinib. Floriacensib. & regulis monachorum,* σκηνοφύλαξ apud CODICIVM *lib. 1.* inter officia ecclesiae Constantinop. & in Graecis lexicis for-

fan

fan a vocabulo *capis*, quod vas sacrum significat apud LIVIVM lib. 10. & VARRONEM: Graecis dicitur *καπίον* apud POLLUCEM lib. 4. cap. 24.

II. Nec solum vasa & ornamenta sacra, sed etiam acta omnia, instrumenta, & priuilegia, quibus feuda, & beneficia, & reliqua omnia iura continentur sub sacristae, seu thesaurarii manu remanere debent, vt docet INNOCENT. III. *epist. 57. lib. 1. Registri*, cuius pars inserta est in *cap. 10. infra, de poenis*. Ideoque propter huius officii maximam & ingentem curam, & continuam residentiam, quae ab eo requiritur, dignitatis honore decoratur apud eundem INNOCENTIVM III. *epist. 276. eiusdem lib.*

III. In hoc porro titulo, ni fallor, sacristae nomen sumi debet, vtpote merum & simplex officium, quod dependet a custode, seu thesaurario vberius sumpto, prout est altior dignitas in *tit. sequenti*: ita vt hoc loco sacristae munus sit praeparare vestimenta sacra, & altaria, luminaria ecclesiae: reliqua vero, quae sunt maioris ponderis, vtpote reliquiae, sacra vasa, & cetera, quae non quotidie, sed diebus solennibus exhiberi solent, a cura & sollicitudine custodis dependeant.

## TITVLVS XXVII.

DE

### OFFICIO CVSTODIS.

I. **H**ic sumere iuuat *custodem*, vt amplam & egregiam dignitatem; tres enim columnas esse docet in ecclesia *concilium Toletanum, cap. vlt. hoc tit.* archidiaconum nempe, archipresbyterum, & custodem; hic de illorum consensu & auctoritate oblationes & eleemosynas distribuere debet, quod RODERICVS *Hispanus in speculo vitae humanae, cap. 16. lib. 2.* docet.

II. Imo in quibusdam ecclesiis tanti ponderis habetur haec dignitas, vt praeter ornamenta & priuilegia ecclesiae, regii diadematis custodiam gerat, quam ob causam idoneae personae conferri debet, ne per negligentiam *honor patriae de corona aliquam laesionem sustineat*, ait INNOCENT. III. *epist. 489. lib. 1. Registri. CORIPPVS lib. 4.*

*Gratior augusti seruans pia gaza sacelli.*

III. Vnde vocatur *facellarius*, vt quidam existimant, sed verius a *facello*, vt BARONIVS probat ex *epist. 27. GREGORII lib. 12. ad annum*

num



*num 595.* & hinc vocatur etiam faccularius, a facculo, seu paruo sacco; faccus enim publicus denotat eararium, idem quod fiscus est apud ISIDORVM *lib. 1. cap. 20. Cestularius*, quasi cistularius in veteribus glossis.

IV. In ecclesia Constantinopolitana non longe a custode seu thesaurario erat *chartophylax*; duo erant chartophylaces, vnus archiuus ecclesiae praeerat, & os, & dextera patriarchae, *στόμα, καὶ χεὶρ τῆ πατριάρχης* vocatur; sigillum eius quoque custodiebat, quod solebat in pectore gestare, vt ex BALSAMONE refertur, & ex IOANNE *episcopo Citri*, alter tabulas reddituum ecclesiasticorum asseruabat, & expensarum rationes conficiebat.

V. Sed de his non est certi quippiam statuendum, propter varias ecclesiarum consuetudines, ad quas omnia haec officiorum & dignitatum iura semper referre debemus, vt nominatim glossa profitetur: nam & custodi ea omnia, quae & archidiacono, archipresbytero, & primicerio tribuuntur, defert *cap. 2. huius tit. in 1. compilatione*: licet enim iste custos, columna ecclesiae vocitetur, non tamen pari fulget dignitate cum archidiacono, cuius est proprie mandatorum executor, & si negligens in munere suo fuerit, ab illo distringi debet, *cap. 1. hoc tit.* In nostra ecclesia Tolosana quatuor sunt custodes, qui inter minores clericos & seruitores constituuntur, quales sunt quos *basilicantes* vocat canon *perlectis 25. dist.*

---

## TITVLVS XXVIII.

DE

## OFFICIO VICARII.

I. **Q**uum de officiis & dignitatibus actum fit, de *vicariis* eorum tractandum est consequenter. Vicarios omnes habere possunt qui dignitate aliqua, vel officio funguntur.

II. Inprimis summus pontifex in *cap. 6. infra, de praesentationib.* vicarium suum in Sicilia constituit, quod refertur ad temporalem iurisdictionem, licet de mandatis coelestibus loquatur, quae diu ad summum pontificem pertinuit, donec ab Hispanis partim vi, partim dolo erepta est. Idem est de vicario in ipsa vrbe Roma, absente summo pontifice, in *cap. 5. hoc tit.*

N

III.

III. Similiter episcopi habent suos vicarios, quos ad nutum instituunt, & destituunt, quamuis summo iure, & antiquo ecclesiae statu archidiaconus esset vicarius episcopi, & saepius ipse suum vicarium haberet, quam iurisdictionem exercebat proprio iure ex praerogatiua suae dignitatis, inuito episcopo, *cap. ad haec infra, de excessib. praelat.* & per appellationem lis deuoluebatur ad episcopum, *cap. Romana. §. ab archidiaconis. de appellationib. in 6.* In quo CVIACIVS minus prouide carpit INNOCENTIVM IV. & imperitiae arguit, quod ab archidiaconis immediate ad archiepiscopum appellari non posse dicat, sed ad ordinarium, eo quod ab archidiacono, vtpote vicario, ad eundem dirigatur appellatio contra iuris regulas, quod probatur ex *cap. penult. infra, de noui operis nunciat.* Latius hac de re in *observationibus meis.*

IV. Haec regula sumenda est ab officialibus seu vicariis, quibus ab episcopo iurisdictione demandata est: non posse ad episcopum prouocari, ne ab eodem ad eundem lis deuolui videatur, sicuti ad praetorem ab eo, cui praetor iurisdictionem demandauit, lis redire non potest, *l. 1. §. 1. quis & a quo appelletur.* Ab officialibus vero archidiaconorum, vel aliorum, qui ex dignitatis suae priuilegio id obtinent, sine dubio ad episcopum deuoluetur appellatio, nisi aliud priuilegium vel consuetudo suadeat, quae mens est INNOCENTII in *d. concilio Lugdunensi, cap. 1. de appellationib. in 6.*

V. Et licet olim archidiaconi vices episcoporum agerent, hoc hodie locum non habet, nisi tum demum, cum iurisdictione demandata est, & tunc non possunt suos officiales habere, quia vicarius non potest alium sine expressa licentia sibi statuere, *cap. clericus. hoc tit.* licet per se possit exsequi, quae sunt iurisdictionis ordinariae, *cap. petitio. infra, de procuratorib.* vt fusius in *observationibus* ostendi. Et ita ex supra dictis, vicariorum duo genera dignoscimus; vnum eorum, qui nascuntur, alterum eorum, qui fiunt.

VI. Est & tertium, eorum nempe, quibus ecclesiarum cura committitur, qui quidem presbyteri esse debent, quia animarum cura eis imminet, *cap. vlt. hoc tit.* ideo nec vnus varias potest vicarias exercere, *cap. 1. & 2. hoc tit.* multo magis si vicarius sit perpetuus, & in aliqua ecclesia institutus, *cap. ad haec. hoc tit.* qui tamen ius personatus, vel plebani sibi arrogare non potest, *cap. illud. infra, de excessib. praelat.*

VII. Olim tales vicarios potuerunt habere plebani, quibus suarum ecclesiarum curam committerent, quod vetat INNOCENT. III. in *concilio*

lio

lio *Lateran. cap. 32.* nisi tunc demum, cum ecclesia parochialis cuidam praebendae, vel dignitati, monasterio, aut collegio annexa est, *cap. exstirpandae. infra, de praebend.* Atque his vicariis congrua fructuum portio, quibus sustentari, atque ecclesiae onera sustinere valeant, assignari debet, *d. cap. ad haec & cap. de monachis. infra, de praebend.* qui semel instituti temere, repelli non possunt, nisi causa a iudice cognita, *cap. 2. infra, de supplenda negligentia praelat.*

## TITVLVS XXIX.

DE

OFFICIO, ET POTESTATE IUDICIS  
DELEGATI.

I. **D**e vicario dictum, nunc de *iudice delegato.* Inter vtrumque magna est differentia; quippe vicarius vices agit in omnibus eius, a quo constitutus est, ita vt omnem iurisdictionem assequatur, & idem consistorium faciat cum episcopo, *cap. 2. de consuetudine in 6.* non ita iudex delegatus, qui nec imperium, nec iurisdictionem habet, *l. 4. C. quomodo, & quando iudex;* sed causae tantum cognitionem, non vero executionem suae sententiae, *l. a diuo Pio. ff. de re iudicata. l. 1. §. vlt. quis & a quibus appelletur,* quia non est magistratus; & quoties in iure dicitur iudices iudicatum exsequi, intelligendum est de magistratibus: nam & omnes magistratus passim iudices dicuntur; licet olim perraro iudicarent, donec Diocletiani imperatoris constitutione iudicare, seu ius dicere iussi sunt, sublata iudicis dandi facultate, nisi in causis leuioribus, & cum grauioribus negotiis occupabantur, *l. 2. & vlt. C. de pedaneis iudicib.* Porro distinguendum est inter delegatos a principe, & alios: nam delegati a principe possunt iudicem dare, non alii: *l. a iudice C. de iudiciis.* Ideo & adfessores sibi adsciscere possunt *nouella Iustiniani 60.*

II. Iure canonico aliud est, siquidem delegatus qui habebat merum, & mixtum imperium, olim poterat quomodocunque subdelegare, *cap. pastoralis, hoc tit.* non ita iure nouo, sed tantum eae personae, quibus ipse papa committeret, *cap. statutum de rescriptis in 6.* quales sunt qui dignitatibus, & personatibus insigniuntur, qui magistratus ecclesiae habentur, *τῆς ἐκκλη-*

N 2

σιασι-

σιασικὲς ἄρχοντας καὶ κροσώπης vocant Graeci, ad differentiam publicorum, quos πολιτικὲς vocant, id est locales magistratus, & externas potentias, *can. 5. synodi Antiochenae.*

III. Dignitate igitur praediti possunt subdelegare, & tunc subdelegatus non habet omnino amplam & liberam iurisdictionem, sed circa articulos sibi commissos restrictam sicut merus executor, *cap. super. 27. hoc tit.* nisi delegatus vices suas ei commiserit, *cap. 2. & doctores in cap. ex literis, hoc tit.*

IV. Aliquando delegatus a principe non potest subdelegare, veluti quando plures delegati sunt, & vnus impeditus alium subdelegare vult, & ei suas vices committere: quod locum habet quoties clausula haec adiecta est, *si non omnes possunt de causa cognoscere, vnus poterit solus, cap. coram. 34. hoc tit.* quia penes vnum, totum iudicandi munus remanet, *cap. licet. 30. hoc tit.* sicut etiam si vnus delegatus moriatur, superstes potest cognoscere in vim ipsius clausulae, *cap. vno 42. & sequenti hoc tit.*

V. Delegatus etiam subdelegare non potest, quoties electa est personae industria, *cap. fin.* vel si inquisitio fieri debeat criminum, quae est meri imperii, *l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio*, iure scilicet civili; nam hoc nostro, doctores admittunt ea, quae sunt meri imperii posse subdelegari, *cap. venerabili, hoc tit.*

VI. Porro delegati officium finitur, simulatque sententiam tulit, nam post nullam cognitionem habere potest, nisi meram executionem, *l. si ut proponis, & l. penult. C. de executione rei iudicatae*: & haec executionis vis annum durat, *cap. quaerenti hoc tit.* & licet potestas cognoscendi exspirauerit, non tamen exsequendi *cap. ex literis*: quia terminus, cognoscendi causae decisionem respicit, non executionem; imo quamuis litis terminus excesserit, prorogatur tamen ex consensu partium, *cap. super eo. 2. infra, de appellat. cap. de causis. hoc tit.* nec censetur delegatus officio suo functus, donec sententiam tulit, & executioni mandauit, *cap. in literis.*

VII. Sunt quidem aliae causae, quibus officium delegati vel impeditur, vel exspirat, impeditur per recusationem, *cap. causum. hoc tit. cap. licet. infra, de foro compet.* per appellationem, *cap. ut debitus, infra, de appellat.* per reuocationem, sicut & delegatus, qui commisit vices suas re integra potest reuocare subdelegatum, *cap. venerabili. hoc tit.* Exspirat morte eius qui delegauit, dummodo nec lis coepta, nec citatio vlla facta fuerit, *cap. gratum,*

*gratum. 20. hoc tit.* morte delegati, si nominatim personae delegatio facta fuit, non si dignitati, proprio nomine non expresso, tunc causae cognitio transit ad successorem, *cap. quoniam*; quia dignitas nunquam perit, & defunctus cum successore facit eandem personam. At delegatio facta nominatim, non excedit personam, nec ulterius extenditur; & in eo magna est differentia inter delegatum, & ordinarium; quod prorogatio iurisdictionis in ordinario multis modis fiat de consensu partium, termino finito, *cap. de causis, hoc tit.* de vna re ad aliam *cap. cum olim 1. hoc tit.* de persona ad personam, *cap. 1. infra, de alienatione iudicii mut.*

---

TITVLVS XXX.  
DE  
OFFICIO LEGATI.

**I.** De iudice ad certam causam delegato actum est superiori titulo; hoc vero agitur de *legato*, cui iurisdictionis generalis committitur: tum etiam supra de iudice delegato, non solum a summo pontifice, sed a quouis magistratu ecclesiastico.

**II.** In hoc delegato tantum sedis apostolicae, quem triplicis esse generis constat: sunt enim quidam sedis apostolicae legati non ex speciali & nouo mandato, sed loci priuilegio, vel prouinciae, cui praesunt, iure ordinario a sede apostolica indulto, vt in *cap. 1. & cap. excommunicatis, hoc tit.* vel potius hunc legationis honorem ex pallio sibi dato vindicant: certum enim est pallii priuilegium secum vices sedis Romanae attrahere.

**III.** Quod tamen verum non est omnino; licet enim pallii datio plenitudinem conferat potestatis, & vices apostolicas secum trahat; tamen qui id habent legati iure & nomine vti non possunt, nisi ex gratia speciali; imo & legati maiorem habent iurisdictionem, quam qui pallio decorantur, siquidem ad legatos natos, vt vocant doctores, causae cognitio immediate potest deuolui omisso medio, & cum quolibet ordinario, episcopo, archiepiscopo, primate in sua prouincia existente; & hoc est, quod dicit ALEXANDER III. in *cap. 1. hoc tit.* Alii vero pallium habentes, siue sint patriarchae, siue primates, siue archiepiscopi non concurrunt cum ordinario,

nec de causis aliorum possunt cognoscere, nisi per appellationis viam, vt est in *can. nullus. can. conquestus. 9. q. 3.*

IV. Quam differentiam statuunt omnes doctores inter hos & legatos, quos vocant natos; quibus in quibusdam prouinciis hoc ius peculiariter inditum est, vt praelati nascantur legati: tales sunt Cantuariensis, & Eboracensis in Anglia, Rhemensis & Arelatensis in Gallia, Pifanus in Italia, & alii plerique vt scribit INNOCENTIVS IV. in *cap. volentes, hoc tit.* Alii sunt legati qui non nascuntur, sed fiunt, & in aliquam prouinciam mittuntur, qui quidem non ratione ecclesiae aut prouinciae, cui praesunt, sed ratione personae legationem suscipiunt, *cap. mandata. infra, de praesumptionib.* quorum quidem dignitatem maiorem esse quam aliorum contendit PANORMITANVS in *cap. excommunicatis. hoc tit.* quod vix ego verum existimo, nisi id nominatim caueatur, alioquin per dationem secundi, aequalis dignitatis, non censetur primus reuocatus, argumento *dicti cap. volentes.*

V. Tertium genus legatorum est eorum, qui dicuntur a latere, siue laterales apud IVONEM, *epist. 109.* siue a latere D. Petri apud GOFFRIDVM, *epist. 18. lib. 1.* alias legati Rom. ecclesiae in *epist. 14. lib. 2.* quos BALSAMON λεγάτες ἐκ προσώπου, id est *a facie* vocat, in praefatione *synodi VI. in Trullo:* idque ad exemplum legatorum ex latere principis, de quibus pluries in *formulis MARCVLPHI*, qui & *missi dominici* vulgo dicuntur in *capitularibus CAROLI M.* & *missi maiores* in *capitularibus CAROLI CALVI* post reditum a confluentibus. Dicti maiores ad differentiam aliorum minorum, qui modo appellantur *discurrentes* apud AYMONIVM, *lib. 5. cap. 1.* & in *annunciatione Ludouici & Lotbarii*, modo *adititii*, in *edicto apud ATTINIACVM cap. 1.* quia in missaticis suis non morabantur, sed celeriter munus suum obeuntes discedebant: at maiores ad iustitias faciendas constituti, non ita momentanei & fluctuantes, sed stabiles erant, inde dicti *iustitiarum.*

VI. Nomen autem missorum, non tantum principum, sed etiam ecclesiae *can. 94. & 95. synodi Carthag.* legatis tributum fuit. Sic Bonifacius Moguntinensis S. Petri missus dicitur, *cap. 2. lib. 5. Capitularium.* Hi missi, seu legati maiores a latere ex consortio cardinalium assumi solent, qui papae a secretis assistunt, vt notat glossa in *d. cap. 9.* & ipsius dicuntur fratres, si sunt episcopi, *cap. 1. hoc. tit. in 6. alias filii, cap. licet. 49. infra, de testibus.*

VII.

VII. Horum dignitas splendidior & sublimior est; quippe beneficia in sua prouincia conferre possunt, quod alii legati non possunt, nisi specialiter sit eis concessum, *cap. 1. eod. in 6.* Et sic intelligi debet, *cap. literas. supra, de suppl. neglig. praelat.* Idem dicendum de excommunicatione promulgatae sententiae, illi enim tam intra prouinciam, quam extra possunt beneficium absolutionis impendere, *cap. quod translationem. hoc tit.* quod soli cardinales iure ordinario legationis possunt, quia τὴν τοποτηρησίαν ἐλευθέρων, id est, liberam legationem habent, *cap. ad eminentiam, infra, de sententia excommunicat.*

VIII. Quaedam sunt, quae nec his, nec illis conceduntur, vt sunt vni-ones, vel diuisiones ecclesiarum, & alia quae censentur semper reseruata, *cap. nisi specialis, hoc tit.* vt sunt maiores causae, fidei praesertim articulos spectantes, *cap. maiorem. infra, de baptismo.* Similiter in ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, vel dignitatum electionibus & collationibus partes suas interponere non possunt, *cap. penult. hoc tit. in 6.* Leges quoque vel statuta edere nequeunt, nisi quatenus suae legationis iurisdictionem spectant: & sic intelligendum *cap. ultimum. hoc tit.*

IX. Differentia porro est inter legatos sedis apostolicae, & legatos a latere, qualis erat olim inter proconsules & praesides in *cap. legatos. hoc tit. in 6.* Proconsules, qui senatorii ordinis erant fascibus, infulis, & aliis imperii insignibus utebantur, voluntariam non contentiosam iurisdictionem habebant, simulac urbis pomoeria erant egressi *l. 1. § 2. ff. de offic. proconsulis*, consularem potestatem in prouinciis exercebant, apud DIONEM CASSIVM *lib. 53.* Praesides vero, id est legati caesaris, non solum ex senatorio, sed etiam equestri ordine assumebantur, & licet in prouinciis cognitionem eandam haberent, quam Romae consules, praetores, praefecti vrbi, & praefecti praetorio, *l. de omnibus. ff. de offic. praesidis*: tamen eorum dignitas & imperium finem habebat, simulatque alius in eius locum successus erat; quod non erat in proconsulibus, vt docet CUIACIVS *observat. 37. lib. 20.* praesides non habent suos τοποτηρητάς, legatos, seu vicarios, sicut proconsules, vt notat idem ad *nouellam IVSTINIANI octauam.*

T I T V L V S   X X X I .  
D E  
O F F I C I O   I V D I C I S   O R D I N A R I I .

I. **I**udex datus vel delegatus differt ab ordinario: nam vt dixi iudex delegatus datur ad certam causam, ordinarius ad omnes, siue fit episcopus, siue abbas, siue archidiaconus, vel quiuis alius ecclesiastica dignitate praeditus, *cap. irrefragabili 23. hoc tit.* vel etiam plebanus, *cap. 3.*

II. Hi dicuntur ordinarii, quia in ordinem iudicum sunt adlecti, & per adeptionem dignitatis suae fiunt competentes iudices; accipiunt enim legitimam personam & potestatem ab ecclesia, quos BALSAMON τῆς δικαστῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐνορδίνης vocat, ad *can. 15. synodi Carthagin.* & saepius a partibus eliguntur vnde αἰρετῆς, *electitios*, vocat, *can. 99. eiusdem synodi*, quia ex aliorum voluntate iudicant: nec tamen ideo arbitri sunt, quia arbitri cum adiectione poenae dantur. *l. diem. §. stare ff. de arbitris.* vt idem BALSAMON adnotauit.

III. Ea tantum differentia animaduertitur inter electitios iudices, & naturales, quod ab illis non liceat prouocare, *can. a iudicibus 2. q. 6.* ab his quibus recta via litigatores subiiciuntur liceat, quamuis vtrique dicantur ordinarii, & re vera sint, quia ordinariam, legitimam, non emendicatam iurisdictionem habent, vt latius *observatione 20. lib. 1. tractauit.* Hos ordinarios iudices ecclesia agnoscit; non vero externos, siue locales magistratus, quos πολιτικῆς ἀρχοντας vocant Graeci, vulgo seculares, *can. placuit. 21. q. 5. cap. 2 infra, de iudiciis.*

IV. Prohibitum enim obnixè fuit omnibus clericis ante iudicem cinctum causam dicere, a Syluestro I. vt refert ANASTASIVS. Magistratus apud Romanos qui ius gladii habebant, cincti erant, vt ex TREBELLIO in *Salonino*, & aliis plerisque notum est. CASSIODORVS in *psalmum 29.* *Cinctum dicimus iudicem, quando eius fasces, bonoresque declaramus.* Inde *cinctuti iudices*, apud SIDON. *epist. 9. lib. 1. can. nullus. 11. q. 1.*

V. Imo quod magis est, habet ecclesia iurisdictionem ordinariam in omnes criminum reos, ita vt possit contra eos inquirere, vlcisci, iudicare,  
*cap.*



*cap. 1. hoc tit.* vt deinde in eos excommunicationis sententiam ferat, *cap. 2.* non vero vt laicus cogatur, forum mutare, & in ius vocari coram iudice ecclesiastico: tunc enim ab abusu interponeretur appellatio, *constitutione regia Ludouici XII.* Ideo INNOCENTIVS III. hanc iurisdictionem ad summariam cognitionem restrinxit, in *cap. nouit. infra de iudiciis*, vel tunc demum, cum fidei, vel sacramentorum quaestio mouetur

VI. Quae facultas originem sumpisse a Constantino M. vulgo creditur, qui laicorum causas ab episcopis audiri permisit, nobili rescripto ad Ablauium, in *cod. Theod. de episcopali audientia*. Verum saepius immutata fuit, atque iterum restituta ab Arcadio, & Honorio, & Theodosio in *l. si qui ex consensu C. eod.* tum deinde ab Honorio & Theodosio in *l. episcopale. eod.* postremo & a Carolo M. *capitulari 281. lib. 6.* quod ab illis imperatoribus indultum fuit episcopis, non vt ordinariam iurisdictionem habentibus, sed in morem arbitrorum, quoties electi fuissent a partibus, vt nominatim exponitur. Et in eo grauiter peccat NICEPHORVS contra Constantinum, quem iudicandi facultatem episcopis tribuisse in clericorum causis narrat, tunc demum, cum sponte electi essent, cum id de laicorum causis dilucide dicatur, vt etiam asseuerat EVSEBIVS; vnde est, quod toties D. AVGVSTINVM valde implicatum fuisse negotiis secularibus legimus, licet Valentinianus imperator *nouella 12. de episcopali iudicio*, praeter religionem non potuisse episcopos cognoscere contendat.

VII. Certum quidem est sicut episcopi causas omnes audiebant laicorum, ita & publicos magistratus idem tentare voluisse in ecclesiasticis; quod caute prohibitum fuit *can. 11. concilii Cabillon.* Solebant quidem plerique clerici id impetrare a principibus, *can. placuit 11. q. 1. desumpto ex d. can. 15. concilii Carthag.* in quo, & alibi BALSAMON innuit id licuisse, quoties *πρόσαξι βασιλικήν*, id est, *mandatum imperatoris* exhiberent, *can. 19. concilii Mileuit. Nouella IULIANI 115. § 460.*

VIII. Ergo certum est ordinarium causas ad forum ecclesiasticum pertinentes audire debere, & in quolibet loco sui territorii, seu dioecesis posse, *cap. cum episcopus. de offic. ordinarii in 6.* Ex quo quidam colligunt episcoporum tribunal certum & fixum non esse; imo eos forum omnino non habere, quod veteres iureconsulti ausi sunt asserere; ea ratione potissimum, quod ecclesia fiscum non habeat, quasi vero non habeat multam pecuniariam, censum, tributum, quod in gazophylacium referebatur. Gazophylacium fiscus

O

est

est ecclesiae, *aerarium templi*, in veteri testamento *2. Regum cap. 12.* & IOANNIS *8. cap. 20.* gaza est census, tributum, in veteribus glossis.

IX. Hoc autem tribunal in ecclesiis vel claustris constitutum fuisse dubium non est, in quibus omnes litigaturi solebant conuenire, *can. ult. 2. q. 2.* saepius quidem tentatum a publicis iudicibus in ecclesiis ius dicere, etiam vbi de causis sanguinis, & corporali poena agebatur, quod prohibetur in *cap. cum ecclesia. infra, de immunit. ecclesiarum.*

X. Similiter & suos carceres habuit ecclesia, quos vocat decanicas *nouella IVSTINIANI 79. c. 3.* & *capitulare CAROLI M. 225. lib. 5.* IVLIANI *constitutio 73.* de quibus videnda *observatio lib. 1.* Haec omnia spectant ad ecclesiae immunitatem, quae suos iudices ordinarios habet episcopos, vel alios praelatos, quibus omnia iura episcopalia concessa sunt, siue legis dioecesanae, siue iurisdictionis, quae recensentur ab HONORIO III. in *dicto cap. conquerente.*

XI. Haec quidem distinctio legis dioecesanae, & iurisdictionis noua est, & quae a multis tribuitur INNOCENTIO III. in *cap. dilectus. hoc tit.* & vix aliter concipi potest, quam facit glossa in *can. 1. 10. q. 1.* quam sequuntur omnes fere iuris canonici interpretes; nec tamen tam aperta est differentia, quin saepius vna sumatur pro altera in *d. can. 1.* Lex iurisdictionis in dando vel faciendo consistit, qualia sunt administratio sacramentorum, delictorum coercitio, visitatio, cognitio litium. Lex vero dioecesana in recipiendo, qualia sunt procuraciones, euectiones, decimarum, & funerum portiones, cathedraicum, quod solet episcopus urgente necessitate tantum exigere.

---

## TITVLVS XXXII.

DE

## OFFICIO IVDICIS.

I. **H**ic titulus licet separatus, pars est & membrum superiorum, & respicit tam iudices delegatos, quam ordinarios, vt nempe sciatur de quibus causis & rebus possint cognoscere.

II. Et distinguitur aut lis est contestata, vel non: primo casu potest iudex cognoscere de omnibus, quorum aequitas mouere eum potest, licet ini-

ini-

initio non fuerit quaesitum; ita vt lis ventiletur, donec aequitas elucefcatur, *can. iudicante. 30. q. 5. l. iudices. C. de iudiciis*; ante litem vero contestatam, iudex nec interrogationibus vti potest, nec partes suas interponere: sed quae ad causae cognitionem pertinent, iure actionis, vel per libelli oblationem id fiat, nisi aliter ei nominatim fuerit iniunctum, *l. aediles. 25. §. item sciendum. ff. de aedilit. edict.* Supplere debet iudex litigantium defectus, *l. unica. C. vt quae defunt aduocat. &c. cap. fin. hoc tit.* id est, ius omiffum supplere, quod est verum iudicis officium, *φάκτων δὲ, ἢ τι πράξω, ἔχει*, id est, *factum vero, seu negotium, non item*, vt loquitur SCHOLIASTES *Harmenopuli ad §. 18. tit. 4. lib. 1.* quia a iudice non petitur factum, sed ius, vt scilicet curam habeat, *τῆς ἀκριβείας τῶν νόμων*: non vero ex praecepto principis, vt in Basilicis habetur.

III. Potest & aliquando iudex partes suas interponere in his, quae factum respiciunt, licet non fuerint ab initio petita; vt si propter potentiam vnus alter aduocatum non habeat, tunc iudex potest ei aduocatum procurare, *cap. 1. hoc tit.* & sic in omnibus aliis, in quibus non tam patrociniū, quam officium boni iudicis impenditur.

IV. In criminalibus equidem poena ex arbitrio iudicis pendere videtur, ita vt possit eam augere vel minuere, quod ita distinguit BALSAMON; aut causa est ordinaria, legibus definita, & quae *ὀρισμένην ποινὴν ἔχουσα*, id est, *certam poenam habet*; tunc enim iudex ex arbitrio iudicare non potest: aut est extraordinaria, & iudex extraordinarie cognoscit: dicendum, ante sententiam tantum id posse, non postea, quia desit esse iudex.

## TITVLVS XXXIII.

DE

## MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

I. **D**ictum supra de iudicum officio, nunc de honore & reuerentia agitur, quae vnicuique pro dignitatis & ordinis praerogatiua debetur. Non omnes praelati, seu praepositi aequales in ecclesia sunt, & licet iudicum officio fungantur, pro ratione tamen & gradus qualitate distinguuntur: nam alii sunt maiores, alii minores. FLOTILDA in visionibus; *Audiebat, inquit, dicentem, quod bi essent archidiaconi & praepositi, iudicesque & maiores, atque decani.*

O 2

II. Maior

II. Maior in ecclesia est summus pontifex, qui proprie dicitur maximus, reliqui maiores, sunt, patriarchae, primates, episcopi, qui inter se gradum maiorum & minorum obseruant; ita vt per omnia honorem & reuerentiam praeeminentiae sibi vnusquisque dependat, & quae ipse exigit, alteri vicissim reddat, vt loquitur *can. quanquam. 23. d.* Quoties enim quis ad altiorem ecclesiae gradum ascendebat, maiorari, & maioritatem obtinere, quoties ad inferiorem descendebat, minorari, & minoritatem assequi dicebatur. Ita archiepiscopus Apamiensis translatus in Tripolitanum episcopatum, nouo promotionis genere, non promotus, sed minoratus dicitur ab INNOCENTIO III. in *epist. 50. & 117. lib. I.*

III. Hoc autem maioritatis nomen nihil aliud sonat, quam imperium a quouis exerceri solitum siue inferioris, siue altioris gradus. In *constitution. canonicorum regularium S. Augustini cap. de forma, & honestate habitus. In cathedralibus*, inquit, *ecclesiis abbates, seu praepositi, priores, seu alii maiores.* Ita doctores puerorum, seruorum, & rusticorum in pagis & villis vocabantur *μειζότεροι*, qui quidem sacerdotii gradum adepti erant, sed tamen interdictus illis erat *κοσμικὰς καὶ βιωτικὰς φροντίδας* exercere, in *can. 10. syn. VII. Constantinopolitanae.* Vulgo officiales ciuitatum *μείζονες*, seu maiores; imo etiam quandoque missi dominici maiores dicebantur, vt in *cap. vlt. capitularium CAROLI CALVI*, post reditum e Confluentib. *cum concilio*, inquit, *maiorum missorum*, & in *legibus Wisigothorum lib. 9. tit. 1. l. 6.* Eadem ratione maiores, dicuntur illustriores & nobiliores homines boni generis, vt est in *legibus Salicis: maiores personae* in *legibus Burgundionum cap. 1. tit. 38.* optimates, priores, proceres, palatini apud GREGORIVM TVRONENSEM, HINC MARVM & alios; Valuasores maiores I. *feudorum, & III. Longobard. tit. 8.* Imo etiam inter ipsos maiores sunt quidam primi, quidam postremi, & inferiores *tit. 9. Longob. HORATIVS:*

*Extremi primorum extremis usque priores.*

Alii sunt secundi, seu primi post maiores, & proximi, quos obsecundatores vocat *l. 1. C. de proximis: alias secundicerii, vel tertiocerii* in *l. 4. C. de domestic. & prot.*

IV. Ipsos quidem episcopos raro hoc nomine donatos fuisse reperitur, sed potius patrum & dominorum in *formulis MARCVLPHI, lib. 1. cap. 25. & can. fin. 68. dist.* aliquando etiam summorum pontificum, quia episco-

episcopatus est eminentissimae dignitatis apex, & culmen pontificale in *can. 4. concilii Tolet. IV.* Solus papa dicitur pontifex optimus, maximus patriarcharum, episcopus episcoporum apud TERTULLIANVM, *lib. de poenitentia,* & CASSIODORVM 9. *variarum epist. 15.* pater patrum apud D. ATHANASIVM *ad Liberium,* quia omnes sub sua ditione & imperio tenet, neminem vero supra se in terris habet, *l. 1. C. de summa trinit.*

V. Hoc titulo agitur de quibusuis maioribus siue ecclesiasticis, siue publicis, & de potestate regia, *in cap. 4. & 6.* quam ecclesiae principatui subditam esse asserunt CLEMENS III. & INNOCENTIVS III. Vnde Theodosius iunior dicebat, βασιλέως, καὶ ἱερέως ἐδιδάχθη διαφοράν, id est, didici differentiam inter imperatorem & episcopum, apud THEODORITVM *cap. 17. lib. 5.* vt scilicet dignior & augustior potestas ecclesiastica habeatur, quoties de causis Dei agitur, *can. certum. d. 10. & d. cap. 6.* In aliis vero ciuilibus administratio praeualeat, *can. administratores. 23. q. 5. can. quae contra. dist. 8.*

VI. Porro maioritas non potest esse sine obedientia, ideo hic titulus vtrumque coniungit, nec quisquam potest obedire, qui non habeat superiorem; haec enim sunt relata, quo fit vt D. PAVLVS *ep. ad Hebraeos cap. 13.* iubeat obedire praepositis, τοῖς ἡγούμενοις: per praepositos intelligit episcopos & pastores, qui praecipere debent, quod sanctum est, orationes nempe, festa, stationes, siue ieiunia, litanias, & similia: vetare vero, quae iniqua sunt; ebrietates, comessationes, ludos, periuria: decreta enim ipsorum sunt obseruanda *cap. 2. hoc tit.*

VII. Sub nomine obedientiae plura continentur, institutio nempe, destitutio, inuestitura, fidelitas, correctio, repraesentatio, ad ordines tonsuratio, susceptio chrismatis, statio, & litania, vt exprimit INNOCENTIVS III. *in epist. 281. lib. 1. registri.*

VIII. Hi autem, qui talem obedientiam praestare debent, sunt quos minores diximus; inde vulgo homines minores dicuntur, atque etiam minimi *in legibus Longob. lib. 1. tit. 9. 14. & 21.* & ad eorum exemplum monachi, qui humilitatem impensius profitentur, & capellani minores apud VVALAFRIDVM STRAB. *Capellani minores ita sunt, sicut hi, quos vassos dominicos nominamus;* obsequentes in veteribus glossis; *vassi famulantes in adnunciatione Caroli apud Pistas,* quos ignobiles vocat TERTULLIANVS *lib. 2. ad uxorem cap. 2.* exercitales & barschalci, *Longob. tit. 21. lib. 1.* & in veteribus donationibus metropolis Salzburg. Inde etiam homines &

personae mediocres, Burgundio mediocris in *legibus Longob.* & medius Alamanus in *legib. Alaman.* imo & barones, qui obedientiam principi debent, qui & bari dicuntur in *legibus Salicis, & Ripuariis*; & differentia ponitur inter fortiores, mediocres, & minores, *capitularium 5. cap. 136.* eadem ratione, qua *VLPIANVS* distinguit seruum ordinarium & dispensatorem, a vulgari & mediafino, & a qualiquali in *l. item apud LABEONEM. §. etenim multum. ff. de iniuriis*; & *Iustinianus* seruum actorem a medii actus homine, & a vilissimo, & compedito, quem mediafini status dicit *IULIANVS nouella 82. de naturalibus liberis.*

IX. Denique obedientia, de qua hoc titulo agitur, est illa quae ab inferioribus clericis redditur sublimioribus ratione officii, vel beneficii; quod obsequium, reuerentiam, & honorem, aliaque, quae apud iurisconsultus *ὑποταγῆς* nomine continentur, infert: inde prioratus dicuntur obedientiae, in *cap. monachi. infra, de statu monachorum, & cap. suborta. 21. inf. de sent. & re iudic.* & in *metropoli Salisburg.* in *Vulframo episcopo*, & alias vulgo: quia beneficia instar procurationum & administrationum quibusdam committentur, & procurator talis dicebatur obediens, in *regula sancti Benedicti. IVO CARNOT. epist. 163. Iuramento constrinxisti, ne ultra illam administraret obedientiam.* Aliquando illi prioratus, seu obedientiae e conuerso potestates nominabantur: *ANSELMVS* in epistola ad *Ernulphum, potestatem, quam dicimus obedientiam*; hinc *domus obedientiarum* apud *INNOCENTIVM III. epist. 136. & 200. lib. 1. registri.* obedientia etiam praestaria dicebatur apud eundem *epist. 217. eiusdem libri.* Adde, quae dicentur *infra tit. de feudis.*

---

## TITVLVS XXXIV.

DE

### TREVG A, ET PACE.

I. **Q**uia maiorum dignitatum & magistratum, bellis & litibus finem imponere officium est, ideo hic titulus additur. *Treugam* idem esse quod belli inducias nemo nescit: in *legibus Longobard.* vox barbara, quam *CODINVS* suo graecismo *τρεῖβαν* vocat. Alii legem temporariam dicunt, fidem induciariam, discordia nondum sopita, quam inter se spondent hostes.

II. Eam duplicem faciunt omnes, vnā canonicam, alteram conuentionalem. Canonica vix intelligi debet de bellorum induciis, quas *ALEX-*

XANDER

XANDER III. certis temporibus definitas obseruari iubet in *cap. 1. hoc tit.* sed potius de contentionibus & discordiis inter priuatos, quas ferro & duello definire solebant in *legib. Longobard. lib. 1. tit. 9.* ideo ipse ALEXANDER III. prius agit de torneamentis in *cap. 20.* concilii Lateranensis, tum deinde de treuga & pace in *cap. sequenti.*

III. His treugis certum tempus definiebatur, intra quod vetitum omnino fuit lites exercere, vel discordias armis, vel ferro discernere, ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniae, & a septuagesima vsque ad octauas paschae, *cap. 1. hoc tit.* Quod euidentius ostendit *concilium Sussionense II. cap. 7. & 8.* sub Carolo caluo, agens nominatim de malis & placitis publicis, quae his temporibus vacabant; quibus addit ieiunia quatuor temporum & rogationes. Idem confirmant canones Isaaci Lingonensis *cap. 17. & can. placita 15. q. 4.* Nec enim intelligi possunt de bellis, quae si iusta sint, quocunque tempore tentanda sunt, si iniusta, nullo, *can. si nulla 23. q. 8.*

IV. Hae treugae nullo pacto infringi poterant, nec mallum vel placitum tenere licebat, nisi de concordia & pace ageretur: qua de causa etiam iuramenta super quatuor euangelia iisdem temporibus prohibebantur, *can. decreuit 22. q. 5.* alias vero qui treugam rumpebat, pugnam subire tenebatur, nec campionem offerendo excusabatur, vt alias licebat in dictis legibus Longob.

V. Hae induciae sacrosanctae habebantur, quas ideo *Dei treuias* vocat IVO CARNOT. *ep. 9.* eamque treugam non tam lege diuina sancitam, quam placito ciuitatis episcoporum & ecclesiarum auctoritate firmatam esse dicit. Hunc treugae modum in partibus Aquitaniae primum, anno Domini 1041. deinde per vniuersum Galliae territorium statutum fuisse scribit RODVLPHVS GLABER *lib. 5. cap. 1.* *Vt nemo, inquit, quippiam alicui per vim auferre, vel vitionis vindictam a quocunque inimico exigere, nec etiam a fideiussore valimonium sumere possit, & haec vulgo treuga domini dicta est.* Hanc vero a Friderico aenobarbo originem duxisse ad priuata bella & diffidia scribit RADEVICVS *lib. 3. cap. 26.*

VI. Treuga conuentionalis aut respicit bella principum & regnorum, aut priuatorum contentiones, quibus sopiendis induciae aliquod dierum, mensium, vel annorum sumi solent, vt scribit ROGERVS in *historia Anglorum,* & GVILLELMVS BRITO 3. *Philippidos:*

Con-

*Concilium de pace rogat, datur ergo dierum  
Treuga trium.*

Quae quidem scriptis mandabantur, tum pactis firmabantur. *Idem lib. 6.*

- - - *Nec verbo stare Ioannes,*

*Nec scripto voluit, nec pactas mittere treugas.*

Praecipue episcoporum consilio & auxilio, *can. statuendum, & can. praecipimus. 90. dist. can. illi 24. q. 3.* in foedere S. Ludouici cum Raymundo Tolofano, *nec pacem cum ipsis faciet, vel treugas, sine assensu ecclesiae & nostro.* Pacis etiam adhibebatur osculum in *dictis legibus Longob.* vel poena pecuniaria 300. solidorum. *lib. 2. tit. 24.* quae vulgo *fredum* dicebatur, id est violatae pacis poena in legibus Salicis & Alamannicis, & Frifionum *tit. 16.* alias *wergildum*, cuius tertia pars fisco debebatur *cap. 56. lib. 4. capitularium.*

VII. Et has treugas nulli licuit infringere, nisi praehabita denuntiatione, vt fecit rex Francorum regi Angliae apud ROGERVM in Richardo I. & vt est decisum constitutionibus FRIDERICI, *lib. 5. feudorum; tribus, inquit, ante diebus ad minus per certum nuntium diffiduciet eum: diffiduciare est fidem rumpere, fiduciare est fidem dare in veteribus glossis, vnde in fiduciae nexu poni dicunt leges Longobardorum lib. 2. tit. 15. Sub pignoribus fiduciati iurati cauent, inquit TERTULLIANVS, cap. 23. de Idololatria.*

VIII. Haec & alia quam plura ad pacem & treugam stabiliendam locum habent; nec alia differentia est inter vtramque, quam quod pax nullo termino, sicut treuga conscribatur, vnde CODINVS *cap. 14. §. 12.* ἐκ ἐποίησε διὰ τῆτο ἀγάπην τελείαν, ἀλλὰ τρέυαν μέχρι τινὸς ὀλίγου καιρῆ, id est, *non fecit cum illis perfectam pacem, sed modici temporis inducias.* Hoc etiam iuris est communis, ne pacis, vel treugarum tempore clerici, peregrini, & rustici impediuntur negotia sua agere, *can. si quis Romipetas, & seq. 23. q. 4.* sed securitatem, quam saluum conductum vocamus, habeant, *cap. vlt. hoc tit.*





## TITVLVS XXXV.

DE

## PACTIS.

I. **P**ax, vel treuga seruari non potest, nisi *pacta* custodiantur, ait *cap. 1. hoc tit.* quoties fides habita est praestito, vel non praestito iuramento.

II. Pactum sumunt interpretes non tantum stipulatione vallatum; sed simplex & nudum, ex quo etiam oriatur actio, *can. quicumque episcopi. 12. q. 2.* licet iure ciuili contra; nisi in quibusdam expressis casibus: hinc nascitur differentia inter *σύμφωνον, καὶ συνάλλαγμα*, id est, pactum & contractum. Pactum nec nomen, nec causam habet; contractus vtrumque: pactum vt valeat, eget verbis, veluti stipulatione, alias nudum est: ad contractus vestitus nascitur, vt scribunt doctores.

III. Hoc iure siue nudis verbis siue iuramento aliquid promittatur, seruari debet, cum inter promissionem nudam, vel iuramentum nulla sit differentia, *can. iuramenti, 22. q. 5. cap. peruenit, infra, de fideiuss.* Tanti faciunt fidem sacri canones, quanti stipulationem, & contractum leges ciuiles; veluti cum quis nudis verbis legauit, vel vendi iussit id penitus adimpleri debet, *cap. iudicante. 4. infra, de testament.* quod & *nouella LEONIS 72.* continetur: nec ad contrarium probandum *CYRILLVS* iuuari potest, *cap. debitores. infra, de iureiurando.* vbi ex nuda promissione vsurarum agere nemo potest, nisi iuramentum intercesserit: ratio enim haec est, quod cum vsurae sint prohibitae, non debentur ex nuda promissione, sed ex iureiurando; quia periurium grauius est crimen, quam vsurarum praestatio: quippe soluens vsuras contra animum suum facit.

IV. Ex his elicienda est certissima regula; pactum simplex, vel cum iuramento, vel stipulatione omnimode seruandum esse, dummodo iuri canonico, vel publico non sit contrarium, quod iurisconsulti vocant ius commune, seu solenne, *κοινοφελές*; cui quidem clerici renunciare non possunt, nec pacisci contra sacrorum canonum auctoritatem, vt definit *INNOCENTIUS* in *cap. si diligenti. infra, de foro compet.* vbi agitur

P

de

de fori praescriptione, cui clericus renunciare non potest; quippe ius est publicum, seu commune apostolorum constitutionibus statutum, apud CLEMENTEM *epist. 1.* in synodo Romana sub Syluestro, toties repetitum *concilio Carthag. I. & III. Chalcedon.* & aliis plerisque: nusquam huic licuit, absque episcopi permisso, renunciare, ut definit MARCELLINVS P. in *epist. 2. & capitulare CAROLI M. lib. 7. cap. 145.* quod nec leges ciuiles permittunt, nisi causa sit legitima, vulgata *l. iuris gentium. §. paciscatur ff. de pactis.* Hanc renunciationem canonicam vocat *παρσίτησιν κανονιακὴν* BALSAMON ad *canonem 7. synodi Constantinopolitanae.*

V. Scio quidem abusu & iniuria temporum contra factum fuisse, ut plures ab imperatoribus iudicium publicum exposcerent, quod nominatim sub poenis canonicis vetat *can. 107. synodi Carthaginensis.* Non igitur quod legibus omnibus ecclesiasticis tam stricte definitur, aliud esse potest, quam ius publicum, & CUIACIVS immerito iuris priuati praescriptionem fori esse contendit, cui consequenter pacta priuata derogare possint.

VI. Potest vnusquisque pacisci contra ius peculiare, ius personae, ut de protectione apostolica dicitur in *cap. ex parte & cap. quidam. infra, de priuilegiis:* potest quilibet huic renunciare, *cap. si de terra. cap. accedentibus. infra, eodem. cap. ad apostolicam, & cap. statuimus. infra, de regularib.* ut optime distinguit INNOCENTIVS III. in *d. cap. si diligenti.* Et ita debet intelligi *lex si quis in conscribendo. C. de pactis.* Sed hoc ius non potest dici priuatum, cum vergat in detrimentum totius ecclesiae: licet enim clericus pacisci possit contra proprium & personale ius, seu priuilegium; non tamen in perniciem iuris ecclesiastici, ideo licentiam ab episcopo petere debet, *can. clerici 11. q. 1.* sicut e conuerso laicus non admitteretur, qui ad forum ecclesiasticum recurreret; hoc leges ciuiles non patiuntur, quia hoc ius litigandi coram suo iudice *datum non est vni, sed vniuerso ordini,* ut ait HONORIVS III. in *cap. penult. de iudiciis,* si integrum legatur in antiqua compilatione.

VII. Sicut enim laicorum iudicia, & forum publicum turbare vetat ecclesia, ita etiam laicos turbantes ecclesiasticum coercet: & hoc non est contra legem agere, sed *legi facere subsidium,* inquit, *caput 1. infra de priuilegiis:* idem est statuendum in omnibus, quae vel utilitatem, vel honorem ecclesiae respiciunt: nemo potest pacisci, ut spiritualia pecunia redi-

redi-

redimantur, vel conferentur, *cap. 4. & fin. hoc tit.* vt successio fiat in beneficiis, *cap. 5. hoc tit.* & similia.

VIII. Pactum denique turpe, & contra bonos mores reprobatur hoc iure; quia tolerabilius est pacta haec non seruare, quam facere quod turpe & damnosum est, *can. unusquisque. 22. q. 4.* quod etiam leges civiles seruant, *l. pacta. C. de pactis.* Et ita intelligi debet *d. lex si quis in conscribendo*; quomodo enim posset aliquis efficere vt iudex ordinarius sit & fiat, qui non est, nec esse potest? *l. si conuenerit ff. de iurisd. omnium iud.* quae vera est ratio conciliandae *d. legis si quis*, quicquid doctor maximus e contrario dicat; imo nec constitutionum ecclesiasticarum alium interpretem agnoscimus, quam ecclesiam, vel ipsum summum pontificem, prout determinat ipse INNOCENTIVS III.

## TITVLVS XXXVI.

DE

## TRANSACTIONIBVS.

I. **P**ost titulum de pactis recte subiicitur de *transactionibus*, vt species generi. Pacti, seu pactionis nomen generale est, ita vt saepius transactionem contineat.

II. Haec differentia vulgo ponitur apud iurisconsultos, vt transactio fit de re dubia, & *διάλυσις*, quasi interpretatio dubiorum; *διαλύσαι* est interpretari apud POLLUCEM. Aliquando sumitur pro infringere, quasi transactio infringat litium anfractus, *cap. 1. hoc tit.* nec enim transigitur nisi de re dubia, de lite, quae iam mota est, vel de ea, quam veremur, *l. 2. C. de transact.* non ita de pacto, quod fit de re certa, & citra omnem litem, & litis metum: ideo donationis vim habere docet HARMENOPVLVS *lib. 1. tit. 10.*

III. Alia differentia est inter pactum, & transactionem, quod ex pacto liceat poenitere re integra, *l. 3. & l. si pecuniam. de condict. causa data*; ex transactione non ita, nempe vt fit aliquis litium finis, *l. fin. ff. pro suo*; nec datur aliquod poenitendi tempus, *l. quamuis C. hoc tit.* Fortius enim est transactionis vinculum, ita vt vix de dolo agatur, & contestatio admittatur, vt idem HARMENOPVLVS notat.

P 2

IV.

IV. Similiter hoc iure nullum poenitendi tempus datur, licet id videantur innuere verba *cap. contingit, hoc tit. si fuerit aliquot annis seruata*, quod verum tantum est in specie illa, quoties consensus non intercessit, licet literae ratihabitionis missae fuerint: nec enim delenda est negatio, & legendum, vt quidam volunt, *ac si consenserit*, quia literae ratihabitionis plenam fidem non faciebant transactionis comprobatae, nisi aliquod tempus excefferit, forsan quadriennii, quod datur minoribus, *cap. 1. infra, de in integrum restitutionib.*

V. Si vero transactio fuerit contra vtilitatem ecclesiae, non valet, nec firmatur vlllo tempore, nisi fuerit a fede apostolica confirmata, *cap. veniens, hoc tit.* ita vt quocunq; fit nomine ecclesiae, fit quidem personale, non reale, quo durat quandiu viuit is, qui transegit in perniciem ecclesiae; sed eo defuncto successor transactionem seruare non tenetur, *cap. 2. infra, de precario.*

VI. Tunc demum transactio licite fit de quibuscunq; bonis ecclesiae, iuris ordine seruato, non tamen de spiritualibus, de sacramentis, de beneficiis; quia cum transactio aliquo dato, vel retento fieri debeat, vitium simoniae nascitur, *cap. 7. hoc tit.* nisi ad redimendam vexationem *cap. dilectus. infra, de simonia*; quod temperamentum introductum est, ne forsan grauius immineret periculum, habita hac distinctione inter ea, quae natura sua, & iure diuino sunt simoniaca, de quibus dispensare etiam summus pontifex non potest, & ea quae vsu & consuetudine ecclesiae simoniam sapiunt; tunc enim dispensatio locum habet, vt scribit gloss. in *cap. 4. superiori tit.*

---

## TITVLVS XXXVII.

DE

## POSTVLANDO.

I. **I**n defectum pacti, vel transactionis, iudicio agendum est; ideo subiicitur titulus de *postulando*: quem ordinem compiler ex iure ciuili desumpsit; iuris ciuilis conditores ex lege XII. tabb. vt annotauit CUIACIUS: *rem ita ni pagunt, vel pacunt in foro, vel comitio causam consciscito*, id est agito. II.

II. Consciscere veteribus glossis est cognoscere συγγινώσκειν, vel, vt est apud GELLIVM, *lib. 17. cap. 2. ante meridiem causam consciscito, cum perorant ambo praesentes*: hoc verbum, *perorant*, notat postulationem; εἰσελθεῖν apud DEMOSTHENEM, idem quod perorare & postulare in *l. 1. ff. de postulando. l. 9. C. de advocat. diversorum iudic.* & qui suscipiunt litigantium causas postulatores, patroni, advocati, & caufidici vocantur, *l. quisquis. C. eodem.*

III. Non autem omnes advocati causas agunt, alii enim sunt, qui lites dirimunt, & iudicant, adfessores dicti, quia in consilium advocantur, *l. ult. C. eod.* ita vt hi postulare prohibeantur, *d. l. quisquis*: multi alii sunt, qui etiam non postulant, *l. 1. ff. eod.* veluti qui catholicam fidem non profitentur, qui si patrociniū susceperint, proscriptionis & perpetui exilii poena plectendi sunt, *l. ult. C. eod.* serui apud TERENCEM in *Phormione*; *seruum hominem causas orare non sinunt.* Libertinis quidem hoc licet, *l. 2. C. eod.* Advocatorum olim certus erat numerus in matricula constitutus, qui a partibus assumebantur, vel a praetore dabantur; *si non habebunt advocatum, ego dabo*, inquit VLP. in *d. l. 1.* quod etiam ad iudicis officium pertinere docet *caput 1. supra, de officio iudicis.*

IV. Hoc iure, ab aduocationibus coram iudicibus secularibus clerici prohibentur, nisi ob causam propriam, vel ecclesiae, vel pauperum, *cap. 1. § ult. hoc tit.* Idem de monachis, *cap. 2.* non quod munus sit probrosum, sed duplici ratione; tum quod indignum sit, ecclesiasticos forensium disceptationum esse peritos, *l. repetita. C. de episcop. § clericis*, tum etiam, ne lucro inhiantes, avaritiae notam sibi inurant, *can. ult. 5. q. 3.* ita vt nec munera possint recipere; nisi forte in ecclesiis oblata gratuito sint, collatione deuotionis, vt ait *canon ult. 15. q. 2.*

V. Quapropter per advocatos causae ecclesiae expediebantur, qui nominatim ad hoc munus assumebantur, quorum vsus perantiquus est, & saepius ab imperatoribus petebantur *pro capitibus*, id est, ecclesiae causis, ὑπὲρ τῶν κεφαλαίων τῆς ἐκκλησίας, vt est in *can. 100. synodi Carthagin.* quod confirmat *capitulare CAROLI M. 308. lib. 7.* vulgo etiam defensores dicebantur, qui tamen non semper patrociniū exercebant, sed etiam iudicum munere fungebantur, maxime πρωτεύδικοι, id est primi defensores, vt scribit BALSAMON ad *can. 78. eiusdem synodi.*

VI. Hi supremæ erant auctoritatis, quippe qui ad tuenda ecclesiæ iura aduersus magnates & potentes assumebantur, *κατὰ τῆς τῶν πλεσίων τυραννίδος*, id est, *aduersus diuitum tyrannidem*. Reges ipsi hoc nomine honorari voluerunt, Carolus enim M. S. Petri aduocatus contra reges Longobardorum electus fuit apud *EGINHARDVM*, vnde & imperatores hoc etiam nomen assumpserunt: aduocare, est defendere apud *RADEVICVM*, vnde & patroni ecclesiarum aduocati nominantur, vt dicemus *infra*, *tit. de iure patronatus*: non enim hic agimus de aduocatis & defensoribus, qui patroni & fundatores ecclesiarum, vicedomini, & oeconomi sunt, de quibus toties apud *ADREVALDVM FLORIACENSEM*, & alios quamplures.

---

T I T V L V S   X X X V I I I .

D E

P R O C V R A T O R I B V S .

I. Superiori titulo de aduocatis, & defensoribus, quorum officium pertinet aliquatenus ad *procuratoris* nomen generaliter sumptum. Hic specialiter agitur de diuersis generibus procuratorum; quorum vnus est voluntarius, alter necessarius.

II. Voluntarius est, qui sponte se alienis negotiis offert, apud *PAVLVM I. sentent. tit. 3.* qui voluntarium negotium gerit, vt loquitur *VLP.* in *l. praetor. §. praestat. ff. de reb. auct. indic. possid.* Et hunc proprie *ἐκδικτὸν*, *defensorem*, dicunt iurisconsulti, qui sine mandato agit; procuratorem vero cum mandato, vt notat gloss. in *l. 2. §. sin autem abfuerit. C. de iureiur. propter calumn.* cui assentitur *CVIACIVS*. Verumtamen & qui cum mandato agit voluntarius dicitur, quia ex eius voluntate pendet suscipere mandatum, non vero ex imperio mandantis: tale enim mandatum est potius consilium apud *IUSTINIANVM*, *tit. de mandato*, qui tamen fit necessarius, simul atque gerere coepit. Nudae voluntatis est suscipere mandatum, necessitatis consummare, *l. in commodato. §. sicut. ff. mandati.*

III. Talem procuratorem vocant canones aduocatum, *can. 2. 3. q. 7.* legatum, in *can. 1. 5. q. 3.* cognitorem *can. 1. ead. q. 7.* licet proprie cognitor sit, qui agit sine mandato, praesentibus iudice & litigatore;  
pro-

procurator vero absente, vt ANIANVS distinguit in *l. si lite. C. Theod. de cognitoribus*, & apud FESTVM; imo & cognitor proprie dicitur is, qui in iudicio postulare solet, vt constat EX PAVLO 5. *sentent. titulo 1.*

IV. Nec tamen haerendum est in verbis, cum promiscue accipiantur nomina praedicta, sicut procuratoris nomen, quod continet tam procuratores ad lites, quam ad negotia, tam priuatorum, quam fisci, vel reipublicae, vel ciuitatum, vt est in *cap. 7. hoc tit.* Olim procurator ad lites erat ignotus, cuius vsus medio tempore receptum fuisse docet VLP. in *l. 1. ff. hoc titulo.* Procurator ad negotia semper fuit quasi dominus, & iuris alieni vicarius apud TVLLIVM in oratione pro Caecinna.

V. Procurator ad lites is est, qui ad agendum & respondendum constituitur, plenamque habet potestatem defendendi & respondendi aduersario, si eum conueniat, alioquin non erit idoneus, *cap. accedens, & cap. constitutis, hoc tit.* Hinc fit, vt dicatur apocrisarius, & responsalis, quia alterius vice respondet, *cap. vlt. infra, vt lite non contestata*; sicuti qui ad impetrandum, vel contradicendum datur, id est ad impetrandum iudicem, vel literas citatorias, vel rescriptum, & ad contradicendum aduersario, qui iudicem voluerit obtinere: sic enim intelligendus est hic loquendi modus cum PANORMITANO, & aliis, in *cap. veniens. supra, de renunciatione. & cap. interposita, infra, de appellat.* quod omnes non capiunt. Talis tamen procurator non potest dici verus & legitimus procurator ad lites, sed tantum ad litis articulum, cum non detur ad agendum, ad litem prosequendam, & instruendam cum rationibus & munimentis causae, vt est in *cap. fin. infra, de dolo, & cap. 1. de appellat. in 6.* imo vero hic non debet ad agendum admitti, atque in expensis est condemnandus, qui eum misit, *cap. Nicolao. infra, de appellat.*

VI. Alius est procurator ad negotia, de quo TVLLIVS 3. in *Verrem*: omnes tuum procurare negotium in decumis loquebantur, qui nouare, exigere, transigere, soluere, alienare potest, dummodo id sit ob negotiorum vtilitatem, non animo donandi. *l. 1. §. 1. de procuratorib. PAVLVS 1. sentent. tit. 3.* Procurator hic siue liber, siue seruus, siue maior, siue minor sit, nil interest; *l. seruum. ff. eod.* non ita ad lites, quia minor debet implese decem & septem annos, & plenam pubertatem attigisse, *§. iustae. instit. quibus ex causis manumitt.* qua aetate adolentes praetexta deposita, ἀπόρροπον, togam puram assumebant, viri censebantur, in forum venie-

venie-

veniebant, & postulare poterant, *l. 1. §. initium. ff. de postulando*. Igitur & procuratoris munus exercere potuerunt.

VII. Nec scrupulum ingerere potest, quod minor viginti quinque annis contrahere non possit, quod verum est in re sua, quia facile decipi potest: at in aliena, nil obstat; imputet enim sibi, qui talem elegit procuratorem, ut glossa notat ex *l. cum mandato. ff. de minorib.* Pupillus, seruus, foemina possunt procuratorio nomine agere, *l. 7. ff. de instit. act.* nisi nominatim & palam praescriptum fuerit, ne cum eis contrahatur, *l. sed si pupillus. §. de quo. eod.* Ideoque quoties dicimus seruum manumissum esse, procuratoris habendi causa, & filiumfam. decem & septem annos habere debere, de procuratoribus ad lites debemus intelligere. *l. 13. ff. de manumissis vind.* Haec est aetas legitima de qua loquitur, *lex exigendi. C. hoc tit.* contra communem interpretum sententiam, tam iuris ciuilibus, quam canonici, & contra expressam decretalem BONIFACII in *cap. qui generaliter. §. licet. hoc tit. in 6.*

VIII. Tertii generis est procurator generalis, tam ad negotia, quam lites datus, *cap. dilectus. hoc tit.* & is quidem agere, & experiri poterit, nouare, exigere, transigere, soluere, alienare, modo haec fiant vtiliter, ut diximus; quod intelligendum quoties libera potestas datur, quam nominatim exprimendam esse volunt doctores, *l. quam Tuberonis. §. alia. ff. de peculio*, aut saltem sint verba aequipollentia, quae libertatem denotent; cum quibus etiam transeunt, quae speciale mandatum requirunt; tunc enim procurator omnia potest, quae dominus citra dolum, *l. procurator. ff. eod.*

IX. Debet praeterea mandatum legaliter fieri, ut loquuntur nostri, cum presbyterorum, & testium subscriptionibus, & ut ait glossa, mandatum tria continere debet, nomen mandantis, causam, quae mandatur, & quod ratum habebitur, quod factum erit, alias procuratoris generalis libertas restricta videbitur: *cap. petitio. hoc tit.* sicuti cum datur ad agendum, non ad defendendum; haec enim sunt relata, quibus casibus res inutiliter aguntur, & sententia nulla est, ac si procurator esset reuocatus, *cap. 3. hoc tit.* quae exceptio obiici potest ante, & post sententiam, *cap. 4.* Aliae sunt exceptiones, quae notantur a glossa. Sola tamen reuocatio non sufficit procuratori, nisi etiam parti, aut iudici fuerit significata, *cap. mandato. hoc tit.* veluti si excommunicationis vitium infit, *cap. ult. hoc tit. cap. licet. infra, de testibus.*

X. E



X. Et haec quidem omnia locum habent in ciuilibus caufis, non in criminalibus, in quibus nec ad accusandum, nec ad defendendum procurator datur, *can. in criminalibus. 5. q. 3. l. penult. de publ. iudiciis.* PAVLVS 5. *sentent. crimen quod vindictae, aut calumniae iudicium exspectat, per alios intendi non potest.* Excipiuntur in criminibus iniuriarum personae illustres; honor siquidem est per procuratorem litigare, *l. fin. C. de iniuriis,* cuius beneficii vsus ad omnes passim deuenit. Idem datur episcopis, & presbyteris, *nouella Valentiniani de episcopali iudicio.* Alias quamplures exceptiones recensere superfluum esset, de quibus vide notata in *can. si quando. 2. q. 6.*

---



---

T I T V L V S   X X X I X .

D E

S Y N D I C O .

I. **H**ic titulus est de procuratoribus generalibus, qui quidem negotia publica, non priuata gerunt, quos *syndicos* vocat *lex 1. ff. quod cuiusque vniuersit.* qui totius vniuersitatis, vel populi, vel collegii res gerunt, *tit. de iis, per quos agere possumus. inst. Qui in communi totius corporis causa ordinantur, vt loquitur lex 42. C. Theod. de episcopis, & ecclesiis;* actores vocat *MODESTINVS* in *l. cum aliqui. 27. ff. de negotiis gestis, oeconomos, Graeci ἐπιμελητάς, cap. imperatores. infra, de iuramento calumn. & can. cum scimus. 9. q. 3.* licet proprie isti plus iuris habeant, quam ceteri: siquidem rerum & redituum ecclesiae sunt dispensatores, *nouella 3.* Aduocatos etiam vocat *can. qui episcopus. 5. q. 4.*

II. Quae nomina promiscue vsurpantur, licet *ACCURSIVS* in *d. l. 1. §. quibus. ff. quod cuiusque vniuersit.* distinguat, vt *syndicus* sit, qui ab vniuersitate constituitur ad vniuersas lites & negotia: actor vero ad vnam tantum causam, quod satis probat *l. fin. §. defensores, ff. de munerib. & honorib.* nam certum est actores etiam dici omnium rerum & negotiorum, quales sunt curatores & procuratores ciuitatum, *l. cum alicui. ff. de negot. gestis, l. 3. C. Theod. de donat. vel reipublicae, l. 4. ff. de administ. rerum ad ciuit. pertin. qui res, rationesque reip. administrant, actores rerum. l.*

Q

*fin.*

*fin. ff. de offic. praesid. διοικητὰς πραγματοευτὰς Graeci*; qui quidem vt plurimum serui erant, vel libertini, de quibus toties mentio apud TACITVM.

III. Tales erant procuratores domorum principis, *l. 1. C. Theod. de domib. ad rem priuat.* procuratores rei dominicae, *l. 17. eod. de iure fisci,* curiales possessionum, *l. 13. de paganis*; gynaeciariorum, ac monetariorum, *l. 3. de indulgent. debit. cur.* & alii eiusdem generis homines, qui habent actorem siue syndicum, quoties faciunt corpus, vel collegium, *d. l. 1. ad quam etiam scribit ACCVRSIVS* oeconomos in causis tantum ecclesiasticis constitui, ex *l. omnes. 31. §. hoc nihilominus. C. de episc. & cleric.* his verbis, *quem oeconomum ecclesiae episcopi tractatus elegerit*; quibus denotatur episcopum id agere debere, habito cleri tractatu, vt fit in omnibus ecclesiae negotiis, *can. episcopus. 12. q. 1.* nam oeconomus constituitur ex clero quasi speculator, ne bona ab episcopis dissipentur, in *concilio Chalced. can. quoniam. 89. dist.*

IV. Sed de eo oeconomus non est censendus hic titulus, in quo agitur de eo, qui non tam dispensator, quam defensor rerum ecclesiae habetur. Porro is procurator vniuersitatis, siue syndicus, siue actor plerumque est voluntarius, plerumque necessarius; voluntario non debetur salarium, sed remunerationis causa ei solet aliquid impendi, vt *boc tit. & tunc dicitur honor, l. si remunerandi. ff. mandati,* cuius nulla petitio est, *l. salarium. C. mandat.* quia talis procurator est amicus voluntarius, vt loquitur TULLIVS, qui non pactus est de salario, sed libere ei confertur; ideo nec ei competit actio mandati, sed extra ordinem petit, *l. salarium. ff. mandati,* vel, vt ait eleganter SCAEVOLA, *l. ult. ff. de obligat. & act. Iudicem aestimaturum an sit ei danda actio:* vel vt est in *l. 1. C. mandati,* *apud praesidem prouinciae cognitio praebebitur.*

V. Non ita in aduocatis, quibus licet non sit cautum, salarium siue honorarium debetur: imo si cautum sit, dubitatum fuit, an peti potuerit, *l. 1. §. in honorariis. ff. de extraord. cognit.* quod cum temperamento est intelligendum, de quo in *l. si qui, & l. quisquis. C. de postulando.* Hodie licet aduocatis, procuratoribus, syndicis, & actoribus salarium quamuis non conuentum exigere, *d. cap. unico, boc tit.*

VI. Quantum attinet ad ea, quae verum & legitimum syndicum faciunt, idem ius est, quod de procuratore; & is syndicus in omnibus negotiis

gotiis

gotiis tam ciuilibus, quam criminalibus contra iuris antiqui ordinem dari potest, quod Fridericus imperator vult in constitutionibus Siculis *lib. 2. tit. 2.*

## TITVLVS XL.

DE

IIS, QVAE VI, METVSVE CAUSA  
FIVNT.

I. **A**ctum supra de his quae sponte geruntur; nunc vero de his, quae per vim, & metum.

II. *Vis* hoc loco intelligenda est, qualem definit **TULLIVS**, *orat. pro Caecinna*; *necessitas contraria voluntati*, & **VLPIANVS** in *l. 1. ff. quod metus causa*, ideo **HARMENOPVLVS** hunc titulum *περὶ ἀναγκῆς, καὶ βίας*, id est, *de necessitate & vi* concipit: quae necessitas libertati, rei, iuriue publico, seu priuato contraria est, *l. qui dolo. ff. ad l. Iuliam de vi*. *Nihil iuri tam inimicum, quam vis*, inquit **TULLIVS**, *ibid.*

III. Apud iurisconsultos duplex est vis, simplex, quae a **TULLIO** dicitur quotidiana, quae fit verbo; altera, quae fit coactis hominibus, armatisque: ex vtraque competit interdictum, sed illa possessori tantum vi deiecto; haec etiam non possessori, veluti colono, *l. 1. C. communia de vsucap.* illa fit sine caede, sine cruore, sine percussione, quae tamen iustum incutit metum, pauorem, terrorem, exterminationem, trepidationem, aut honoris iacturam, *l. attentari, & l. item. §. tenetur. ff. de iniuriis*. **TERTULLIANVS** *lib. de velandis virginib. ubi sollicitatio, illic coactio, ubi coactio, illic necessitas, ubi necessitas, illic infirmitas*. Vis adhuc simplex & quotidiana est, quam quidam festucariam vocant, per iactum festucae, ad exemplum operis noui nunciationis; quae fit per iactum lapilli, vt alibi dicemus.

IV. Proprie vis, hoc tit. intelligitur, quae non leuem terrorem, veluti damni inferendi suspicionem, sed mortis periculum, aut corporis cruciatum, aut intolerabilem iniuriam, aut feruitatem minatur, *l. si mulier. ff. eod. l. interpositas. C. de transact.* & vt nostri definiunt, *quae potuit cadere in constantem virum, cap. ad audientiam, cap. cum dilectus. hoc tit.* veluti si quis beneficio suo, amissionis bonorum metu renunciauerit, *cap. 2.*

Q 2

hoc

*boc tit.* vel electioni de se factae. Italis renunciatio non valet, *cap. seq.* propter dolum, qui semper metum praecedit, *l. item si. §. eum qui. ff. eod.* non quidem ipso iure, sicut in contractibus, in quibus inest stipulatio, *l. penult. C. de inutilibus stipul.* Aliud est in contractibus bonae fidei, in quibus metus, ipso iure, quod actum est, vitiat, *l. 1. C. de rescind. vendit.* id denotat edictum praetoris in *l. 1. ff. boc tit. quod metu gestum, ratum non habeo*, & vt optime glossa, in *cap. 2.* docet, quod ipso iure non est, non habet opus hoc edicto; ideo summus pontifex addit, *de iure debent in irritum reuocari.*

V. In quibusdam casibus leuis metus, & vis simplex, vel coactio considerantur, vt in matrimonii contractibus, propter infelices exitus, *cap. requisit. infra, de sponsalib.* non tamen vt soli assertioni sit credendum, *cap. consultationi. eod.* Idem dicendum de voto, *cap. licet. infra. de voto, & voti red.* alias vero tenuis metus non prodest, veluti ob solam regis potentiam, sine minis, sine verbis, nisi talis sit qui cadat in constantem, *cap. ad aures, boc tit. can. Lotharius. 31. q. 2.* quamuis & regias preces idem valere quod minas asserat IVO CARNOT. 68. *epist.*

VI. Si per magnatum potentiam, vel publicum officium gerentium auctoritatem contractus extorti fuerint, omnia haec infirmari debent, *l. ult. C. eod. per impressionem*, vt loquitur CONSTANTINVS, in *l. penult. eod.* & TULLIVS I. *Acad. quaest. Vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impressionem, & epist. 2. lib. 5. ad familiares; nihil illi deliberatius fuit, quam me non iudicio, neque disceptatione, sed vi atque impressione euertere.* Haec vis, siue impressio illicita fuit proconsuli vel praetori, *l. penult. ff. ad l. Iul. repetund.* etiam per interpositam personam, *l. aufertur. §. quod a praeside. ff. de iure fisci.* Hanc impressionem, *ereptionem*, vocat TULLIVS 4. in *Verrem.* Impressioni additur *παρηγορία*, calliditas, apud HARMENOPVLVM *tit. 12. lib. 1.* quae dolo assimilatur.

VII. Prodest etiam metus exceptio iis, qui metu iudicum ausi non sunt appellare ab eorum sententiis, quoties violentia adhibita fuit, & ipsi publice contestati sunt se violentia impediri; quae contestatio intra praestitutum appellationis tempus fieri debet. *l. cum quidam. ff. de appellat.* Alias inutile foret solam magistratum potentiam allegare, *l. 1. & 2. C. de his, qui propter metum iudicis*, in praesentia scilicet bonorum virorum facta protestatione, inquit GREGORIUS *cap. ult. de appellat.* quia talis contestatio pro petitione habetur, *l. 2. ff. de nautico foenore.*

TI-

## TITVLVS XLI.

DE

## IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

I. **N**on solum quod per vim, metumque gestum est, sed aliis plerisque de causis contractum, fit irritum per restitutionem in integrum, ἀποκατάστασις vocant Graeci, quae non fit tantum propter rei amissionem, sed etiam iuris redintegrationem. *Restituendi* enim verbum omnem causam pristinam continet; aliquando litis tantum restaurationem, vt in *l. diuus. ff. de re iudicata.*

II. Competit porro restitutio, vel personarum contemplatione, vel vitio instrumenti, vel sententiae prolatae. Personae quibus hoc beneficium datur, sunt, minores viginti quinque annis, nisi rem iuramento firmauerint, *cap. in praesentia. infra, de probationib.* ex constitutione **FREDERICI** apposita in *tit. Cod. si aduersus vendit.* tunc enim non restituentur, nisi dolus vel metus interfuerint; quod si solennitas iuris ommissa fuerit, tunc id, quod actum est, ipso iure nullum est, nec opus est restitutione, sed potius nullitatis sententia declaratoria, *cap. constitutus. hoc tit.* & in eo minores a maioribus distingui videntur; quia eorum, quae ab his acta sunt, omissis iuris solennibus, sicut per vim, metum, & dolum obligatio contrahitur, sed per restitutionem dissoluitur: at in aliis contra.

III. Specialis casus notatur etiam in maioribus, quoties quaestio est de matrimonio; nam facile restitutionem nostri canones admittunt, etsi causae probatione indigeant, *cap. ex causa. hoc tit.* minorum quoque iure vtitur ecclesia, vt ait **ALEXANDER III.** in *cap. 1. hoc tit.* ideoque beneficio restitutionis in integrum iuuatur, *cap. 2. 3. & 5.* nec enim patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, cum sit cultrix iustitiae, vt ait **AUCTOR feudorum lib. 1. tit. 8.**

IV. Ecclesia est pars reip. praecipua, & nobilior *l. 1. §. publicum. ff. de iust. & iure;* pupillo similis, egenti auxilio restitutionis, duobus scilicet concurrentibus, quibus minori succurritur, quoties laesio, siue damnum inest, idque intra quadriennium a die laesionis computandum, *cap. 1. hoc tit. in 6. Clementina vnica, hoc tit.* nec aliquod aliud

Q 3

tempus

tempus est in ecclesia expectandum, quia semper in ultimo minoris aetatis puncto esse censetur, cum minor vigesimum quintum annum expectet, *l. petendae. C. de temporib. in integ. restit.*

V. Datur praeterea haec restitutio in omnibus causis, in quibus ecclesia probatur laesa, etiam aduersus res iudicatas, quoties causae de nouo emergunt, *l. de aetate. §. ex causa. ff. de interrogat. actionib.* imo & contra sententiam papae, *cap. 5. hoc tit.* hac potissimum ratione, quod cum appellatio locum non habeat, *can. cuncta. 9. q. 3.* sicut contra principes & supremos magistratus, opus fuit aliquo singulari, & extraordinario remedio restitutionis in integrum, *l. 1. ff. qui, & a quib. appellare non licet:* & in eo fortius est hoc remedium, quam appellationis; imo & contra sententiam denegatae restitutionis datur saepius restitutio, ex noua causa prius non deducta, *l. 2. C. se saepius in integ. restitutio postul. cap. beneficio, hoc tit.*

## TITVLVS XLII

DE

### ALIENATIONE IUDICII MVTANDI CAUSA FACTA.

I. **H**ic quoque titulus est de restitutione in integrum, quae fit vno casu, in gratiam non tantum minoris, sed etiam maioris viginti quinque annis: quoties pars altera, quae litem habet, dolo malo ius suum in aliquem transfert & *facit commutationem*, vt loquitur, *cap. 1. hoc tit.* veluti si vendat, aut cedat potentioribus, quo maius negotium illorum patrociniis ingerat aduersario, *l. 1. C. ne liceat potentiorib.*

II. Patrociniis nomine intelligi debet procuratio, quae quasi rem suam vrget, & tuetur; non vero aduocatio, quae non tantam curam exigit: quod ostendit *caput vlt. hoc tit.* aduersus clericos, qui fori praescriptionem habentes sibi cedere faciunt actiones, & ita laicos ad iudicium ecclesiasticum trahunt, hoc fit ad exemplum edicti praetoris in *l. 5. §. vlt. ff. eod.* quoties nempe haec iudicii futuri mutandi causa fiunt, non vero iam inchoati: quod olim verum erat, sed non hoc iure, quo alienatio rei litigiosae iudicium saepe mutat, & ita fit, vt qui rem litigiosam in alium transfert, puta in potentiolem, vel clericum, in hoc edictum incidat, ac in poenam de litigiosis, *l. vlt. C. de litigiosis.*

III. Alie-

III. Alienationis nomine intelligimus non tantum res, siue mobiles, siue immobiles, de quarum proprietate lis esse potest; sed actiones & nomina debitorum, vt innuitur ex *d. cap. ult.* & exprimit *nouella 112.* quod etiam docebitur *infra, tit. vt lite pendente.*

IV. Alienationis etiam verbo *hoc tit.* non continetur omnis modus quo res & actiones in alium transferuntur, sed tantum qui fit inter viuos, quoties possessio alienatur in eius fraudem, qui controuersiam facturus erat, siue ex causa pignoris, vel usufructus, vel emphyteusis, vel seruitutis, vt notat *CVIACIUS* in *l. 4. §. Paedius, & §. ult. ff. eodem;* non vero ex causa ratihabitionis rei venditae propter morbum, aut vitium, vt est in *l. 44. §. fin. ff. de aedilit. edict.* Sicut nec est locus huic materiae, quoties alienatio fit titulo donationis causa mortis, vel ex legato, & similibus. Mens autem huius tituli haec est, ne ex tali alienatione deterior fiat conditio alicuius, quod crebro fieret, si rescriptum impetratum aduersus illum, cui cessio facta est locum non haberet *d. cap. 1.* De quota litis dicetur *infra tit. vt lite pendente,* & videndi doctores ad *cap. 2. huius tituli.*

## TITVLVS XLIII.

DE

### ARBITRIS.

I. **H**ic titulus adiicitur eodem ordine, quo apud iuris ciuiliſ auctores; quia postquam de iudicibus & magistratibus actum est, consequens fuit loqui de iis, qui iudicum vices gerunt, vt sunt arbitri.

II. Quorum alii dantur a magistratibus, alii a partibus assumuntur. Illi pluribus de causis tam a principe, quam a magistratibus, a praetore, a iudice etiam pedaneo, *l. si ab arbitro ff. qui satisdare cogantur, l. ult. C. ubi, & apud quem. l. rem non nouam. C. de iudiciis:* suntque speciales in re aliqua disceptanda iudices, Graeci *αἰρετὲς δικάσας* vocant; quibus plerumque similes sunt iudices delegati, atque etiam adseffores, suntque & dicuntur legitimi & ordinarii, quia secundum iuris regulas iudicare debent, & hi soli imperitiae arguuntur, non qui eos dederunt, *l. 4. §. si iudex. ff. de act. & obligat.* litem suam facit qui dolo malo, vel imprudenter & perperam iudicat,

dicat, & litis alienae periculum sustinet, *l. 2. § 16. C. Theod. quorum appellat. non recip.*

III. Iure tamen canonico aliud est; nec enim ecclesiasticis magistratibus, episcopis, vel aliis licet canones, & iura ignorare, ut recte docet BALSAMON ad *canonem 15. synodi Carthag.* a talibus enim licite potest appellari, *can. hoc etiam. 2. q. 6.* Sed de his iudicibus supra dictum est; hic vero de receptis arbitris, qui ex partium compromisso, & mutua stipulatione constituuntur; & licet ordinarii non sint, ordinariorum tamen iudicum morem imitantur; *compromissum ordinariae actioni comparamus,* inquit PAULVS in *l. 1. § 1. non distinguemus. §. item si quis. ff. de recept. arbit. l. penult. C. eod.*

IV. Hoc compromissum quod Graeci *δοκιμασίαν* vocant, duplex est; aliud merum, aliud simplex: merum stricte sumitur, quia in personam certam confertur; simplex, modo in certam, modo in incertam, & hoc arbitrium boni viri vocatur, *l. si societatem. ff. pro socio:* quod egreditur personam, non vero merum, *l. in compromissis. ff. eod.* Nec si arbiter iniuste iudicauerit, sententia retractatur, nisi interueniente dolo, *l. arbitrorum. C. hoc titulo. l. ita demum. ff. de verborum obligat. l. diem. §. stari. ff. eod.*

V. Hi sunt qui secundum iuris formam eliguntur, *à point de droit,* in *cap. legitima. de appellat. in 6.* & in loco competenti, ut peritorum sit copia, *cap. statutum. de rescript. in 6.* non ita in arbitrio boni viri, in quo licet certa persona eligatur, non tam ipsius personae, quam aequitatis sententia spectatur. TULLIVS pro Roscio comoedo formulam proponit, *quantum aequius & melius id dari:* nam differentia est inter veros arbitros, & alios, quos vulgus arbitratores vocat, mediatores, seu disceptatores in *cap. penult. hoc tit. μεσιτεύοντας τῆς δοκιμάσεως Harmenopuli SCHOLIASTES* vocat, *tit. 4. lib. 1.* Hi iudicant ex aequitate, nec aliter ratum est arbitrium quam *si aequum sit,* ait CELSVS in *l. si libertus. 30. ff. de operis libert. l. in personam de regulis iuris,* glossa in *cap. exposita. hoc tit.* scribit, *dummodo illa aequitas non sit ficta, nec simulata quae duplex est iniquitas,* ut loquuntur interpretes in *cap. 5. de electione, in 6.* Haec autem aequitas feruatur in contractibus bonae fidei; nam in aliis, veluti stipulationibus rigor iuris feruatur.

VI. Sunt alii arbitri, qui sine compromisso ex iureiurando petuntur, *cap. 2. hoc tit. fide binc inde data, cap. cum tempore, hoc tit. quod quidem no-*  
*uelia*



*uella* IVSTINIANI 82. improbat, & iureiurando firmari prohibet, contra aliam constitutionem, in *l. 4. C. hoc tit.* Sed potius vult poenam ad iici, aduersus eum, qui arbitrio non paruerit, relicta periurii poena apud Deum, & ne periurium sit iniquitatis vinculum, *cap. quanto. infra, de iureiurando.*

VII. Alii praeterea sunt sine compromisso, sine iureiurando, ex simplici & nudo consensu, ex communi sententia, vt loquitur imperator in *l. vlt. C. ubi, & apud quem cognit. ex communi electione, in l. penult. C. hoc tit.* Tales possunt fieri etiam qui legitimam personam non habent, vt sunt foeminae, quarum sententiae partes stare non tenentur, nisi specialiter iurisdictionem habeant, *cap. dilecti. hoc tit. cap. dilecta. infra, de excessib. praelat.* Idem est de feruis in *l. Paedius. ff. eod.* Idem de laicis, qui licet in causis ecclesiasticis arbitri & iudices esse non debeant, arbitratores tamen & compositores esse possunt, *cap. per duas. hoc tit.*

VIII. Similiter nil vetat, quin cognoscere valeant de causis, de quibus compromissarii non possunt, qualis est restitutio in integrum, causa matrimonii, liberalis, criminalis, *cap. penult. supra, de restit. in integrum.* Ideoque licet iuris ciuilibus regula arbitrum sumi iudicem prohibeat, tamen compositores iudices esse posse dubium non est, vt docet glossa in *l. sed & si. §. si quis. ff. eod.* CUIACIUS ad nouellam 86. nec admittendam esse contendit eorum opinionem, qui iure canonico id posse fieri arbitrantur, sed textus, quos ad id probandum refert, intelligendi sunt de arbitratoribus in *cap. causam. supra, de elect.* quod confirmat glossa in *cap. nisi. infra, de praebendis.*

## FINIS LIBRI PRIMI.



R

DECRE.

---



---

# DECRETALIVM

## LIBER SECVNDVS.

---



---

### TITVLVS I.

DE

### I V D I C I I S.

I.



De iudicum qualitate, & potestate dictum libro superiori: consequens est agere de iudiciis, iuxta ordinem iuris ciuilis. Totus hic liber ad modum, formam, & ordinem iudiciorum pertinet; ideo primus generalis proponitur titulus, ex quo pendent reliqui omnes, ad disceptandas rerum & personarum ecclesiasticarum lites, & controuersias.

II. Iudiciorum originem a primis ecclesiae cunabulis repetere debemus, cum lites omnium Christianorum ad forum ecclesiasticum deuoluebantur, *can. apostolorum 37.* quo bis in anno synodi, seu conuentus praecipiantur, non solum ad fidei difficultates definiendas, verum etiam ad occurrentes controuersias ecclesiae dirimendas, τὰς ἐμπιπείσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλύετωσαν, vt optime exponunt ZONARAS, & BALSAMON: quod confirmatur *constitutionibus apostolicis CLEMENTIS nomine scriptis, cap. 47. lib. 2.* secunda feria nempe cuiusque hebdomadae, ἐν δευτέρῃ σαββάτων τὰ τοιαῦτα ζητήματα sedare quaestiones iubentur presbyteri & diaconi, qui *sapientum* nomine intelliguntur apud APOSTOLVM, vt explicat D. CHRYSOSTOMVS: & inde fluxit, vt passim in ecclesia iudicia omnium Christianorum penes episcopos essent, vt idem docet *lib. de sacerdotio, cap. 18.* etiam ante Constantini M. tempora, vt constat ex concilio Eliberitano ante Nicaenum habito.

III. Quod dico, non vt inde ecclesiam omnem iurisdictionem in laicos summo iure habuisse contendam; sed potius ex beneuolentia, & benignitate

nignitate

nignitate imperatorum & principum, qui hanc libertatem adeundi iudices ecclesiasticos arbitrio vnus cuiusque reliquerunt, *l. 1. C. Theod. de episcop. audientia, nouella IULIANI 115. IVSTINIANI 79. & 86.* sed de his latius obseruat. *21. lib. 1.* Hoc saepius episcopi aegre tulerunt propter nimias occupationes, quibus litigantium iurgia eos implicabant, de quo conqueritur *D. AVGVST. in psalm. 118. & lib. 6. de opere monachorum cap. 29.* tum etiam propter auaritiam & quaestum clericis valde damnosum; quod malum Siluanus Troadis episcopus agnoscens neminem ex clero iudicem esse permisit, sed vnum ex laicis fidelibus aequitatis amantissimum praefecit, vt refert *SOCRATES lib. 7. cap. 37.* Hos κοσμικὲς ἄρχοντας, id est mundanos magistratus vocat *CLEMENS cap. 45. lib. 2. const. & epist. 3. ad Iacobum* relata in *can. 29. 11. q. 1.*

IV. Hanc secularium negotiorum cognitionem abiecit ecclesia, sibi tantum ecclesiastica iurisdictione reseruata, iuxta decretum *ANACLETI ep. 1. SYLVESTRI, IULII, EVGENII, in cap. 2. h. t.* Quem ordinem seruauerunt Christiani imperatores *THEODOS. & VALENTIN. in l. 47. cod. Theod. de episc. & cler. & l. 3. C. eod. de episc. iudic.* Hic autem ordo seruandus est, vt vnaquaeque prouincia suos iudices ecclesiasticos & comprouinciales habeat, nec externos adire cogatur, vt est decretum a *IULIO in ep. 1. cap. 16.* hos πολιτικὲς ἄρχοντας, id est, locales magistratus, externam potentiam exponit *BALSAMON ad can. 5. synod. Antioch.*

V. Nec solum a publicis siue secularibus iudiciis, sed etiam ecclesiasticis externis & peregrinis eximuntur clerici; nam vnusquisque a suo episcopo vel metropolitano iudicari debet. Peregrini siue extranei sunt, qui extra prouinciam habitant, *can. peregrina, & can. si quis clericus. 3. q. 6.* hoc ordine posito, vt in primis iudex ordinarius, qui est episcopus, sit adeundas, *can. si quis episcopus. 2. q. 7. & cap. nouit. hoc tit. cap. cum contingat. inf. de foro compet. can. presbyteri. 11. q. 3.* tum deinde metropolitano, postremo primas, vel patriarcha, vel sedes apostolica, quae omnium causas vtpote mater agnoscit, vt est definitum concilio *Nicae. o, Sardicensi, & aliis.*

VI. Et hunc ordinem iudiciorum agnoscit *IVSTIN. in l. 29. C. de ep. aud.* in qua ab episcopis metropolitanis & patriarchis ad Constantinop. sedem recurrendum esse statuitur, iuxta versionem Latinam, quam *ILVSTRISS. VIR DE MARCA* impugnat, eo quod constitutio Graeca

non loquatur de Constantinop. fede, sed de quavis alia patriarchali, vt scilicet fedes quaelibet patriarchalis de appellationibus patriarchae, aut metropolitae, vel episcopi, cui causam delegarat, cognoscat. vid. eum in tractatu de prim. Lugdun.

VII. Igitur spreto iudice ordinario clericus apud iudicem superiorem conueniri non potest; imo nec apud synodum prouincialem, sicut episcopus spreto synodo prouinciali non potest ad synodum vniuersalem, vel sedem apostolicam trahi, & si vocatus fuerit, impune recedere potest, nisi consensum praestiterit, vt de Quoduultdeo dicitur in cap. 1. hoc tit. cuius intellectum ad *obseruationes meas* remitto: quod probatur ex can. 6. *synodi Constantinopolitanae*, in quo dicitur: si quis ausus fuerit imperatoris aures molestia afficere, vel secularium principum iudicia, vel *ὁικουμενικὴν σύνοδον* perturbare, neglectis dioecesanis episcopis, eum nullo modo ad accusationem esse admittendum, vt qui canonibus iniuriam fecerit; vbi optime BALSAMON ait, causam primum apud metropolitanum agitari debere, si non possit *ἐγχώριος σύνοδος τὴν ὑπόθεσιν λύσαι*, id est; *regionis episcopus causam soluere*; eamque audeat *μείζων σύνοδος*, quod si vniuersalis non congregatur, tunc a synodo prouinciali ad primatem, vel sedem apostolicam lis deuoluatur ex decreto IULII in cap. 170. lib. 1. apud BURCHARDVM.

VIII. Praeterea vt episcopus vel clericus respondere teneatur, opus est, vt legitime citatus fuerit ex decreto concilii Carthag. can. 19. alioquin legitimum non est iudicium, nec de iure possunt partes aequae *experiri*, id est, disceptare, litigare; quod vocabulum commune est actori & reo in cap. 1. hoc tit. Oportet etiam, vt constet, quis actor, quis reus sit, quale ius habeat actor contra reum, licet actor nomen actionis in libello exprimere non teneatur: ratio tamen petendi debet iudici innotescere cap. fin. inf. de libelli oblatione. Hoc iure, ciuilibus rigor temperatur, quo actionis expressio est necessaria. l. 1. ff. de edendo: ius enim canonicum solam aequitatis rationem, & facti veritatem intuetur, cap. 1. inf. de dolo & contumacia, cap. dilecti, hoc tit. Et in eo differt iudicium ecclesiasticum a ciuili, sicut in aliis plerisque, quod innuit HARMENOPVLVS lib. 1. tit. 2. *τὸ μὲν γὰρ διὰ νόμων πρόεσι, τὸ δὲ διὰ κατόνων*, id est, *quoddam enim legibus regitur, quoddam canonibus*. Nec tamen sentiendum est hoc iure omnem actionis editionem improbari, sed eam tantum, quae iuris subtilitatem continet,

continet, quam etiam CONSTANTINVS sustulit in *l. 1. C. de formulis & impetrat.* Semper enim libellis causae debent exponi *cap. ult. inf. de libelli oblat.* quae sit congruens & apta, *cap. examinata. hoc tit.*

IX. Iudex debet cuncta rimari, & plene discutere, interrogandi, obiciendi, respondendi praebita licentia, *can. iudicantem. 30. q. 5.* Vnde fit, vt vulgo dicatur iudicium tribus praecipue personis constare, iudice, actore & reo: quia horum quilibet partes agit interrogantis & respondentis. Iudex interrogat & respondet cum decernit, *cap. prout. inf. de dolo, & contumacia;* interrogant, & respondent partes inuicem *l. si sine. ff. de interrogat. act.* gloss. in *d. can. iudicantem.* TVLLIVS 2. *de inuentione: in omni causa ab utroque oportebit a quo, & per quos, & quomodo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut quid statui de ea re conueniat.*

X. Porro in omni causa ciuili & criminali clerici habent suos ordinarios & legitimos iudices *cap. 4. hoc tit.* ita tamen, vt liberum sit episcopo poenam infligere vel pecuniariam, vel depositionis, & vna sit contentus, quod si grauitas criminis eum deterreat, depositione prius habita a gradibus ecclesiasticis quasi proiectum a foro ecclesiastico, tradat seculari. *cap. nouimus. inf. de verb. signif.* Qualiter fiat degradatio, dicitur in *cap. 2. de poenis in 6.* & nos dicemus suo loco.

XI. Quibusdam tamen casibus priuilegium fori clerici praetendere non possunt, vt dicemus infra *de foro competenti,* sicut e contrario nec laici ecclesiasticam iurisdictionem vitare possunt, *cap. nouit. hoc tit.* quia episcopi munus est peccata impedire, *cap. 1. supra, de offic. ordinarii. can. duo sunt. 99. dist. cap. vnam sanctam. Extrauag. de maiorit. & obedient. maxime ob iurisiurandi religionem, & pacis vtilitatem. can. omne. 22. q. 1.* Quod hodie constitutionibus regiis immutatum est: nam propter iusiurandum iudex ecclesiasticus omnium causarum cognitionem sibi arrogauerat, quae ratio est, cur tam ampla & celebris fuit olim officialis Tolosani iurisdictione, cuius locum adhuc amplis, & altis subselliis ornatum videmus.



## TITVLVS II.

DE

## FORO COMPETENTI.

I. **P**ost titulum generalem de iudiciis, congruum fuit tractare *de foro*, in quo iudicia exercentur. Quod forum siue iudicium, siue audientiam episcopalem *κρίσις ἐπισκοπικὴν* dixeris, nil refert in *can. 107. synodi Carthaginensis*, siue *τὸ ἐκκλησιαστικὸν δικαστήριον*, *can. 15. ead. can. placuit. 11. q. 1.* siue *τῆ βήματος ἀκρόασις*, vt loquitur *BALSAMON in Photium*, quae nomina iuris dicundi potius facultatem, quam locum designant, eam enim non habuisse olim episcopos, sicut nec forum contendunt plerique.

II. In vtroque tamen eos decipi certum est, nam & iudicium & audientiam & iurisdictionem ordinariam illis fuisse satis conuincunt, quae superiori titulo de synodis prouincialibus diximus. Locus vero non alius fuit, quam ipsa ecclesia, vel potius ipsius ecclesiae porticus & ambitus, vbi res omnes & controuersiae ecclesiasticae definiebantur, vt ex epistolis *IULII P.* constat; *Nullus in publico causam agat, nisi in ecclesia.* Nec eam sacrarum aedium partem, vbi ius dicebatur, primitus *ἀγορὰν* forum, non basilicam dixerunt, ne gentiles imitarentur, qui in eodem foro, vbi res venales exponebantur, ius dicebant, *l. inter §. sacram. ff. de verborum obligat.* donec propter tumultum & populi concursum in illis basilicae constructae sunt, in quibus tribuni plebis ius dicebant, teste *PLVTARCHO in Catone minore*, cum loquitur de Porcia basilica, quam Cato maior dedit, *ἐνώτασι ἐν ἐκεί χρηματίζεν οἱ δημάρχου*, id est, *in ea tribuni plebis audientiam dare solebant.* Basilicae erant templa, vt constat *EX PLVTARCHO in C. Caesare*, & in *Catone*, & in *§. sacrae. instit. de rerum diuis.*

III. Successu temporis omnia haec vocabula confusa fuerunt, nam & ecclesiae dictae fuerunt basilicae, & fori vocabulum illis datum fuit, ita vt non tantum de secularibus iudiciis, sed etiam ecclesiasticis vulgo acceptum fuerit: hinc priuilegium fori apud *CAROLVM M. lib. 7. cap. 251. clericus non alicubi, quam in suo foro audiatur.* Forum hoc designat *MARTIANVS imp. in l. cum clericis. C. de episc. & cleric.* his verbis: *in nullo alio foro*; ita tamen, vt semper haec regula locum habeat, vt actor fo-  
rum

forum rei sequatur, *cap. cum sit, hoc tit.* nisi res fit ecclesiastica; tunc enim non inspicitur, quis sit reus, quis actor, sed tota lis ad iudicem ecclesiasticum pertinet, fauore ecclesiae, *cap. si clericus. hoc tit. can. experientiae. 11. q. 1.*

IV. Sicut e contrario clericus conueniri potest coram iudice seculari in quibusdam casibus, veluti si quaestio sit de feudo seculari *cap. 7. hoc tit.* quia vt notat glossa, res naturam potius a domino feudi, quam a persona vassalli accipit, *cap. solitae. sup. de maior. & obedient.* secundo ex causa reconventionis, *can. 1. 3. q. 8.* vt dicetur *infra, titulo de mutuis petitionibus*; ex causa delicti, in quo clericus pertinaciter haeserit, & poena ecclesiae non sit sufficiens, *cap. cum non ab homine. sup. de iudiciis, can. nec licuit. 17. d.* Criminum casus iure huius regni facile ad omnia delicta extenduntur, quae vulgo priuilegiata dicuntur, vt sunt laesae maiestatis, sacrilegii, falsitatis, & alia pleraque, quae forum ecclesiasticum mutant, & recta via in ius publicum trahunt, contra mentem *cap. 8. & cap. conquestus, hoc tit.*

V. Similiter in quibusdam casibus laicus a foro suo ad ecclesiasticum trahitur, in causis nempe ecclesiasticis, vt est matrimonii quaestio *cap. 1. inf. de consanguinit.* & aliis, quae passim enumerantur, *cap. cum te consulente, & cap. super. supra, de officio delegati.*

VI. Et haec est praescriptio fori, quae opponi solet, & cui etiam vulgo renuntiari non potest; quod INNOCENTIVS III. primum constituisse videtur in *cap. si diligenti, hoc tit.* etiam si iuramentum intercesserit, vtpote contrarium iuri ecclesiae, imo etsi episcopus consenserit, ius publicum priuatis pactioibus non infringitur; licet CUIACIVS talem renunciationem iuri vniuersali ecclesiae non officere contendat, quod immerito vocat priuilegium, cum re vera sit ius cum ipsa ecclesia natum, vt *titulo de pactis* diximus.

VII. Quo quidem nemo clericus exui potest, & si contra egerit, gradus honore priuandus est, *can. placuit. 11. q. 1. nisi, inquit, iudicium episcopale petierit ab imperatore*; quod olim iniuria temporum effectum est, cum imperialis potestas omnia ecclesiae iura inuasisset, & sedes, forumque ecclesiae pro libito statuisset, quae & episcopatus metropolis titulo donabat, & prouincias *διὰ τύπων πραγματικῶν, καὶ διὰ δημοσίων τύπων*, id est, *per pragmatica edicta, & per publicas formas* diuidebat, & nouum forum assignabat

bat

bat *can. 12. & 17. synodi Chalced. can. 38. syn. in Trullo.* Tunc nec patiebatur quemquam opponere τῆ ἀπροσφόρου διασῆ παραγραφῆν, id est *competentis iudicis praescriptionem*, vt loquitur BALSAMON *ad can. 15. synodi Carthag.* qui inuitus fatetur in causis pecuniariis, vel ciuilibus, ac in rebus priuatis non tamen ecclesiasticis hoc locum habuisse. Sane in criminalibus, & accusationibus episcoporum & clericorum nusquam forum seculare admissum est, *can. 74. apostolorum, can. 6. synodi Constantinop.* nec id imperatores sibi arrogare ausi sunt, sed tantum vt iuris ordo trium edictorum in contumaces seruaretur, vt scribit idem BALSAMON.

VIII. Distingui praeterea solet, vtrum causae ecclesiasticae sint ciuiles, an vero criminales; *nouella IULIANI 77.* ciuiles aliae sunt mere ecclesiasticae, vt quae de sacramentis quaestionem mouent, veluti de matrimonio, *cap. causam. infra, qui filii sint legitimi:* de baptismo, de statu ecclesiae, de fide; de his nusquam iudices publici iurisdictionem habuerunt, *can. 15. synodi Carthag.* Aliae non sunt penitus ecclesiasticae, quae personarum contemplatione, & ordinis ratione tales sunt: de his imperatorum constitutiones cogitarunt, quae scilicet de rebus pecuniariis, & priuatis litem faciunt, BALSAMON *ad d. can. 15.*

IX. Criminales causae aliae sunt omnino ecclesiasticae, aliae partim tantum, illae euangelicae legi, & sanctionibus ecclesiasticis repugnant, de quibus seculares cognoscere non debent, vt de crimine vsurarum, *cap. super eo, & sequenti, inf. de vsuris, sacrilegii, periurii, haeresis, & aliorum cap. vt inquisitionis, de haeret. in 6.* quorum castigatio, & multa episcopis reseruatur, *nouella IUSTINIANI 83.* sed hodie e contrario ratione priuilegii ad publicum iudicem omnino sine vlla dispensatione ecclesiastica deuoluuntur.

X. Causae criminales partim ecclesiasticae sunt, quae non tantum sacris canonibus, sed etiam sanctionibus secularibus prohibentur, furtum, adulterium, homicidium, & similia, quorum cognitionem adimere ecclesiae voluerunt constitutiones imperatoriae: quae tamen restituta ei fuit, nisi tunc demum, cum ecclesia poenas crimini conuenientes non habet, quo casu ad brachium seculare recurritur, *cap. at si clerici. superiori tit.* quae omnia passim exemplis in toto iuris corpore illustrantur.

XI. Alia est fori praescriptio praeter illam, quae aduersus seculares opponitur, quam ipsi ecclesiastici inter se seruant, tribus praecipue de causis,



causis, ratione domicilii, beneficii, & delicti, & hoc postremum caeteris praeualet, ita ut episcopus loci, in quo quis deliquit, iudex sit competens, & tunc non potest opponi praescriptio fori, ut res ad propriam dioecesim, vel prouinciam deoluatur, in qua reus beneficium habet; *can. 1. 3. q. 6. l. ult. ff. de accusat.* nisi quantum ad executionem sententiae, quae debet fieri coram ordinario domicilii, patrimonii, vel beneficii, si eo priuandus sit. *cap. 1. sup. de off. ordinarii. cap. postulasti. hoc tit.* ut est in *l. a D. Pio. §. 1. ff. de re iudicata.* Et ita contingit, ut sententia ab vno lata apud alium fidem faciat. *can. quisquis. 24. q. 1.*

XII. Idem ius seruatur ratione contractus, *cap. ult. hoc tit. cap. Romana. §. contrabentes. eod. in 6. & cap. 1. de privilegiis in 6.* vel ubi quis promisit se soluturum *cap. 40. sup. de officio iudicis deleg. cap. dilecti. hoc tit.* iuxta legem, *heres absens. §. 1. ff. de iudiciis.* Vnicus casus est, quo reus conueniri potest in loco, in quo nec promisit, nec contraxit, nec deliquit, Romae nempe, utpote quae est metropolis suprema omnium ecclesiarum, *cap. ult. hoc tit.* sicut olim domina omnium prouinciarum & regnorum; *l. in orbe ff. de statu hominum,* nisi reus eo venerit legationis ergo, vel aliis de causis a iure expressis in *cap. fin. inf. de dilationib. l. 2. §. legalis. ff. de iudiciis.* Et in eo *CVIACIVS* male se habet contra Romanae ecclesiae principatum, & locum falso detorquet, ut *peculiari obseruatione* a me annotatum est.

---

## TITVLVS III.

DE

### LIBELLI OBLATIONE.

I. **D**e iudiciis, & foro iudicum dixisse non est satis, nisi etiam de *libellis offerendis* ratio habeatur, quod est necessarium. Libellus est nomen generale, preces continens eorum, qui iustitiam implorant, Graeci vocant *βιβλίον, λιβέλλον, δέησιον*, quae principi, vel magistratui offeruntur.

II. Qui quidem litis contestationem facit, quoties rescripsit princeps, vel iudex respondit. *l. illam. C. de donat. l. 2. C. de annali except.* Sola libelli datio non habetur pro vocatione in ius, nec pro accusatione, nec

S

pro

pro litis contestatione, *l. 1. C. de off. praefect. praet. orient.* qui enim petit licentiam vocandi in ius, vel accusandi, non ideo vocat, nec accusat: ideo talis libellus est tantum precum desiderium, *l. libertus. 15. ff. de in ius vocando, l. 2. C. de errore advocat. l. 1. & 2. C. de fide, & iure bastae fiscalis lib. X.*

III. Nec vnquam pro litis contestatione habetur, nisi princeps rescripserit, vel magistratus, & tunc in actionibus annalibus & praetoriis id locum habet, *l. 1. C. quando libellus principi oblatas*; non vero in aliis, nisi tunc demum, cum conuentio per exequutorem, vel apparitorem facta subsequuta fuerit, *non. IVSTIN. 112.* quae vocatur citatio voce praeconis, *l. diuus. ff. de in integrum restitut.* vel per tabellionem, vel actuarium, *cap. 12. inf. de fide instrument.* cui quidem libello citationis seu conuentionis debet reus sese subscribere ex aduerso libelli, siue ex opistographo, quod vocatur libellus responsionis *ἀντιβιβλίον*, quo etiam cautionem iudicio fisci praestat, nisi & velit contra iudicem causas recusationis proponere, quod per libellum olim fiebat ante litem contestatam.

IV. Haec recusatio, siue reiectio, *ἀποβολή, καὶ ἀπόληξις* dicebatur; eieratio apud *TULLIVM Philippica 12. sic me iniquum eiurabant*: qua etiam forma eiurabatur forum apud eundem, *3. act. in Verrem.* Nil obest tamen, quin & post litem contestatam tales libelli proponi possint ex superuenientibus causis, vt est in *cap. insinuante. sup. de officio iud. deleg. & cap. inter. inf. de sententia & re iud.*

V. Sunt & alii libelli, quos iurisconsulti refutatorios, Graeci *ἀναπληρωματικὰς*, supplementa & refutationes partium continentes, *l. 1. C. de relat.* qui quandoque offerri possunt, ex nouissima cognitione, vt loquitur *IMPERATOR* in *l. vlt. C. de praescript. 30. annorum.* Huiusmodi citatio debet in scriptis fieri; *cap. quoniam. inf. de probat.* alias non legitima *cap. ex litteris. sup. de in integ. restitutionibus*; sicut ipse libellus debet esse scriptus, & partium manu roboratus. *cap. 1. hoc tit.*

VI. Et quia fundamentum causae est libellus, in eo exprimi debent, quae petuntur, vt si realem actionem contineat res ipsa, quae petitur, designari debet, licet causam exprimere non sit necessum, vt annotat gloss. in *cap. 2. hoc tit.* In aliis vero iudiciis, quae de vniuersitate feruntur res, quae petuntur, exprimi non debent, *l. licet. C. de iudiciis*; vt si petatur

tatur

tatur ecclesia, contineantur omnia ad eam pertinentia, licet non expressa. *cap. cum ad sedem. inf. de restitut. spoliatorum, cap. inter. inf. de donationib.*

VII. In criminalibus actionibus, & accusationibus citatio, vel libellus contra reum offerri debet, a quo tamen ante inscriptionem desistere actor potest, *cap. licet. inf. de accusat.* non vero post inscriptionem; nisi cum reo conuenerit, *can. si quem. 2. q. 3.* aut intra triginta dies. *l. fallaciter. C. de abolitionibus.*

## TITVLVS IV.

DE

## MVTVIS PETITIONIBVS.

I. **H**ic quoque titulus de libellis, siue petitionibus; nec in alio differt a superiori, nisi quod ille agit de libello conuentionali ab actore tantum proposito, hic de eo, quod mutuo retorquet reus aduersus actorem; qui concursus facit *mutuam petitionem*, ἀνταναγωγὴν, ἀντισταγωγὴν, introductionem vicissim factam, quam alii compensationem vocant, vt ex TERTULLIANO 2. aduersus Marcionem cap. 20. luculentissime demonstratur.

II. Quam quidem non debemus hoc in loco accipere pro reciproca actione, quam mistam siue duplicem vocant iurisconsulti, in qua sui natura vterque est actor, vterque reus; quales sunt actiones finium regundorum, familiae erciscundae, communi diuidundo, quae simul vno eodemque momento nascuntur, & pereunt; *l. actionis verbo. ff. de act. & obligat.* sed de reconuentione & actione contraria, quam reus intendit ex aduerso quasi compensationis vice, vel *recautionis*, qua cautio euacuatur, vt ait D. AVGVSTINVS *lib. de cura pro mortuis*, qua cautio dissoluitur, sicuti repignoratio est pignoris dissolutio, Graeci vocant ἀνυγοσίαν, euacuationem, vel euacuatoriam in formulis MARCVLPHI, *lib. 2. cap. 27. & cap. 35.* Epistolam euacuatoriam fecimus, vt de ipsis solidis omni tempore absolutus resideas: similiter restipulatio dicitur repromissio, & dissolutio prioris stipulationis apud TVLLIVM, *orat. pro Roscio Comoedo. l. damni. 43. ff. de damno infect.* Hac reconuentione actio retunditur, & debitum compensatur. *cap. cum dilectus. inf. de ordine cognitionum, cap. 224. lib. 7. Capitular.*

S 2

III. Hoc

III. Hoc quidem titulo non est quaestio proprie de illa compensatione, sed potius de fori competentia, an actor fori praescriptionem aduersus reum possit opponere, si reus eum coram eodem iudice pendente lite pro alia causa reconueniat: *cuius enim in agendo obseruat arbitrium, eum & contra se iudicem habere in eodem negotio non dedignetur*, vt ex Papiniano refert IVSTINIANVS in *l. vlt. C. de sententiis & interlocut.* Nec tunc clericus seculare iudicium recusare potest, vt notat gloss. in *cap. 4. sup. de iudiciis, cap. 3. de rescript. in 6.* nisi causa sit mere spiritualis, *cap. prudentiam. §. fin. supra, de offic. iudic. delegat.* vel aduersus iudicem suspicionis causa moueatur. *d. cap. 3.*

IV. Tam vero conuentio, quam reconuentio vna sententia concludi debet. *cap. 2. b. tit. l. 1. C. rerum amot.* Vna fane sententia non semper intelligitur, quae eadem serie, & pagina vtramque litem complectitur, sed etiam illa, quae in continenti post alteram fertur, licet reuera sint duae sententiae, vt optime notat gloss. in *cap. 2. inf. de ordine cognit.*

V. Non ita in criminalibus, in quibus reconuentio locum non habet, nec reus potest in eadem causa accusationem proponere, quin prius innocentiam suam purgauerit, *can. neganda. & seq. 3. q. 11. l. is qui. ff. de publicis iudiciis.* PLINIUS *epist. 9. lib. 3.* *Est lege cautum, vt reus ante peragatur, tum de praeuaricatione quaeratur.* Graeci hanc reclamationem ἀντέγκλησις, & ἀντιματηγορίαν vocant; Plinius dicto loco, *reclamationem*, alii culpa excusationem dicunt, quia *omnis nostra defensio constat eius accusatione, qui vindicatur*, ait QVINTILLIANVS *lib. 7. cap. 5.*

## TITVLVS V.

DE

## LITIS CONTESTATIONE.

I. **P**ost preces emissas, & libellum oblatum, sequi debet *litis contestatio*, quae facit iudicii exordium, non vero in ius vocatio, *l. amplius. ff. rem ratam haberi.* Quae actionis editio non est, nec per positiones, & responsiones fit *litis contestatio. cap. super quaestionum. sup. de officio delegati.*

II. Vera

II. Vera litis contestatio, vt notat gloss. est negotii principalis hinc & inde coram iudice facta narratio, subsequuta responsione, *cap. dudum. sup. de elect.* tunc demum, cum merita causarum partium assertione panduntur, *l. vnica. C. eod. l. 2. C. si per vim, vel alio modo*, siue ex mutuo rerum conflictu: quod olim in lege duodecim tabularum ex iure manu confertum dicebant, cum alter alterum ex iure ad conferendam manum in rem, de qua ageretur vocabat, vt GELLIUS *cap. 9. lib. 20.* testatur, & TULLIUS *pro Muraena.*

III. Quae rerum conflictatio versa est in contentionem verborum, rationibus hinc inde parte vtraque praesente propositis, quod est proprie contestari, & inde lis contestata apud FESTVM, quam Graeci προκάταρξις, ἐνσηκίαν δίκην, id est, *iudicium constitutum, iudicium coeptum*, vt est in *l. 1. C. hoc tit. per petitionem in iure propositam, & responsionem factam*, vt loquitur *cap. vnic. b. t. Respondere proprie dicitur, cum lis intenditur*, ait DONATVS, *apud Terentium in adelpb.* non vero per positionem solam, quae facti narrationem continet; quae introducta est ad faciliores litis euentus, vt facilius eliciantur confessiones, & actor ab onere probandi redimatur. *Clement. saepe de verborum sign.*

IV. Sed haec sola non operatur petitionis effectum, vt dictum: nisi vno casu, cum res agitur coram summo pontifice; tunc enim actoris propositio, & rei responsio litem contestatam faciunt, vt argumentantur doctores *ex cap. 1. sup. de transact.* Nec igitur ex solis positionibus, siue petitione processus valet; multo minus sententia, quam fert iudex, quem agendi normam scrutari, & seruare oportet. *cap. dudum. cap. cum dilectus. infra, de ordine cognitionum.*

---

## TITVLVS VI.

VT LITE NON CONTESTATA NON  
PROCEDATUR AD TESTIVM RECEPTIONEM,  
VEL DEFINITIVAM SENTENTIAM.

I. **H**ic titulus, recte superiori cohaeret, quo etiam ordo iudiciorum designatur, ante, vel post litem contestatam: & ponitur regula generalis, non esse testes admittendos, nec ius dici debere ante litis conte-

stationem, quae regula iuris antiqui formam destruit, qua litem per ipsorum testium auditionem contestari solebant: *Contestari*, inquit FESTVS, est, cum vterque reus dicit, testes estote; contestari litem, dicuntur duo, aut plures aduersarii, quod ordinato iudicio vtraque pars diceret, testes estote. Hinc & *antestari*, quod erat in ius vocare testes, apud PLAVTVM in *Poemulo*; euocare dicit iurisconsultus in *l. 1. ff. de testibus*. Quia olim vna fere serie, vno tribunali non adhibitis cauillationibus, & quaestionum inuolucris vt hodie fit, causae decidebantur, nec ambages illae antiquae cum nostris comparari possunt, ita hominum malitia excreuit.

II. Hodie hic ordo seruatur, vt primum libelli edantur, fiat in ius vocatio, praesentes adsint partes per se, vel per procuratores, atque in iudicio conclusiones adhibeantur; nos vocamus *la clausion*, ou *l'appointement en droit*: tum deinde ad probationes testium, vel instrumentorum procedatur, & illa conclusione lis dicitur contestata, quod congruit cum *nouella 112*. qua res fit litigiosa, iudiciaria conuentione inter partes facta, vel precibus principi oblatis, & iudici insinuatis, quod est notandum.

III. Ante litem contestatam ad testium receptionem non est procedendum, nisi in quibusdam casibus, cum de eorum morte timetur, qui forsitan senectute, vel morbo grauantur, vel propter diuturnam absentiam, *l. curent. ff. de testib.* si agatur de electione alicuius praelati, de matrimonii foedere, propter rei contumaciam, qui litis contestationem impedit, per viam inquisitionis, & ad conseruandam praeteritarum rerum memoriam: denique quotiescunque periculum ex mora nascitur, quae omnia latissime exponit summus pontifex in *cap. vlt. hoc tit.* Quibus casibus saepius & testes recipiuntur, & sententia definitiua profertur; nec tamen testes proprie recepti dicuntur, qui nonnisi lite contestata exhibentur, & publicantur.

IV. Potest quidem sententia interlocutoria ferri, quoties propter contumaciam reus se non tuetur, *μονομερῶς*. Et in his differentia ponitur inter reum contumacem, conuentum actione reali, vel personali, ob actionem in rem, seu rei vindicationem, ex decreto iudicis, lite non contestata actor mittitur in possessionem rei, non tam vt fiat dominus, quam custos *cap. penult. & vlt. inf. de eo, qui mittitur in poss. & cap. penult. de dolo & contumacia*; nam veniente reo, & moram purgante, refusis etiam expensis, rei possessionem recuperabit. Si vero quaestio sit  
de.

de actione in personam, aliud statuitur: nam iudex duplicem viam habet, vel vt contumacem poena excommunicationis coerceat, vel actorem mittat in possessionem rerum mobilium inprimis, & his deficientibus immobilium.

V. Non ita fit, quando actor est contumax, contra quem sententia definitiua profertur; quia maior est ratio iudicantis contra actorem, quam contra reum *non. 112.* Quae omnia summus pontifex desumpsit ex iure ciuili, atque ita enucleate disposuit, vt vim & auctoritatem legibus, & constitutionibus principum dederit.

## TITVLVS VII.

DE

## I VRAMENTO CALVMNIAE.

I. **H**ic titulus pertinet ad litium instruendarum rationem, qua in litimine iudicii *calumniae iuramentum* postulatur, ante litem contestatam, vel in ipsa contestatione. Formulam habemus in *l. inter. §. qui familiae. ff. fam. ercisc.* qua actor iurat se non calumniae causa agere, nec inficias ire: quod ex veteri lege duodecim tabularum prodiit: *Si caluitur, pedem struito.*

II. Calumnia enim nihil aliud est, quam cauillatio, cum per fraudem, & frustrationem vitiligatores alios caluantur litibus, id est decipiunt, frustrantur, ludificantur; vnde *TULLIVS 2. de repub.* apud *NONIVM:* *vt Carneadi respondeamus, qui saepe alienas causas ingenii calumnia ludificari solet.* *D. AVG. in Ps. 118.* *Non calumnientur me superbi; an forte banc habet vim, quam haberet, si diceretur, non me capiant calumniando.* Graeci *ἐξαπάτην* dicunt, id est, *fraudem, deceptionem:* contra quam cautiones partes praestare debent, olim quidem in omnibus causis, vt *EX PLINIO* in *epist. ad Ruffum* contendit *CVIACIVS;* ita vt calumniator in decimam partem litis condemnaretur, vt est in *tit. de poena temere litigantium* apud *IUSTINIANVM;* & in *C. Hermogeniano, tit. de calumniatorib.* vnde poena illa, quae infligebatur, dicitur, *calumnia,* in *legibus Longobardorum tit. 17.* *non babeat de vna causa duas calumnias.*

III. Ali-

III. Aliquando calumnia sumpta est pro quacunq; actione, petitione, siue libelli datione apud MARCVLPHV M: sic calumnia regis Castellae, & regis Nauarrae dicitur apud ROGERVM in *Henrico II. Angliae rege*, vel etiam pro qualibet responsione, vel defensione, in veteribus formulis ex lege Romana *cap. 5.* denique pro omni genere litium apud ARNVLPHVM *epist. 32.* & IVONEM *epist. 17.* FLODOARDVM *hist. Remens. cap. 10. lib. 4.* & passim pluribus aliis locis.

IV. Sed hic pro tergiuersatione, pro fraude, & iniusta interpellatione, pro qua iuramentum iure veteri tenebatur praestare actor tantum, non reus, vt notauit doctor maximus, *observat. 5. lib. 7.* vel in causis, in quibus vterque actor, vterque reus, *d. l. inter.* Et in eo multae ambages, & multa verborum inuolucra adhibebantur, quae ideo paulatim in desuetudinem abierunt, donec iterum Iustinianus illud restituit, tam aduersus reum, quam actorem. Initio quidem, & in limine litis proponendum. *l. 1. C. hoc tit. & nouel. 30.*

V. Nec abs re inuentum est hoc iuramentum, ad veritatem scilicet eliciendam, & litigantium contentiones sopiendas, *cap. ceterum. hoc tit. cap. ex literis. infra, de iureiurando,* inuicem asserentium se putare bona instantia vt, vt est in *l. 2. C. eod.* vt qui recusat, causa cadat; *cap. 4. hoc tit.* nec ab eo quisquam olim eximi poterat, exceptis clericis Constantinopolitanis, ex MARTIANI constitutione in *l. cum clericis. C. de episc. & cleric.* quam ad omnes reliquos traduxit HENRICVS II. imperator constitutione, quae refertur in *cap. 1. hoc tit. in 1. compilat.* & meminit HONORIVS III. in *cap. 1. hoc tit.*

VI. Et ita cautum est, ne amplius clerici iurare de calumnia cogantur: & ne fraudis suspicio remaneat, personarum qualitate inspecta per oeconomos in animam iurantem id fiat, *cap. 3. & 4. hoc tit.* aut si lis moueatur pro collegio, vel vniuersitate, per procuratorem, aut syndicum, *cap. cum causam. hoc tit.* nisi tunc demum, cum episcopus vel clericus aliquis negotium in se suscepit, ita vt aliter experiri non possit, nisi iuretur de calumnia: tunc ad iuramentum cogetur, non quidem tactis, sed propositis euangeliis, *cap. vlt. hoc tit.* sicut de iudicibus dicitur in *l. 2. C. eod.*

VII. Haec enim propositio non est iuramentum, sed potius praesidium maius ad id agendum, quod quis facere debet. Permittente quidem summo



summo pontifice id licet episcopis, *cap. 1. hoc tit.* & clericis aliis; *cap. 5. hoc tit.* & *cap. 3. de fideiuss.* & ita fit, vt hodie iurare cogantur omnes non tantum in causis ciuilibus, sed etiam spiritualibus, vt definit BONIFACIUS in *cap. 1. hoc tit. in 6.* qui ordinem antiquum seruare non iubet, vt initio tantum iuretur, vt dictum est in *non. IULIANI*, imo & in quacunq; litis parte, quocunq; tempore suspicio fraudis interuenit, vt & notat gloss. in *cap. ex literis. infra, de iureiurando.*

VIII. Idem etiam seruandum esse in criminalibus quidam censuerunt, ex sententia veterum iurisconsultorum, quos secutus est FRIDERICVS imperator, vt annotauit CUIACIUS: quod tamen generaliter obseruari voluisse non est sentiendum, sed in casibus aliquibus, vt de pace tenenda, & de incendiariis, vt patet ex *lib. 5. feudorum*, quod *nouella LEONIS 107.* demonstrat; & in eo doctor maximus MARTINI interpretis sententiam probat, contra ACCVRSIVM in *l. vlt. C. de fide instrument.* in qua quamuis de calumnia iurandum esse dicat, non debemus intelligere ratione criminalis, sed ciuilis causae, quae respicit instrumenti exhibitionem: nam in criminalibus accusatio, & inscriptio iuramentum calumniae praestant.

TITVLVS VIII.  
DE  
DILATIONIBVS.

I. **E**t hic titulus ad iuramentum calumniae pertinet, quoties reus fraudulenter moras neçtit: ideo IULIANVS in *nouella 44. dilationis,* & *calumniae* causam iungit; dilatio enim plerumque turbat ordinem iudiciorum, & iudicandi facultatem tollit *l. iudex ff. de iudiciis.*

II. Quod descendit ex lege XII. tabb. quae diem diffendi, id est, diffindi, & differri dicebat, *l. 2. §. si quis in iudicio. ff. si quis cautionib.* nec interest siue dicamus diffundi, siue diffindi, vt plures hac in parte rixantur, Graeci  $\chi\acute{\iota}\zeta\epsilon\upsilon$ , quod est scindere, vel *differre vadimonium*, vt loquitur TVLLIVS *orat. pro Quinctio.* Haec dilatio iudicii  $\acute{\alpha}\nu\tau\acute{\iota}\lambda\eta\chi\iota\varsigma$ , vel  $\pi\alpha\lambda\upsilon\delta\iota\mu\acute{\iota}\alpha$  dicitur apud Graecos; cum reus tergiuersatur,  $\epsilon\pi\epsilon\psi\omicron\delta\iota\kappa\epsilon\acute{\iota}$ , ait IULIVS POLLVX *cap. 6. lib. 8.*

T

III. Alia

III. Alia est dilatio, quae non est frustratoria, imo est legitima: veluti quae petitur ob morbum, vel aliquam aliam rationabilem causam, vt est in *d. lege XII. tabul. & d. l. 2.* Tunc enim iudex potest terminum restringere, vel prorogare, & dare inducias reo ad deliberandum, & respondendum petitionibus actoris, *can. induciae. §. iudicantes. 3. q. 3. l. 1. & l. si quando. C. eod.* vel si vtilitas publica id exigat *cap. vlt. hoc tit.*

IV. Quod locum habere debet, quoties iudici videbitur, cuius religioni hoc datur, licet viginti dierum termino ante litem contestatam definiantur; *novella 53.* nam post trium edictorum, & vnus peremptorii ordo seruandus est triginta dierum *novella 112.* Tunc non veniente, qui citatus est, eremodicium contrahitur, quod est litis inchoatae desertio *l. contumacia. ff. de re iudicata, & l. properandum. C. de iudiciis.*

V. His peractis legitime facta citatio dicitur, *cap. 2. hoc tit.* nec dari amplius dilatio debet, *c. 3. hoc tit.* vt quoties quis citatur coram principe, nulla amplius dilatio danda. *l. 5. ff. hoc tit.* Quod etiam summus pontifex contra monetae falsarios statuit. *Extravag. commun. cap. unico. hoc tit.* In quibusdam aliis casibus dilationes iudiciorum obseruari debere statuit EMANVEL COMENVS *constitutione quadam apud PHOTIVM,* quoties de pupillorum, vel pauperum educatione, vel de animae cura quaestio est, in quorum causis tres tantum dies statuit.

## T I T V L V S IX.

DE

## F E R I I S.

I. **M**ire congruit hic titulus cum superiori; nam *feriae* dilationes sunt, *l. 6. C. hoc tit.* sed differunt in eo, quod dilationes fiant tantum vnus rei, vel litis; *feriae* omnium: illae nullum tempus certum, & definitum habent, sed pro iudicis arbitrio statuuntur: hae a lege certum & statutum tempus habent; *FESTVS ferias statas* vocat; illae in gratiam, & necessitatem partium, hae in Dei honorem, & publicam vtilitatem.

II. *Feriae* igitur sunt dies, in quibus vacari debet ab omnibus negotiis, litibus, & iurgiis, & ab omni opere seruili; *cap. 3. hoc tit.* *feriae* enim sunt dies festi, quos Graeci *ἀπράκτες*, & *ἀργαὶς ἡμέρας* vocant; non

non

non vero fasti, vt male confundunt plerique, quibus praetori licebat fari iuridica verba, feu ius dicere, vt ad eundem Festum viri docti scripserunt. Dies festi vocantur dies deuotionum in *l. vlt. C. Theod. de nauiculariis*, dies orationum in *can. 2. 15. q. 4.* gaudiorum apud Graecos interpretes, qui diem festum τὴν χαρμονὴν, *gaudium* interpretantur, quia tunc tantum Deo sacrificium fieri solebat, *can. 66. syn. VI. in Trullo*, vel quia his festiuitatibus tantum Christiani ecclesias frequentabant, apud **CHRYSOST.** *sermone 59. in Matthaeum.*

III. Quae distinctio dierum facta est, vt ex mutuo aspectu, & congressu maior laetitia, & veneratio haberetur: cum alias omnes dies sint aequales, nec per parasceuen tantum Christus sit crucifixus, & die dominica surrexerit, sed semper sit sanctus resurrectionis dies, vt scribit **D. HIERONYMVS** in *cap. 4. ad Galatas.* Praeter vero festos dies in ceteris τῶν προηγιασμένων, id est, *prius oblatis, & perfecti sacrificii*, praefanctificatorum oblatio iterabatur, vt explicant **ZONARAS**, & **BALSAMON** ad *can. 52. ead.*

IV. Peculiare id fuit Graecis; nam Latini dies solennes a communibus non distinguebant, imo omnibus sacrificabant. **TERTULLIANVS** *lib. de ieiuniis aduersus Psychicos cap. 14.* Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur; & **D. HIERONYMVS** *epist. ad Algasiam:* Nobis, qui in Christum credimus iugis, & aeterna festiuitas est: quod pro consuetudine regionum factitatum fuisse docet **D. AVGVSTINVS** *epist. 119. ad Ianuarium;* alios enim dicit quotidie communicare corpori dominico, alios certis diebus, alios tantum sabbato, & dominica.

V. Et haec est vera ratio, cur dies hebdomadae dicantur, *feriae;* quia clerici nullo die a diuinis vacare debent, exemplo Flaminum, apud quos dies omnes erant feriati apud **GELLIVM** *cap. 15. lib. 10.* vt recte annotauit cardinalis **BARONIVS** *ad annum 44.* & hoc feriae nomen, primum hebdomadae paschalis diebus datum est, quibus omnes Christiani olim ab omni opere seruili vacare, & sacrosancta mysteria percipere debebant *can. 2. concili Matiscon. II. Pascha nostrum, & sanctissimis sex diebus nullus seruile opus audeat facere.* Nec post diem tertium cessare fas erat, vt hodie, de quo conqueritur **BALSAMON** ad *d. can. 52.*

VI. Hanc totam paschalem septimanam feriatam fecisse primum **CONSTANTINVM M.** testatur **ALEXANDER** monachus, *de inuentione*

*s. crucis*, διακαισιμον vocant Graeci. CODINVS *de offic. aulae Constant.* BALSAMON in *respons. ad Cabasilam*: & ad exemplum dierum huius sanctae hebdomadae, aliarum etiam dies feriae dicti sunt; distinctione habita inter ferias simplices, & solennes. *cap. fin. hoc tit.* Ideo hebdomada sancta dicitur magna & venerabilis apud reges, κεύσαντες ἐκ χειρῶν ἅπαντας ἔχειν, id est, mandantes, ut omnibus sint induciae & feriae, clausis foribus iudiciorum, & carceribus apertis, ut docet D. CHRYSOSTOMVS *homil. 30. in cap. 11. Genes.* Ἐκ χειρῶν vulgo Graeci accipiunt pro vacatione belli, & pugnae apud GELLIVM *lib. 1. cap. 45.* proprie pro manuum cessatione ab omni opere, & labore illicito, *cap. 1. hoc tit.* Illicitum dicit opus, quod alias congruum est, ut distinguat ab eo, quod nulla solennitate, & festiuitate impeditur, ut de halecum piscatione, quae pro temporis opportunitate facienda est, dicitur in *cap. 3. hoc tit.*

VII. Quam exceptionem ad omnia opera rustica, quae ex mora periculum patiuntur, extendit CONSTANTINVS imperator in *l. 3. C. hoc tit.* VIRGILIUS *1. Georg.*

*Quippe etiam festis quaedam exercere diebus*

*Fas, & iura sinunt. &c.*

Quae latius percurrit COLVMELLA *lib. 3. cap. 3.* quod tamen diebus dominicis non est passus LEO imperator *novella 54.* Canones nostri temperamentum addiderunt, nisi propter inopiam, vel aliquam aliam necessitatem otiari non possint, εἴ γε δύνατο χολάζειν, id est, si possint otiari, inquit, *can. 29. synodi Laodic.* qui latus est contra Iudaeorum superstitionem, qui ita in sabbato otiabantur, ut nec operari, sed nec diuinis canticis vacare auderent, ait BALSAMON; ideo quaerebant Dominum interficere, quia soluebat sabbatum, & eo die sanabat aegrotos. IOANNIS *cap. 5.* Ad huius sabbati exemplum annus etiam sabbaticus fuit institutus; *Leuit. cap. 25.* quo ab omni agrorum cultu cessandum erat quolibet septimo anno, & haec cessatio *Semitab*, id est, quietem, seu cessationem vocabant. Nusquam enim omnia opera prohibita fuerunt, sed feruilia tantum: non vero, quae ad cultum Dei pertinebant *cap. 21. Exodi.*

VIII. Nec solum diebus solennibus operari fas erat, sed nec tripudia, aut equorum cursus, & spectacula fieri debebant *d. can. 66. Synodi VI.* Praeter hos dies festos & solennes erant alii, quibus licuit operari, sed non ludicra exercere, nec nuptias, vel natalitia, vel conuiuia cele-

cele-

celebrare, quod extensum est ad totam quadragesimam, *can. non oportet. 33. q. 4.* & deinde a septuagesima vsque ad octauam post pentecosten, & tribus septimanis ante festum sancti Ioannis, ab aduentu Domini, vsque ad epiphaniam. Quod olim non intelligebatur de pompis tantum, & festiuitatibus, quae fiebant in nuptiis, sed de ipso matrimonii sacramento, & consumatione, licet contractus quocunque tempore fieri posset, *cap. 4. hoc tit.* quod etiam statuit *concilium Tridentinum.*

IX. Sunt adhuc aliae feriae, quae otium indicunt a forensi iudiciorum strepitu, vt liberius negotiis domesticis vnusquisque vacare possit, quales sunt vindemiales, & messium, *cap. penult. hoc tit.* has messiuas vocant *leges Vuisigoth.* quae quidem, vt opinor, non ob id tantum indicebantur, sed etiam vt locus esset orationi; nam in Carthag. prouincia ob locustarum vastationem concessas esse dicit *lex Vuisig. 11. lib. 2. tit. 1.* Lites quidem tunc cessabant, sed non criminum poena condemnatio, vt ibi dicitur, & in *can. nullus 15. q. 4.* qui honos peculiariter datus est diebus dominicis, & solennibus. *cap. 1. hoc tit.*

X. Aliae sunt feriae dictae repentinae, ob res praeclare gestas ab imperatore, vel republica, *l. 3. C. hoc tit. Clementina saepe. de verborum signif. l. sed & si. §. vlt. ex quib. caus. maiores.* Erant & Latinae, quibus triduum datum fuit apud HALICARNASS. *lib. 6. cap. vlt.* Hos dies festos Graeci *καλὰς ἡμέρας* dicebant, Latini, *bonos dies* apud TARENTIVM, & PLAVTVM; vnde CATVLLVS Saturnalia *optimum dierum* vocitat. Hinc etiam festa verba, quae diem festum decebant apud HERODIANVM, & CAPITOL. Aliae sunt, quae dantur ob negotia tantum, vt sunt nundinae, quas *ἀτελείας*, id est *vacationes* Graeci vocant.

## TITVLVS X.

DE

## ORDINE COGNITIONVM.

I. Frustra de iurisdictione ecclesiastica, & de iuris dicendi opportunitate dictum fuit, nisi & ordo spectetur: quod conditores iuris vtriusque obseruarunt, titulos de ordine iudiciorum, & de ordine cognitionum ponentes; non quod re vera aliud sit cognitio, aliud iudicium:

T 3

nam

nam in Codice *titulus de ordine iudiciorum* latius patet, omnia quae ad quamcunque iurisdictionem siue ordinariam, siue delegatam faciunt, complectens; *titulus vero de ordine cognitionum* libertatis tantum materiam tangit.

II. Cognitionis nomen proprie ad principem, vel ad magistratus refertur, cum vel princeps sponte sua cognoscit, vel magistratui cognitionem delegat, vel etiam ipsi magistratus ex officio suo cognoscunt: quae cognitio legitima est, & extraordinaria, quam etiam alteri mandare saepius nequeunt, *l. interdum. ff. de iudiciis. l. 3. ff. de in ius vocando.* Ordinaria cognitio est, quae iudicibus datis competit, *l. 1. ff. de extraordin. cognitionib.* & utroque modo facultas illa iudicandi vulgo cognitio dicitur *l. penult. ff. de iurisd. omnium iud.* Ideo in prima compilatione hic *titulus de ordine iudiciorum* concipitur, quasi idem sit *cognitio*, quod *iudicium*, ut in *cap. 1. & penult. hoc tit.*

III. Per ordinem autem cognitionum, siue iudiciorum, intelligit Gregorius regulam, & feriem litium expediendarum, quoties plures actiones seu iudicia concurrunt, quae prius expediri debeant; criminalis prius, quam civilis; momentanea seu possessoria, quam petitoria; quaestio status, quam aliae; quaenam sit praeiudicialis, id est, quae futurum iudicium vel moretur, vel impediat, siue agatur de alimentis, vel de criminibus, aut de bonis, aut de statu. Sicut in *cap. 1.* quaeritur an quaestioni de foedere matrimonii, praeiudicium faciat exceptio consanguinitatis, sicut ei, qui se heredem contendit, defectus natalium principalem quaestionem elidit, & praeiudicium facit *cap. penult. hoc tit.* Spoliationis ratio etiam prius habenda est in *capite vlt. hoc tit.*

IV. Nec ideo tamen praeiudicia posteriorem causam semper elidere censendum est; sed ideo ita vocantur, quia concurrunt cum aliis, & prius iudicantur, viam & cognitionem totius rei ampliorem faciunt, ut est in *l. 1. ff. fam. ercisc.* Vnde ASCONIVS in *primam contra Verrem* definit praeiudicium, rem, quae cum statuta fuerit, exemplum adfert iudicaturis, quod sequantur. Quod & in criminibus locum habet, quoties vel testium oppositio, vel amplior inquisitio decernitur *l. 1. C. de his, qui accusare non poss.* Sic apud SVIDAM, Athenis, qui caedis rei postulabantur, in Prytaneo tres menses agebant, intra quos argumenta & testimonia proferantur,

rebantur, & illud decretum, quo in Prytaneum relegabantur, dicebatur *προδικασία*, id est, *praeiudicium*.

V. Denique omnes lites, quae concurrunt cum aliis, vel incidenter veniunt, vulgo praeiudicia vocantur *tit. de appellationib. in Cod. Theod.* & saepe interlocutiones appellantur, a quibus non solet appellari *l. 3. C. de episc. audient. l. ab executione. C. quorum appellat. non recip.* Non ideo tamen praeiudicia vim iudicati passim obtinere dicendum est; nam absolutio vel condemnatio vnus, alteri prodesse, vel obesse non debet: rerum enim mutatio, sicut & personarum, aliam atque aliam rem facit *l. si cum uno. ff. de except. rei iudic.* Hinc TULLIVS, *orat. pro Plancio; cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?*

## TITVLVS XI.

DE

## PLVS PETITIONIBVS.

I. Titulus iste ad superiorem refertur de ordine iudiciorum, quomodo actor petitionem suam instituat, ne debiti modum & mensuram egrediatur plus petendo, re, causa, loco, & tempore: quod totum Gregorius desumpsit ex iure ciuili, sicut plerosque alios titulos, ne iuris canonici corpus aliquo membro defectum pateretur.

II. Petitio enim in omnibus suis partibus vera esse debet, ita vt neque plus, neque minus, neque aliud pro alio petatur, quod, *pure agere*, dicit IUSTINIANVS in *§. sed haec quidem. de actionibus*, reiecta omni ambiguitate, vel obscuritate *cap. 2. sup. de libelli oblat.* Res quae petitur, exprimi debet, sicut & causa, siue modus obligationis; obligationis tempus, & locus obseruari debent, *cap. peruenit. inf. de censib.* quod iuris ciuilibus testimoniis non est probandum, vt satis peruium, ex *tit. de actionib. Instit.* & PAVLO I. *sent. tit. 10.* ita vt nemo sit, qui nesciat, poenas olim statutas fuisse, quibus plus petens causa cadebat: PLAVTVS in *Mostellaria: velim quidem bercle, vt vno nummo plus petas.* Quod ego facile existimem primum processisse ex lege XII. tabb. vt docet TULLIVS I. *de oratore;* licet CVIACIVS ad actionem tutelae tantum referat; ex *l. tres tutores. ff. de administ. tutor.* cum tamen TULLIVS verba legis, *cuius pecuniae dies fuisset*, ad omnem petitionem referre videatur, quod confirmat in *partitionibus*

tionibus

tionibus oratoriis : & ita locum habebat iure communi, vt quomodocunque quis plus peteret, causa caderet.

III. Id confirmatur a Leone M. in *cap. unico. hoc tit.* in prima compilatione, & Eusebio Emiseno, vel potius Eucherio Lugdunensi; *bonif. 11. post pascha: Sicut in negotiis gerendis quatuor modis plus petendo subire periculum pro iuris ratione perhibetur.* Hunc rigorem temperarunt duae constitutiones, vna Zenonis, altera Iustiniani, vt qui tempore plus petit, inducias debitori duplicet, litis sumptibus amissis: is vero, qui, re, loco, & causa plus petit, sportulas triplo persoluat. *§. bodie. Instit. de exceptionib.* Quod ius sequitur Gregorius *hoc titulo: quod quidem in Gallia non seruari obseruauit RUPAEVS FLAVIGNIVS, lib. 2. placitorum Tolos. art. 14.*

## TITVLVS XII.

DE

### CAVSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.

**E**t hic quoque titulus ad ordinem cognitionum pertinet, in quo quaeritur modus tractandae possessionis, & proprietatis: vt primum quaeratur de possessione, quam vocat *caput primum, causam momenti*, vt distinguat a principali, quae est de proprietate *cap. 2. hoc tit. in 1. compilat.*

II. *Momentum* dixerunt iurisconsulti, seu momentaneam possessionem, non a breuitate temporis *ἐν ἀτόμῳ*, a puncto, ab articulo, (nec enim tam breui spatio coarctatur possessio) sed potius a celeritate, quae in possessione expedienda adhiberi solet, vt ISIDORVS scribit, *πρὸς ῥοπὴν*, dicunt Basilica, metaphora sumpta ab examine librae, quae celeriter in utramque partem inclinat: ARISTOTELES *cap. vlt. lib. 2. de caelo, τὴν πρόωσιν τῆς ῥοπῆς*, id est, *propulsionem propensionis* appellat: non quod possessio illa momentanea parum sit duratura, & remansura penes possessorem, vt ait glossa; sed quia temporis momento, si fieri possit, iudex, vel cognitor de ea cognoscere debet: *sine mora*, ait GREGORIVS *epist.*



*epist. 102. lib. 7. unde desumptum est d. caput. 2. vel, vt vetus interpres TANCREDVVS notat, momentum dicitur, vel momentanea possessio, quod ita incerta fit, vt pendeat ex momento, & licet diutius duret, tamen ad interitum apta est; sicut lex Aquilia dicitur actio poenalis, quod fit apta ad poenam; §. sed & legis. instit. de actionib. & bona dicuntur esse in patrimonio, quae vsibus communibus idonea sunt. §. 1. de rerum diuis.*

III. Igitur possessionis causa primum est examinanda, tum deinde proprietatis, in vno, eodemque iudicio, id est, sub vno, eodemque iudice; quia nempe iudex cognoscens de possessorio, debet etiam de petitorio cognoscere, non quidem vna & eadem sententia, sed in eadem lite: nec enim causae continentia diuidi debet, vt expressis verbis dicitur in *l. nulli. C. de iudic.* sicut fit in mutuis petitionibus. *l. cum Papinianus. C. de sentent. & interloc.* Licet olim iure veteri apud vnum possessionis, apud alterum proprietatis quaestio verteretur; illa nempe apud praetorem, haec apud legitimos iudices & pedaneos; quia praetoris officium erat, datis interdictis, suam operam interponere, quod est de possessione discernere, *ne partes ad arma profiliant*, inquit *l. 13. §. sed si inter. ff. de usufruct.* pro residuo, quod est proprietatis, dabat iudices, vt ex THEOPHILO probat CUIACIVS.

IV. Iudex igitur datus regulariter, de possessione primum iudicabit, deinde de proprietate, quod iuris ciuilis autores non obseruarunt: nec enim vetitum fuit iudici vtramque quaestionem coniungere, & vno, eodemque iudicio definire; quod probat ipse CUIACIVS *obseruat 38. lib. 7.* ex epistola SYMMACHI ad Theodosium, quae opinio fuit Martini; quoties nempe agebatur de interdictis recuperandae, retinendae, vel adipiscendae possessionis, ex *l. naturaliter. §. nil commune. ff. de acquir. poss. l. cum fundum. §. vlt. ff. de vi, & vi armata;* non vero quoties agitur de interdicto vnde vi, quod promptius est expediendum, & antequam de proprietate agatur, *l. si de vi. 37. ff. de iudiciis.*

V. Cui opinioni aduersantur vetustiores iuris interpretes, IOANNES, AZO, atque ipse ACCVRSIVS: ideo nouum & peculiare dicunt esse nostri iure canonico, vt coniungi possit cognitio proprietatis cum causa possessionis, & vtraque vna sententia possit concludi. *cap. cum ecclesia, & cap. cum dilectus, hoc tit.* Et in eo sane diligentiam Gregorii

V

negare

negare non debemus, qui si ius nouum hac in parte non statuat, saltem dilucidius exprimat; omne scilicet interdictum posse concurrere cum proprietate, excepto interdicto vnde vi. §. *aeque. instit. de actionib.* Quoties vero de proprietate primum agitur, quaesitum fuit, an incidenter, vel postea de possessione agi possit: quod nostri doctores admittunt, finito nondum iudicio, nisi pendente quaestione principali possessoriam actor referuauerit *l. officium. ff. de rei vindicat. cap. pastoralis. hoc tit.*

VI. Et licet decisione petitorii, possessionis iudicium datum fuisse videatur, quia accessorium sequitur suum principale, & petitorium quasi nobiliter attrahit possessorium, *l. bona fide. ff. de positi,* tamen quoties nuda proprietate in iudicium deducta est, possessio non includitur. Quae omnia inter eos, qui sunt eiusdem fori, sunt intelligenda, vt distinguamus forum seculare ab ecclesiastico, quod de possessorio tantum cognoscit, sicut hoc nostrum de petitorio *cap. 7. infra, qui filii sint legitimi;* nec aliter quaestiones, & controuersiae ecclesiasticae iure huius regni tractari solent.

## T I T V L V S X I I I .

D E

### R E S T I T V T I O N E S P O L I A T O R V M .

I. **G**regorius optime iuris ciuilibus regulis sese accommodauit, & vt diximus, interdictum quod vi, aut clam, ab aliis distingui debet, quoniam alia interdicta possunt vel coniunctim, vel separatim cum proprietate tractari, at hoc nusquam; sed prius restitutoria actio agendum est, quae ideo sola proprie dicitur actio momenti, *can. redintegranda. 3. q. 1. & l. 8. C. vnde vi. Instit. de interdictis,* & locum habet, quoties vis inest publica, vel priuata; publica quae fit coactis hominibus armatis; priuata clam, dolo, fraude, vt distinguit *TULLIVS in orat. pro Caecinna,* & est in *l. 1. ff. quod vi, aut clam.*

II. Ideo vero separatur hoc interdictum ab aliis, quia in hoc plura veniunt: nam restitutionis, ἀποκαταστάσεως nomine veniunt fructus partus, vfucapionis ratio, & similia, denique quanti interest actoris pristinae causae restitui, *l. 6. de vi, & vi armata. l. restituere. ff. de verbor. signific. quod non est in aliis. l. 1. §. ex die. eod. tit. de vi & c. l. semper. §. in hoc*

hoc

*boc ff. quod vi, aut clam.* Id confirmatur in *cap. conquerente, & cap. grauis. boc tit.*

III. Et in eo differentia notanda est inter violentum possessorem, & alium, siue malae fidei possessorem siue bonae fidei; quia hic non tenetur nisi ad restitutionem fructuum tantum exstantium ante litem contestatam, alter ad omnes, qui percepti fuerunt, *l. certum. C. de rei vindicta.* at spoliatus & violentus ad eos, quos percipere potuit, quos edictum Theodorici regis in duplum reddi iubet, imo & omnem vtilitatem actori praestare tenetur, *l. cum praetor. ff. de verb. signif.* vt optime distinguunt interpretes.

IV. Vnde colligitur, quam singulare sit hoc interdictum, praecipue in eo, quod nunquam partes audiantur, quin spoliatus restitutus fuerit *ante omnia, sine vocatione & iudicio*, vt ex concilio Aruernensi refert GOFFRIDVS abbas in *epistola ad Guillelmum episcopum*, quod intelligendum de principali causa, ante quam nemo est audiendus; *can. 1. & 2. 3. q. 1.* Dicebat prius se esse reuestiendum, antequam transfret ad actionem aliarum causarum, inquit IVO CARNOT. *epist. 172.* vbi notandum est, reuestiendi verbum quo vtuntur leges Wisigothorum *lib. 12. tit. 1. testimonio nobilitatis pristinae decernimus reuestiri, & tit. 3. eiusdem lib. & Capitularium 3. lib. 5.* quod magis quadrat, quam inuestiendi spoliatos, quo vtitur GOFFRIDVS *epist. sequenti*: Reuestiri enim, nec restitui potest, nisi qui antea fuerat vestitus, vel in possessione constitutus; nemo dicitur deiici, nisi qui possidet, qui legitimam habet possessionem; *cap. vlt. boc tit. in 6.* ideo si quis ante vim illatam renuntiauerit beneficio, non potest iuuari interdicto, sed qui post spoliationem eierauerit, *cap. 2. & duobus seqq. boc tit.* Quae distinctio est interpretum, quam sequitur CUIACIVS. Quaeuis abiuratio, *ἐξωμοσία* HARMENOPVLO, aliquando nec ante, nec post spoliationem consideratur, sed quae spontanea est *d. cap. 4.*

V. Hoc autem interdictum, licet proprie competat vi deiectis, tamen in casu, quo mulier discedit a marito, datur, quasi sit interdictum de vi, *cap. 8. & 10. boc tit.* alias non, sed tantum vi deiectis: adeo vt aduersus eos, qui vim non fecerint, sed apud eos res vi ablata peruenit, etiam competat, *cap. 1. boc tit. in 6. cap. penult. boc tit.* Quod ex iure pontificio est, vt nominatim profitetur ALEXANDER III. non vero iure civili, *l. cum a te. ff. de vi & vi arm.* & debet fieri restitutio officio iudicis,

*praesentialiter* haustum est ex mera proprietate iuris ciuilibus, in quo praesentare vel repraesentare dotem vel pecuniam, est numerare, & ad praesens reddere apud iurisconsultos, ita TERTULLIANVS *lib. 2. aduersus Marcionem*, & alibi saepe, dixit: *repraesentare corpus Christi*, quod est reuera exhibere, non per aenigma, nec per figuram, aut significationem, vt somniant Gnostici nostri.

## TITVLVS XIV.

DE

## DOLO, ET CONTVMACIA.

I. **O**rdo iudiciorum continuatur, & hic agitur de interdicto possessorio, quod datur in absentem, vel contumacem, rei seruandae causa: quod descendit ex edicto praetoris *l. 1. & 2. ff. ex quib. cau. in poss.* de qua possessione dicetur *tit. sequenti*.

II. Hoc tantum de eo, qui per dolum, vel contumaciam iudicium detrectat, id est, qui non vult respondere, nec sufficit ei comparere; idque dolo malo, siue malitia facit, sine qua contumacia esse non potest, *cap. 1. supra, de iudiciis, cap. prout. hoc tit.* Vnde contumax a Graecis vocatur *ἀνδάκων, pernicax, & superbus*, qui alios ita contemnit, vt eorum consortium fugiat, ideo etiam constitutio Graeca *φύγοντα*, fugientem vocat in *l. properandum. C. eod.*

III. Contumax eodem modo definitur hoc iure, quo ciuili, vt notum est ex PAVLO, *5. sentent. tit. 5.* qui tribus edictis vel literis euocatus recusat causam dicere; *l. contumacia. ff. de re iudic.* quae edicta variis nominibus appellantur, admonitiones, auctoritates, in *can. de illicita. 24. q. 3.* alias correptiones, & contestationes, *cap. 11. eod.* & concilio Africano sub Coelestino *cap. 15.* comminationes, & programmata, *l. tutor. §. si igitur. ff. de administr. tut.* His similia sunt edicta synodalia, de quibus BALSAMON ad *cap. 12. synodi Antiochenae, συνοδικὰ σημειώματα.* Tribus his edictis additur quartum, quod vulgo peremptorium, vltra quod pariter tergiuersari non licet *l. ad peremptorium, & duab. seqq. ff. de iudiciis.* Nec opus est alia citatione, seu interpellatione, *ἐκ ἰφείλει ἀναμέρειν ὀχλήσιν*, inquit HARMENOP. *lib. 3. tit. 3.*

IV. Opor-

IV. Oportet autem, vt reus sit legitime citatus ad hoc, vt contumaciae argui possit *cap. causam. hoc tit.* Et citationes illae tam hoc iure, quam ciuili, fieri debent separatim, intra praefinitum tempus, *προθεσμίας*, vt loquuntur Graeci, dierum nempe decem, quos ad viginti prorogat *nouella IVSTINIANI 53. & 86.* vel etiam ad mensem triginta dierum, per quos vocari legitime quis dicitur, & non per paucos dies, vt scribit BALSAMON ad *can. 74. apost.* τὸ γὰρ καλεῖσθαι ἐνταῦθα κατὰ νόμους νοεῖται, ἢ γενεὴ δι' ἐπιφωνημάτων τρικονθημέρων, καὶ μὴ, ὡς τινες εἶπον, διὰ μηνυμάτων ἐγγράφων ὀλιγονημέρων; id est, *hic ergo vocari legitime intelligitur, scilicet per triginta dierum edicta, & non, vt nonnulli dixerunt, per paucorum dierum scriptis mandatas denunciations:* quibus peractis adhuc annus dandus est, *nouella de litigiosis 112.* contra ius vetus, quod dabat triennium, *vulgata d. l. properandum. §. si autem.*

V. Hoc iure terminos iuris ciuilis non adeo stricte seruari videmus, quin potius id pendet ex iudicis arbitrio, qui reo absenti pro locorum diuersitate modo longiorem, modo breuiorem terminum assignat *cap. cum olim. hoc tit.* Quod si non inueniatur reus, tunc valuis ecclesiae edicta sunt affigenda, *cap. ultimo hoc tit.* & quidem per praeconem si laicus sit, per clericum, si clericus. Praeco vox est legis, sed non ecclesiae, *nouella 69.* & tunc reus desertor eremodicius dicitur contrahere; hunc abiectum, iactium, & admallatum dicunt *leges Salicae tit. 52.* & formulae veteres apud MARCVLPHV. Desertio autem declaratur iudicis sententia, *d. l. properandum:* quo modo etiam iudex olim in hoc regno dabat iudicium declaratorium, quod vocatur *euenditale*, nisi reus sonnia, siue exsonia nunciaffet, id est excusationes & impedimenta, *cap. 37. lib. I. MARCVLPHI,* & alibi passim, & *cap. cum dilecti. hoc tit.*

## TITVLVS XV.

DE

EO, QVI MITTITVR IN POSSESSIONEM  
CAVSA REI SERVANDAE.

I. **H**ic titulus pars est, & sequela superioris, quo propter dolum & contumaciam fit *missio in possessionem rei seruandae causa*, nempe ex decreto, siue sententia, vel interlocutione, *l. 3. in princ. C. de bonis auct. iudic. possid.*

V 3

II. Du-

II. Duplex est decretum, primum quo actor mittitur in possessionem rei seruandae, siue custodiendae causa, non vt fiat dominus, sed custos; *cap. tuis. sup. vt lite non contest. cap. penult. & vlt. hoc tit. l. 3. §. vlt. ff. de acq. possess.* & hoc intra annum, secundum formam iuris, vt est in *cap. 2. in prima compil. intra annum, post quem elapsum fit dominus ex secundo decreto iudicis, quo actor verus fit possessor, inquit cap. vlt. sup. tit. & cap. 1. hoc tit. in 3. collect. Constituatis auctoritate apostolica possessores.* Et de hoc secundo decreto conceptis verbis loquitur *cap. 2. eod.*

III. Quem locum singularem adnotauit CUIACIUS, vt hanc sententiam sequatur contra interpretum opinionem, qui distinctionem adhibent inter reales, & personales actiones; ita vt in realibus non fit locus secundo decreto, quod probant ex *cap. pastoralis. §. praeterea. sup. de offic. ordinarii.* vbi dicitur intra annum praestandam cautionem standi in iudicio, ne actor post annum verus efficiatur possessor, quae verba id probant obscure quidem, sed subsequencia, *coram ordinario, utilitatem secundi decreti demonstrant, quo possidere iubentur, vt patet ex l. si finita. §. Iulianus. ff. de damno inf.*

IV. Is autem possessor ex primo decreto ita nudus est, vt nullo modo fructus suos faciat *cap. 2. infra, de sequestrat. possess.* Imo ita possidet actor, vt reus possessionem non amittat; ille proprie dicitur esse in possessione, hic possidere in *l. 10. §. idem Papinianus. ff. de acquir. possess.* sicut aliud est in seruitute esse, & aliud seruum esse. TULLIUS *orat. pro Quinctio: Eos ita videtur in possessione esse oportere, quod ibidem recte custodire poterunt, id ibidem custodiant; & paulo post: Proficiscenti tibi in possessionem praetor, Sext. Naeui palam dicit, ita possideto, vt tecum simul possideat Quinctius; ita possideto, vt Quinctio vis ne afferatur.* Post annum vero adhibito secundo decreto fit vere dominus, & omnes fructus facit suos *toto hoc tit.*



TITVLVS XVI.  
VT  
LITE PENDENTE NIHIL  
INNOVETVR.

I. **S**iue agatur interdicto possessorio, siue petitorio, dum lis est inter partes, in eodem statu res manere debet, in quo fuit ab initio, *cap. 1. & 2. hoc tit.* & hoc est de iudiciorum ordine.

II. Lis pendens dicitur etiam ante contestationem, licet improprie, simulatque citatio facta est, *cap. gratum. sup. de offic. delegat. cap. vlt. hoc tit.* ante litis contestationem quocunque tempore nec res, nec actio in controuersiam versa est, quouis titulo alienationis immutari potest, *can. vlt. 11. q. 1.* adeo vt qui sciens rem litigiosam adquisierit, rem restituere pretio amisso teneatur, sicut dator, vel donatarius *l. vlt. C. de litigiosis.*

III. Sunt tamen quidam casus, in quibus impune res litigiosa alienatur, ex causa dotis, transactionis, familiae erciscundae, pro impensis funerum, & aliis, quos praetor edicto suo concedit, ne aliae vtilitates impediatur, ait *VLP. in l. diuus. ff. de petit. heredit.* nec tamen perceptio fructuum hoc titulo comprehendi debet, quae innouationis nomine non continetur, praesertim cum a bonae fidei possessore percipiuntur, *can. volumus. 16. q. 4. & cap. 1. hoc tit.* Ad matrimonii ius hic etiam titulus pertinet, quod pendente lite inter maritum & vxorem turbari non debet, nec separatio vlla admittenda, *cap. 2. hoc tit.* nisi inde graue scandalum emergat, vel propter incesti crimen, in *cap. literas. sup. de restitutione spoliat.* vel aliquod graue peccatum, *cap. etsi Christus. infra, de iureiurando.*



TITV.

## TITVLVS XVII.

DE

SEQVESTRATIONE POSSESSIONIS,  
ET FRVCTVVM.

I. **H**oc titulo nouus ordo iudiciorum proponitur, quo lite pendente, actor non mittitur in possessionem rei seruandae causa, nec penes reum contumacem relinquitur, sed apud tertium sequestratur, & committitur alicui, qui lite finita rem, & fructus victori restituat. *PLAVTVS in Mercatore: sequestro mihi data est.*

II. Sequester est depositarius rei litigiosae, *l. ei apud quem. §. 1. & l. si in Asia. ff. depositi*, quem ideo confirmatorem vocat *TULLIVS orat. pro Cluentio*, Graecis *ἐντιγίτος*, quasi tertia persona, *l. 7. §. cum de usufructu. ff. communi diuid. l. item si vnus. ff. de recept. arbit. l. 5. §. penult. ff. de transact.* Dicitur etiam *μεσίτης*, id est media persona, Latinis *media manus*, vt loquitur *FABIVS cap. 8. lib. 11. & συνθηκοφύλαξ*, id est, custos sponsionis, quod eius vtraque pars fidem sequatur, inquit *GELLIUS cap. 10. lib. 20.*

III. Qui quidem partium sponsione coram iudice eligebatur, qui rem depositam naturaliter possideret. Aliquando & ipse sequester, iudex, arbiter, & interpret erat sponsionum, & negotiorum, apud *TULLIVM 2. in Verrem*, *PLAVTVM in Rudente: Tu islbinc bodie non feres, nisi das sequestrum, aut arbitrum.*

IV. Haec autem sequestratio locum habere debet multis casibus, sed praecipue *hoc tit.* quoties aequum non esse iudex existimat, vt propter contumaciam rei actor in possessionem rei seruandae causa mittatur, sed mitius agendo neutrum possessorem facit, *cap. ex literis. sup. de dolo & contumacia.* quia dilapidatio rei, vel fructuum timetur *cap. 2. & seq. hoc tit. l. imperatores. ff. de appellat.* Si maritus vergat ad inopiam, dos sequestro datur, *l. si cum dotem. §. si vero. ff. soluto matrimonio: vt res aliae ab alio discernantur, in medio collocantur, ἐν μέσῳ τῆ δικάσις*, vt loquuntur *Basilica; in medio iuris*, vt est in *l. 5. C. quorum appell. non recipiantur.*

V. Sunt



V. Sunt & alii plerique casus, quos accurate enumerat glossa in *cap. 2. hoc tit.* Omnium porro rerum fit sequestratio, pecuniae numeratae, quae interuerti, & perire non potest, neque eadem species reddenda est, sed idem genus, eadem quantitas. Aliquando & pecunia sequestro dari posse videtur, cum magis species, quam quantitates considerantur, non ad usum, sed ad ostentationem dicis causa, vel litis, ut est in *l. saepe. ff. commodati*, quoties ante litis decisionem pecunia consignatur, quae aliquando medio tempore repetetur, quo casu nec depositum est, nec commodatum, quod consistit in usu.

## TITVLVS XVIII.

DE

## CONFESSIS.

I. **P**er contumaciam instrui litem supra diximus, quoties pars altera vadimonium deserit; nec dignatur respondere: at hoc titulo contra agitur de reo, qui fatetur id, de quo postulatur.

II. Quod ius descendit ex lege XII. tabb. *aeris confessi*, rebusque iure iudicatis triginta dies sunt; quae licet de pecunia tantum loquatur, quae aeris nomine continetur, *l. lege etiam. ff. de verb. signif.* ad omne tamen aliud debitum extenditur, *l. debitoribus. ff. de re iudic.* & ad omnem actionem, vel rei vindicationem, vel interdictum, *l. certum ff. hoc tit.* etiam ad criminis poenam *cap. 1. & 2. hoc tit.*

III. Confessus autem dupliciter dicitur, vel qui *εὐχέρως*, *ultro*, vel interrogatus confessus est in iure, *cap. penult. hoc tit.* coram iudice, *cap. 4. supra, de iudiciis*, vel extra iudicium sponte, praesentibus quinque testibus, ut est in *nouella de testibus. cap. si cautio. inf. de fide instrument.* vel publice, ut est in *cap. quam sit. infra, de excessib. praelator.* tunc enim pro iudicato habetur, *l. 1. C. hoc tit.* quia crimen confessum in iure, pro notorio habetur, *cap. 1. de accusationib. in 6.* adeo ut nec appellationi locus sit, *cap. 3. §. si autem. de appellat. in 6.* Quod tamen interpretes in omnibus passim casibus non admittunt; sed quoties vel graue crimen, vel scandalum, aut damnum emergit. Aduersus alium confessio facta etiam in iure non valet, excepto crimine laesae ma-

X

iestatis

iestatis, *cap. 1. hoc tit.* multo minus quoties is, qui confitetur, eiusdem sceleris est particeps, *cap. 1. infra, de exceptionib. cap. veniens. de testib.*

IV. Debet praeterea omnis confessio esse libera, & spontanea; nam si per vim, aut metum fiat, nulla est etiam in iure, *cap. causam. 16. sup. de offic. delegat. vel per errorem facti, l. 1. §. ult. ff. ad Turpillianum: secus, si errore iuris. l. 2. ff. de confessis. cap. 3. hoc tit.*

## TITVLVS XIX.

DE

## PROBATIONIBVS.

I. **V**t rite iudiciorum ordo seruetur, iudex de re, de qua iudicium daturus est, certus esse debet, cuncta rimari, & rerum ordinem plena inquisitione discutere, quoad rei veritas eluceat, *can. iudicantem. 30. q. 5. & l. iudices. C. de iudiciis: idque variis modis, vel confessione, ut superiori titulo diximus, vel aliis probationibus; instrumentis nempe, testibus, praesumptionibus, iureiurando, de quibus titulis sequentibus, fama, & adminiculis cap. cum causam. 13. hoc tit.*

II. Quas quidem probationes quis praestare debeat, certo definiri non potest; aliquando enim actor, aliquando reus, aliquando vterque id facere debet, sed vulgo actori hoc munus incumbit, *cap. 1. & 2. hoc tit. l. possessiones. C. hoc tit. neque enim probare se dominum, vel possessorem debet, nec causam suae possessionis dicere tenetur reus, l. cogi. C. de petit. hereditatis. A qua tamen regula saepius excipitur, veluti cum res furtiua a possessore euincitur, probatio domini incumbit possessori, l. siue. C. eod. & aliis plerisque casibus.*

III. In criminibus non ita est, in quibus reus non admittitur ad probandum se crimen, de quo quaeritur, non perpetrasse, negatiuae enim probatio non recipitur, sed affirmatiuae, *cap. ad nostram. hoc tit. l. 2. ff. eod. negatiuae scilicet facti, quae pura, & simplex nullo adiecto tempore & loco, ut si quis dicat, se non fuisse citatum, quod directe probari non potest: negantis enim factum per rerum naturam nulla est directa probatio, cap. bonae. sup. de elect. l. actor. C. de probationibus: indirecte probatio admittitur loco, vel tempore adiecto, cap. series. cap. ex tenore. inf. de testibus; imo*

imo

imo & quoties negationi vi ipsa inest affirmatio, vt est in actione negatoria, cui inest tacite confessoria, §. *aeque. Instit. de seruitutib.* apud THEOPHILVM, cum illa negatio habet implicitam affirmationem, *cap. super hoc. sup. de renunciatione*, vel cum heres negat testatorem fuisse sanae mentis, tacite contendit eum fuisse furiosum, *l. nec codicillos. C. de codicillis*, vel cum pecuniam non fuisse numeratam contenditur, *l. 2. de non numerata pecunia*. Denique toties erit admittenda probatio negatiuae, quoties fiet per modum exceptionis, quia tunc reus actoris partibus fungitur *l. in exceptionibus. ff. hoc tit.*

IV. Multis itaque modis haec regula infirmatur, & eluditur, factum negantis probandum non esse, quod verum esse semper ex officio iudicis fatendum est, ne a reo probationem exigat, & contrarium demonstrandi necessitate adstringat, vt est in *l. 8. §. l. actor. C. hoc tit.* hoc enim pugnat cum ordine iudiciorum, nisi tunc demum, cum ab eo apposita est exceptio, quae eum ex reo actorem facit. Aliae sunt negatiuae iuris, & qualitatis, quae facile admittuntur, veluti cum quis negat emancipationem esse rite factam, *l. 5. ff. eodem*, vel hunc non esse idoneum, & capacem, *cap. dudum. inf. de praesumptionib.*

V. Postremo admittitur probatio ab vtraque parte in omnibus iudiciis duplicibus, in quibus vterque est actor, vterque reus, veluti finium regundorum *cap. 3. hoc tit.* vel in interdicto vti possidetis, quia vterque possidere intelligitur, vel naturaliter, vel ciuilitur. Naturalis possessio illa est, qua rem iusto titulo detinemus, non tamen animo domini, *l. si seruus. ff. de noxalib. act.* veluti iure pignoris, vel vfusfructus. Ciuilis vero est, qua iure, vel animo domini possidemus; quae tamen opus habet naturali apprehensione, nec enim solo animo quaeritur, *l. quaecunque. ff. de Publiciana act. l. traditio. §. vlt. ff. de acquirend. rerum dom.* In ea autem controuersia possessionis, interdictum vti possidetis, ita possideatis locum habet, *cap. licet, hoc tit.* Quod si non constet liquido de possessione, tunc quis actoris partes sustineat, inspiciendum est; qui nempe ad iudicium prouocauit, *l. in tribus. ff. de iudiciis*, contra petitozem enim consuetum est pronunciare, inquit *cap. inter. infra, de fide instrumentorum.*

## TITVLVS XX.

DE

## TESTIBVS, ET ATTESTATIONIBVS.

I. **P**robationes fieri variis modis diximus superiori titulo, ideo nunc de *testibus* agitur, quorum fides ad probandum maxime requiritur, & quidquid pronunciant, illud dicitur testimonium, siue attestatio: de utroque agitur hic, & de testium persona, & de eorum sententia, quae in acta, seu tabulas redacta est, *omnis enim expectatio iudicum aut in tabulis, aut in testibus est*, ait **TULLIVS**, *l. in Verrem*; quoties nempe de facto quaeritur, nam de iure testes non admitti debere certum est: ab his tantum fides rei gestae exigitur, *l. ad fidem. ff. eod. ut lux veritatis elucefcatur, l. ob carmen. ff. eod. tam ex visu, quam auditu cap. praeterea. cap. tam literis. hoc tit.*

II. Eorum autem dicta, siue depositiones in publica acta, vel monumenta redigi debent, *cap. significavit. hoc tit.* quae dicuntur attestations; non quod fides ex scriptura adstruatur, sed potius conseruetur ad cautelam futurorum, *cap. quoniam. sup. ut lite non contest. παρὰ ζώσης φωνῆς*, inquit *Nouella 73.* ex viua voce plus auctoritatis, quam ex scriptura elicitor, *l. 3. §. item diuus. ff. de testib. cap. tertio loco. sup. de probat. cap. cum Ioannes. §. porro. inf. de fide instrument.*

III. Plus valent testes, quam scriptura, testes viui, & praesentes, **TULLIVS** *2. de oratore: Viuorum & praesentium memoria teste*, hos *superstites praesentes*, vocat *orat. pro Muraena*, respiciens ad legem XII. tabb. apud **FESTVM**: *Vtrique superstilibus praesentibus vindiciae sunt*, facta duplicatione verborum, sicut cum dicimus, agnum castum, canonicum regularem, quinquagesimam, & pentecosten; vel potius, quod superstitis nomen, viuum testem denotet, ad praesentis differentiam, ita ut qui viuus sit, praesens non sit semper, **VIRGILIVS** *2. Aeneid.*

. . . *Superatne, & vescitur aura.*

Vbi alii legunt *superestne*, id est, *superstesne est.*

IV. Non tamen pro certo statuendum est testium vocem maiorem fidem facere, quam tabulas & instrumenta, quod solertiae & religioni iudicum

dicum

dicum est committendum, inquit HARMENOPVLVS, idque glossa confirmat in *d. cap. tertio loco*; ita vt si nouum sit instrumentum, credatur potius testibus, si vetus, minime: & quod vulgo dicitur, testibus, non testimoniis credendum, ex *d. l. 3. §. item diuus*, debet intelligi de testimoniis rei gestae, quae fiunt scripto, veluti per epistolam, quibus vix fides adhibetur, *cap. 141. lib. 6. Capitular.* Nam aliud est de instrumentis rite factis, vt dicitur *infra*, quae vocantur scripta authentica *cap. 22. hoc tit. in 1. compil.*

V. Vt vero fides testibus adhibeatur, plura consideranda sunt, dignitas, opes, mores, conditio, numerus, vt est in *l. 2. & 3. ff. eod. cap. 1. infra, de exceptionib.* ideoque infames a testimonio repelluntur, *cap. tam literis. hoc tit.* quibus crimen obiici potest, vel periurium, vel vitae turpitude, & praua hominum existimatio, *cap. sicut. cap. testimonium, & cap. fin. hoc tit.* inimicitia capitalis, *cap. licet Heli, inf. de simonia*; causa confimilis, quam morbum confimilem vocat *cap. personas. hoc tit. cap. 4. inf. de appellationib.* similiter ac iudex, cui lis, vel quaestio similis mouetur, *cap. causam 18. supra, de iudiciis.* Coniurati, seu conspiratores etiam repelluntur, *cap. cum L. inf. de sententia, & re iudicata.* Denique ii omnes, qui fordibus sunt obnoxii, *cap. cum oporteat infra, de accusat. & cap. Forus. infra, de verb. signif.* & vt TVLLIVS ait, pro Fonteio; testibus iudices non credere cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab omni religione remotis. Maxima morum religio in testibus desideratur, vnde & olim cum quis ad testimonium admittebatur, simul & praeconium eius publicabatur, ad quem morem respexit FABIVS in *declamationib.* Tyrannum testem dabo, illum quidem neque ego laudo. Sed ipsa scelera, ipsa vitia facient huic rei auctoritatem. TVRNEB. 2. aduers. c. 11. Inde postea laudare testem, pro citare dictum FESTO, & POMPONIO in *l. tenetur. de act. empt.*

VI. Quidam ad testimonium non admittuntur non ob vitium, sed conditionem & statum, vt sunt mulieres, *can. mulierem. 33. q. 5.* quod vulgo intelligitur in causis criminalibus, nam in ciuilibus, & in apodicticis, exceptis testamentis, recipiuntur, *l. 18. C. hoc tit. §. testes. Instit. de testamentis. arg. l. ex eo. ff. hoc tit.* Pupillus quoque, qui non attingit decimum quartum annum, vt definitur in *cap. 78. lib. 7. Capitularium, can. 1. 4. q. 2. cap. penult. tit. 4. lib. 2. legum Wisigoth.* idque secundum

vetera iura, quae puberes tantum admittebant, *l. nullum. ff. de diuortiiis*; quod deinde tractum est ultra plenam pubertatem, ad viginti annos, vt notat BALSAMON *ad can. 132. concilii Carthag.* quod tamen legibus non est admissum ante vigesimum quintum annum *l. in testimonium. ff. hoc tit.* Idem est de seruis, nisi omni alia probatione deficiente, *l. 3. ff. eod. can. si testes. eod.*

VII. Numerus etiam considerandus est, siquidem vnus testis fidem non facit, *c. cum a nobis. cap. licet. hoc tit.* etiam si sit summae dignitatis, vt est episcopus, in *can. placuit. 6. q. 2. l. 8. C. eod.* salua sedis apostolicae auctoritate, inquit *cap. cum a nobis. hoc tit.* Episcopo soli non creditur, nisi in iis, quae extra iudicium fiunt, veluti in literis commendatitiis, & similibus, quibus sigillum adhibetur, vt notat glossa: quia tunc episcopus non vt testis adhibetur, *cap. post cessionem. sup. de probat.* cui aduersatur canon *omnes 11. q. 1.* qui desumptus est ex *l. 1. C. Theod. de episcopali audient.* & confirmatur a CAROLO M. *cap. 281. lib. 6. capitul.* in quibus diferte vnus episcopi testimonium propter honorem gradus admittitur; contra tamen sentit gloss. in *d. cap. post cessionem*, cum qua consentit CUIACIUS, & alii plerique; licet difertis verbis nullibi expressum reperiatur vnus episcopi testimonium non sufficere, cuius sententiae est etiam BALSAMON in *d. can. 133.* qui proprie non loquitur de episcopo adhibito teste in iudicio, sed potius de episcopo, qui confessionem criminis sibi ab aliquo factam exponit, quod diuersum est: nec enim potest tunc testimonium certum ferre, de quo sibi non constat, nisi ex relatu, & eius sententiae est ZONARAS.

VIII. Ideoque existimandum est propter iudiciorum vtilitatem, & fidem publicam, testimonium vnus, licet episcopi, vel magnatis, vel diuitis non sufficere; quamuis in *legibus Siculis* dicatur, vnus illustri testimonium duobus aliis compensari debere, *lib. 2. tit. 32.* indistincte enim locum habere debet, *can. 75. Apostolorum: vt in ore duorum vel trium stet omne verbum, cap. licet, hoc tit.* Pluralitas quidem recipitur, dummodo non sit effraenata, & superflua, vt est in *l. 1. §. fin. ff. eod.* quam vsque ad numerum quadragenarium restringit *cap. cum causam. hoc tit.* dummodo iteratis productionibus, & publicationibus non fiat, nisi propositis nouis capitulis. *cap. fraternitatem. cap. series, & cap. ex tenore. hoc tit.* Moribus quidem Galliae super quolibet litis articulo testes plures decem inter-

inter-

interrogare prohibitum, ordinatione Ludouici XII. anni M.CCCC.XCIX. art. 13. Certe refutatio, & noua productio testium bis fieri potest, *cap. praesentium. 31. & cap. licet. 49. hoc tit.* in causis scilicet criminalibus, nam in ciuilibus tertia, & quarta productio admittitur, *cap. in causis. hoc tit.* non *μονομερῶς*, sed vtraque parte praesente, nisi pars altera absit per contumaciam, *nouella de testibus.* Possunt etiam denuo interrogari testes iam interrogati. *cap. per tuas. 48. hoc tit.*

IX. Duo alia, praeter ea quae supra diximus, exiguntur in testibus; vnum, vt sint ieiuni, *cap. 1. hoc tit.* quod quidem magis honestum est, quam necessarium, *can. honestum. 22. q. 5.* ebrii tamen repelluntur, *cap. 38. lib. 3. Capitul.* alterum, vt sint iurati, *l. iurisiurandi. C. Theod. hoc tit.* licet sint monachi, *cap. tuis. hoc tit. legum Wisigoth. lib. 2. tit. 4. cap. 207. lib. 7. capitul. legum Baiuuariorum tit. 16. Ripuariorum tit. 50.* vt vulgo notum est. Iurati tamen non admittuntur monachi, sicut nec clerici, siue canonici in causis ecclesiae, nisi pars aduersa remiserit, *d. cap. tuis quaestionib. & in defectum aliarum probationum;* idque probat *CVIACIVS* insigni loco *INNOCENTII III. in ep. ad decanum, & capitul. Eborac. quibus, ait, tanquam legitimis testibus sine dubitatione credatur.*

## TITVLVS XXI.

DE

## TESTIBVS COGENDIS, VEL NON.

I. **S**pecialem titulum de coactione testium fecit Gregorius, quia hoc videbatur esse contra aequitatem iuris ecclesiastici; nimis asperum, & contra morem ecclesiae, vt est in *cap. 1. hoc tit. in 1. compilat.* quem tamen rigorem ex iure ciuili sibi adstruit propter hominum in veritate tacenda pertinaciam *cap. vlt. hoc tit. in ead. compilatione.*

II. Hoc ius testium cogendorum vetus est ex lege XII. tabb. vt iis, quibus testimonium defuisset, succurreretur per trinam denunciationem, siue citationem, quam *vagulationem* dicebant, *κλήσις*, siue *ἀνάκλησις*, id est, *appellationem*, quae fit alta voce apud *SVIDAM*, & *POLLUCEM.* *HORAT. 1. serm. sat. 2.*

Magna

*Magna exclamat voce: & licet antestari? ego vero  
Oppono auriculam.*

Conuicium, siue conuocium dicebant etiam, & eodem sensu conuicia sumuntur in *legibus Longobard. lib. 1. tit. 5.*

III. Haec trina denunciatio fiebat trinundino, tertiis diebus, siue nundinis apud *FESTVM*; & tunc Quirites qui ruri degebant, urbem repetebant, apud *PLINIVM lib. 18. cap. 3. manitiones*, siue *mannitas tres* vocant *leges Salicae tit. 52. maninas HINC MARVS in epist. ad episcopos Franciae.* Primum quidem facta trinundino, licebat contumaces vi oborto collo adducere in iudicium, si offenderentur vel in foro, vel in publico, vt frequens est apud *PLAVTVM*, & *TERENTIVM*, ac etiam in *legibus Longobard. lib. 2. tit. 51. in publico conuentu inuita reducantur.* Mitius paulatim agi coepit oblata auricula, quam actor peruellebat, & hoc antestari dicebant, vt ex dicto Horatii loco censent omnes: quem morem Romani ad alias gentes sibi subditas traduxerunt; inde apud *Baiunarios* toties agitur de testibus per aurem tractis *tit. 16.*

IV. Qui recusabant, inuiti trahebantur; & multam exsoluebant, nisi funnis, id est, excusatio legitima adesset, in *legibus Salicis tit. 51. & Ripuariis tit. 50.* hoc nostro iure per censuras ecclesiasticas compellendi sunt *cap. 1. & cap. cum contra. hoc tit.* qui testimonium reddere recusant, gratia, odio, vel metu moti, *cap. 2. & cap. dilectorum. hoc tit.* vel coniuratione inita: omnes enim, qui iuramento sese ad veritatem caelandam adstrinxerunt, cogendi sunt, non obstante tali iuramento, quod nullum est ipso iure, vtpote illicitum, *cap. intimaui, & cap. constitutis. 45. superiori tit.* nec eget absolutionis beneficio, nisi ad cautelam, *cap. venerabilis, hoc tit.* sed potius declaratione id non valere. *cap. penult. inf. de accusat.*

V. Quidam vero sunt, qui nullo modo cogi possunt, nec euocari in ius, vtpote qui excusationem merentur, senes, valetudinarii, & pauperes, *cap. 8. sup. tit. in 1. compil. quod & ad egregias personas traductum est l. ad egregias. ff. de iureiur.* Milites etiam excusantur, *l. 3. §. vlt. ff. eod.* qui ab exercitu, a signis abduci non debent, *l. milites. C. locati.* *AMMIANVS MARCELL. lib. 21. VEGET. lib. 2. cap. 5.* conductores, vel procuratores publicorum negotiorum, *l. 19. C. eod.* qui reipublicae causa absunt, *l. 8. ff. eod.* clerici, & monachi, qui propter religionis votum loco moueri

non



non possunt, *l. 2. ff. de in ius vocando. qui & postulare non tenentur, cap. ult. sup. de postul. l. praetor. ff. de vacatione munerum: qui omnes, licet excusentur, non tamen a ferendo testimonio repelluntur, cap. insuper, & cap. cum nuncius, superiori tit.*

## TITVLVS XXII.

DE

## FIDE INSTRUMENTORVM.

I. **I**nter probationes censentur instrumenta, quae & ideo saepius confunduntur, *HARMENOPVLVS* *δικαιώματα* vocat, tam probationes, quam instrumenta *lib. 1. tit. 2. cap. 12.* quia sunt instructiones & firmamenta causarum, & litium, *l. 1. ff. hoc tit.* apud *ARISTOTELEM* *ἀμφισβητῆντων δικαιώματα.*

II. In Basilicis vero, & apud eundem *HARMENOP.* instrumenta proprie dicuntur *συμβόλαια*, pacta conuenta in scripturam redacta, vt actum facilius probari possit, *l. 4. ff. eod.* & illa scriptura debet esse authentica, id est, habens firmitatem, & auctoritatem: sic enim *ἀυθεντικὸν* sumitur apud Graecos in veteribus glossis; quam vocem eodem sensu vsurpat *TULLIVS 9. ad Atticum, epist. 17.*

III. Instrumenta quoque authentica vocantur documenta ecclesiae in *can. posteaquam. 25. q. 2.* & documenta euangelica, *can. 1. 73. dist.* quia testium numero sunt subscripta, & manu publica, serui nempe publici, seu tabellionis exarata, vt recte glossa in *d. cap. 2. hoc tit.* in legibus *Siculis lib. 1. tit. 96. cap. 4. & lib. 2. tit. 36. iuris probatio exigatur per autentica instrumenta, videlicet per testes fide dignos, & omni exceptione maiores*, veluti in causa emptionis, venditionis instrumentum probatur authenticum ex contractu rite facto *lib. 3. tit. 8. ibidem*, quod confirmatur in *cap. cum Ioannes. hoc tit.* Contractus vt valeat, in scripturam redigi debet a tabellione, & a contrahentibus subscribi, & testibus roborari. *l. contractus. C. de fide instrument. cap. inter. hoc tit.* Aliquando adhibetur sigillum principis, vel magistratus, *cap. dilectus. hoc tit.* vbi instrumenta regia, id est quae regis sigillo munita sunt, maximae sunt auctoritatis,

Y

quae

quae diem & consulem habent, *l. 1. §. si initium. ff. de edendo*; quae episcopi sigillo, vel annulo ecclesiae notantur in *d. can. 1. 73. dist.*

IV. Aliud praeterea requiritur, ut instrumenta dicantur authentica, ut sint iuri consona: de decretali summi pontificis probat *cap. pastoralis. hoc tit.* Quaedam decretales sunt praeter iuris ordinem, quae tamen non statim reprobantur, sicut nec quae consuetudini aduersantur, nisi causa plenius discussa, ita nominatim iubente summo pontifice, vel principe, ut annotat glossa: quae vero aliqua parte vitatae sunt, nullius sunt momenti, nisi defectus ille modicus sit, & leuis, veluti propter literae omissionem, *cap. inter dilectos. cap. ex parte, & cap. fin. hoc tit.* imo & si aliquod vitium sit, dummodo in loco non suspecto. *cap. 3.* Quod si instrumentum sit vetustate confectum, ut quia filum fractum est, *cap. 3. hoc tit. in 1. compil.* vel aliquid abrasum, ne omnino pereat, per publicam personam potest desumi exemplar, quod easdem vires habebit iudicis interposita auctoritate *d. cap. fin. hoc tit.*

V. Duplex porro est instrumentum, vnum publicum, alterum priuatum: publicum illud est, de quo iam diximus, quod a seruo publico conficitur, *ἀγογῆιον*, id est, forense vocant *nouellae 42. 49. 52. & 73.* quod solebat in locis publicis asseruari, ne vetustate periret: superstitionibus adhuc testibus, & tabellione exemplar desumi potest; defunctis vero, ita demum, si fiat per literarum, & subscriptionum comparisonem. Quod si adhuc tabellio superstes sit, testibus mortuis, comparatio non est necessaria, propter fidem tabellionis *d. nouella 73.*

VI. Priuatum instrumentum est chirographum, quo debitum continetur. Apocha, est securitas solutae pecuniae, quae datur debitori. Antapocha, quae datur creditori, ut ex ea probet sibi solutam pensionem, vel usuras, ex qua quidem non fit comparatio, nisi subscriptio in scripturam trium testium, *l. comparationes C. hoc tit.* duobus casibus exceptis; vnus est, si scripturae priuatae manus negetur, vel si priuata scriptura proferatur ex archiuis publicis, ex loco publico, *l. acceptam. C. de usuris*; tunc enim per comparisonem valet, & fit ex ea publicum testimonium, *nouella 49.* cum hoc additamento tamen tam in publicis, quam priuatis scripturis, in comparatione literarum tabellionis, vel eius qui scripsit, ac etiam testium, si superstes sint, fiat interrogatio *d. nouella 73.*

T I T V.

## TITVLVS XXIII.

DE

## PRAESUMPTIONIBVS.

I. **P**robatio aliquando valet & sine testibus, & instrumentis, ex praesumptionibus iure receptis, quae ex eo eliciuntur, quod plerumque fit, *cap. scribam. hoc tit.* Ex manifestis indiciis fiunt certissimae probationes *l. ult. C. de contrab. stipul.*

II. Manifestum indicium intellige violentum, in *cap. literis, hoc tit.* quod vehemens appellatur, in *cap. literas. eodem.* Pluribus exemplis id demonstrat **TULLIVS** 3. in *Verrem*, vbi ex lucri magnitudine coniecturam facit furti, ac praedae, & hanc suspicionem atrocissimam vocat.

III. Alia est praesumptio simplex, & nuda, quae ex sola animi cogitatione, atque praeeccupatione procedit, vel ex leuibus argumentis; quam suspicionem dicere potes: quae non inducit plenam probationem, nec ideo vim facit, vt in *l. 1. ff. quemadmodum testam. aperiantur.* Tabulae testamenti suspectae fiunt, si vnus testium neget sigillum suum, nec ideo tamen minus aperiuntur, nec minus obseruatur voluntas defuncti, vt recte **ACCURSIVS**: nec enim vnus testis vacillatio, seu negatio totum negotium destruit, sicut nec vnus adseueratio, licet suspicionem inducat, facit probationem *cap. veniens. sup. de testib.* Semiplenam quidem facere potest, vt voluerunt interpretes iuris ciuili, quod **CVIACIVS** negat, ex *l. maritus. ff. de quaestionib.* vnus certe testis potest facere praesumptionem, quidni? quando solae circumstantiae iure approbatae id agunt, contra quas nec probationes etiam saepius admittuntur *cap. 2. supra, de restit. spoliat.*

IV. Quod si ratio pugnat cum coniecturis, & argumentis, haec praesumptio nulla est, nec vim facit, sicut in *cap. quia hoc tit.* Non praesumitur quis dignitatem vel personatum cessisse alteri, vt vicariam perpetuam accipiat, nisi cessio elegans sit, & per idoneos testes comprobetur. Ratio petitur ex iure ciuili, neminem praesumi iactare suum, nec animus donandi facile creditur *l. Campanus. ff. de operis libert. l. cum de indebito. ff. de probat.*

Y 2

V. Simi-

V. Similiter praesumptio, quae oritur ex vulgi opinione, & fama communi fidem non facit, licet famam consentientem cum partis adseueratione fidem facere innuat iurisconsultus in *l. 3. §. ideoque. ff. de testibus*: quod ex rescripto D. Adriani non est admittendum, sed vt ait glossa ad inducendam semiplenam probationem, quae iuramento det causam, *l. in bonae. C. de iureiurando*. In matrimoniis famam solam fidem facere constat, propter periculum & scandalum, ideo in *cap. super eo, infra, de consanguinit. & affinit.* sola fama impeditur matrimonium; sicut e contrario ex mutuo affectu, & habitatione, ex vicinia praesumitur *cap. illud. hoc tit.*

VI. Et id quidem in ciuilibus causis facilius locum habet, quam in criminalibus: non enim praesumptio, aut fama constituens, seu mala vulgi opinio sufficere vnquam potest ad condemnationem, licet inducat iuratoriariam cautionem, vel purgationem, vt de haeresis suspicione dicitur in *cap. literas. hoc tit.* & in *can. I. 15. q. 6.* Quod eleganti *epist. 44. SYNE-SIVS* demonstrat, dum Hesiodi poetae sententia famam non mentiri, cum Dea sit, refert, vt facilius Ioannem *εις ἀπολογία ἀμαρτήματος*, id est, ad expiationem criminis inducat; & ad eluendam parricidii beato Aemilio illati suspensionem suadet illi, vt se ad leges conferat, & iudici committat. Donec reus se expiauerit, si sit clericus, ab officio suspendi debet *can. presbyter. 2. q. 5.*

VII. Nec solum ex communi opinione praesumptio formatur, sed ex antecedentibus, praesentibus, & subsequenter; ita vt semel malus semper praesumatur malus, & e contrario bonus, nisi contrarium probeatur. *l. cum quidam. ff. de legat. 2. cap. mandata, & seq. cap. cum iuuentute. hoc tit. & l. 34. C. ad l. Iul. de adult.*

VIII. Hoc tamen in se habet praesumptio, vt ad veritatem referatur, nec de falsis argumentum sumat; & in eo differt a fictione, quae fit de eo, quod non est, nec fuit, veluti fictio legis Corneliae, quae postliminio reuersos in ciuitate semper fuisse fingit, non vero praesumit. Publiciana quoque actio, & fictitia traditio, & similia, quae procedunt ex bona fide, quam tantundem praestare, quam veritatem docet PAV-LVS, *l. in bonae fid. de regul. iur.* veluti si quis donando, in dotem dando, vel vendendo, vsumfructum retinuerit, fingitur rem *κατά συντομίαν*, id est, *brevi manu*, tradidisse, *l. quisquis. C. de donat.* quod raro ius canonicum admittit,

admittit, nec in argumentum fictae traditionis debuit CUIACIUS adducere *caput 2. sup. de consuetud.* in quo glebae traditio non quicquam falsum ingerit, sed datae possessionis veritatem adstruit; signum potius est, quam figmentum, vt de inuestitura dicitur in *cap. per tuas. inf. de donationib.* quae fit saepius per glebam, per herbam, per festucam, per cultellum, per ostium, in formulis antiquis, per panem, per librum, vt annotaui in *observationibus meis.* Et sic annulus est signum foederis coniugalis, & veri matrimonii, vitta coniunctionis *can. faeminae. 30. q. 5.*

IX. Talia quidem sunt praesumptiones, sed non fictiones; sic spiritus sanctus in columbae specie descendens signum fuit speciale filii Dei, *can. quaerendum. de poenitentia. dist. 2.* & sacramentum eucharistiae est signum rei sacrae inuisibilis, & species panis & vini est signum praeter id, quod oculis cernitur. *can. sacrificium, & seq. de consecrat. dist. 2.* Quae omnia, & alia innumera, si quis fictiones diceret, erraret toto coelo.

## TITVLVS XXIV.

DE

## I V R E I V R A N D O.

I. **D**eficientibus probationibus testium, & iustarum praesumptionum exstantibus adminiculis, vel coniecturis, vel fama publica, recurritur ad *iusiurandum. cap. sicut. sup. de probationib. cap. ex literis. hoc tit.*

II. Iusiurandum supplet multos defectus, non solum testium, sed etiam contractuum, & conventionum, τῶν ἀγράφων συναλλαγμάτων, quae fiunt sine scriptura, ac etiam earum, quae ἀυτόχειρα, id est, priuatae scripturae sunt, vt syngraphae apud HARMENOB. *tit. 8. lib. 1.* Quia vero iusiurandum datur propter inopiam probationum, l. in bonae fid. C. *hoc tit.* Graeci, τὸν ὄρκον ἀναπληρωματικὸν, *iusiurandum suppletorium* vocant, quod maxime locum habet litium finiendarum causa, *cap. vlt. hoc tit.* quod vnicum est *hoc tit.* in eo genere.

III. Apud iurisconsultos diuiditur in voluntarium, necessarium, & iudiciale: voluntarium quidem BALSAMON, & alii plerique male definiunt, id quod extra iudicium defertur, imo & in iudicio locum habet,

Y 3

sicut

sicut & necessarium: & vtrumque merito dici potest iudiciale, quia defertur in iudicio a parte. Non nisi a volente praestatur, & ideo dicitur voluntarium: a nolente remittitur, & delatori refertur, & tunc dicitur necessarium, vtrumque est maximi momenti, nec lis eo finita retractari potest, quia speciem transactionis prae se fert, & religioni est standum, *l. quod si deferente. ff. de dolo.* Et hoc est, quod ait *caput, & si Christus, hoc tit.* *Omnis controuersiae finis sit iuramentum.*

IV. Vim etiam maiorem habet, quam res iudicata, *l. 2. ff. eod.* nec contra venire licet legibus ciuilibus, nisi nominatim definiant, vt in *l. 1. C. hoc tit.* quod probat multis exemplis gloss. & praecipue in *l. 13. C. eod.* Sed nec canonibus, nisi ratio manifesta contra compositionem fidei interpositione firmatam, producat, inquit *cap. 8. hoc tit. in 1. compil.* Veluti si iniustum vel falsum quid fuerit, cui ius nostrum nunquam adstipulatur *cap. ad nostram hoc tit.* Iudiciale vero iusiurandum est id, quod defertur a iudice reo, quoties res, vel causa est ambigua, deficientibus probationibus; retractari potest ex causis nouis, & rationibus superuenientibus, veluti instrumentis. *l. admonendi. ff. eod.*

V. Siue autem iuramentum fiat in iudicio, vel extra, duplex est: vnum simplex, alterum solenne; vtrumque apud Deum aequaliter obligat, *cap. rursus. inf. qui clerici vouentes.* Solenne illud est, quod fit publice, conuocato populo, in ecclesia, in comitiis, & locis publicis, cum obtestatione episcopi, vel eius missi, per baptismum, per fidem, per iudicium Christi in *can. si duo, & seq. 35. q. 6.* Hanc obtestationem diuinam vocat CLEMENS ALEXANDRINVS 7. *Stromatum: ὄρκος μὲν γὰρ ἐστὶν ὁμολογία καθοριστικὴ μετὰ προσπαρακλήσεως Θείας,* id est: *est enim iusiurandum quidem confessio definitiua cum diuina assumptione,* vt in *can. & iurabunt. 22. q. 1.* alii legunt, *καθαριστικὴ,* quasi *expurgatoria,* seu *expiatoria,* quod proprium est iurisiurandi. *can. 19. 2. q. 5.* Obtestatio diuina inest etiam solenni iuramento, VIRGILIUS:

*Tango aras, mediosque ignes, & numina testor.*

TVLLIUS pro Cornelio Balbo: *cum quidam testimonium publice dixisset, vt mos Graecorum est iurandi causa ad aras accedere.*

VI. Nec obtestatio fieri debuit olim, nisi per Deos, inde ENNIUS iusiurandum, quasi Iouis iurandum dicebat, est enim species cultus diuini, qui non est dandus creaturis: ideo apud DEMOSTHENEM pontificibus

cibus

cibus non licebat iurare per homines, *sed per Deos*, & ipse Demofthenes tumultum Athenis concitavit, quod iurasset per fontes, fluuios, latices, apud PLVTARCHVM; quod & hoc nostro iure videtur comprobatum, quo neque per coelum, neque per terram iurare licet, *can. considera. 22. q. 1.* per daemones, *can. mouet. ead.* Eadem ratione neque per principis genium, salutem, imperium, & similia fas erat iurare, propter diuinitatem, quae eis inesse credebatur, *l. qui per salutem. ff. eod.* Imo tunc periurium grauius plectebatur, *l. si duos. in fine. ff. eod.* MINVTIVS FELIX: *Tutius per genium Iouis peierare, quam principis.* Inter omnia autem iuramenta non aliquid sublimius habuerunt veteres, quam per bonam fidem; ita M. Fauoleius stricto gladio, eoque sublato iurauit apud DIONYSIVM HALLICAR. *lib. 9. c. 2.* Ad bonam fidem referri potest, quod dicitur in *d. can. considera. Non esse iurandum per caput suum,* quod sumptum est ex MATTHAEI *cap. 1. μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σὲ ὀμόσης,* id est, *neque in capite tuo iuraueris:* quod confirmat BALSAMON ad *can. 94. syn. VI. in Trullo,* quoties fit ἐξ ἐπαγωγῆς, id est, *ex delatione.*

VII. Ad hunc iuramenti modum referri etiam potest illud, quod nunc vulgo in curiis ecclesiasticis habet locum, vt iuretur in animam vel suam, vel eorum, quorum causa agitur, *cap. praesentium. de testib. in 6.* quod vnicum esse, & de iure nouo id statui, scribit gloss. in *cap. dudum. 2. de elect. supra.* Aliquando iuratur sub poena beneficii, *cap. cum dilectus, in fine. eod.* sub poena ordinis. *d. can. quoties. 1. q. 7.* communiter vero iuramentum praestatur super sacrosancta euangelia, vel reliquias martyrum: formula est in *can. de parentela, & sequentibus. 35. q. 6.* dicto *can. quoties. in legib. Alemannorum tit. 6.* & alibi passim. Ratione loci dicitur etiam solenne iuramentum, quod vocant legitimum capitularia CAROLI M. *lib. 4. cap. 74. In legitimo sacramenti sui loco.*

VIII. Fit etiam solenne variis ex causis, ratione dignitatis regiae, vel principatus, *in legibus Wisigoth. vt non antea quispiam solium regale conscendat, quam iuramenti foedere legem implere promittat:* ratione officii, vt de magistris iustitiariis legitur in *constitutionib. Siculis tit. 43. de baiulis, & camerariis tit. 59. & 66.* & in nostris ordinationibus regiis ratione officii palatini, quod omnes ad fidem regiam adstringit, *tit. 7. lib. 5. legum Wisigoth.* ratione etiam episcopatus, vt praestetur fidelitatis & obedientiae iuramentum summo pontifici, *cap. 4. hoc tit. quod etiam*

etiam

etiam praestant episcopi regibus nostris in Gallia, non ratione ordinis, sed domini temporalis, & iurisdictionis. Clerici quoque omnes episcopo suo iuramentum praestant. *can. quanquam. 23. dist. & cap. tua. hoc tit.*

IX. Et haec omnia iuramenta supradicta licita sunt, si veritatem profiteantur. *can. ut noueritis. 22. quaest. 1.* Sicut e contrario illicita sunt variis modis, ut quae fiunt temere, & absque delatione, *can. unusquisque. 22. q. 4.* per metum, & vim, *cap. si vero hoc tit.* ex personae qualitate, veluti si sit impubes, qui iurat, *can. paruulis, & seq. 22. q. 5.* vel si sit laicus, coram quo iuratur, nisi fiat autoritate papae, *can. Menanam. 2. q. 5.* ratione rei, ut si res sit turpis vel prohibita, *can. clericum, & sequentib. 22. q. 1.* ut si iures soluere vsuras, *cap. debitores hoc tit.* vel vel si monachus iurauit se claustro discessurum, *cap. sicut. 23. hoc tit.* vel sit contra utilitatem ecclesiae; *cap. sicut nostris. eod. ratione temporis,* ut non iuretur festis, & dominicis diebus, quibus induciae dantur, *can. decreuit. 2. q. 5.* si iurans non sit ieiunus, quae omnia petita sunt ex *cap. 63. lib. 1. Capitul.*

X. Denique iuramentum, quod nocet, illicitum est, & ideo nullum, *cap. quanto. hoc tit.* similiter quod non nocet, sed affert aliquod impedimentum, ut qui vinum se non bibiturum, vel carnes non esurum, vel ordines non suscepturum iurauerit, non adstringitur iuramento: sed tamen D. BASILIVS hunc ad peierandum non esse cogendum contendit, eo quod periculum incurrat in *can. 10. ad Amphiloctium.* Et haec iuramenta saepius iterantur, si necessitas exposcat, ut de quinquennio in quinquennium statuit HONORIVS III. *cap. 1. de treuga & pace, in 5. compilat.*

## TITVLVS XXV.

DE

## EXCEPTIONIBVS.

I. **H**ic titulus mire congruit cum superiori de iurejurando; inutile esset iusiurandum, nisi in iudicio proponeretur: quae exceptio idem est cum praescriptione, ideoque titulus codicis inscribitur, de exceptionibus, & praescriptionibus. Sic TVLLIVS praescriptionem pro exceptione legis Liciniae, vel Aebutiae dixit, *orat. de lege Agraria.*

II. Est



II. Est autem exceptio, actionis exclusio, & sine actione exceptio esse non potest; actio vero intendit rem dari, & ille, qui agit, rem iam videtur habuisse, & cepisse, *l. 15. de reg. iuris*, ideo actio vocatur quasi capio, vel captio; exceptio, quasi excapio, vel excaptio, simili omnino sensu, quo apud FESTVM, *praecipuum*, quod ante capitur, *excipuum*, quod excipitur: nam exceptio est proprie exclusio actionis, siue emendatio, defensio rei, *l. 28. §. exceptio. ff. de iureiurando*.

III. Quae vulgo in dilatoriam, & peremptoriam diuiditur: illa descendit ex personis, haec ex causis, & rebus: illa debet opponi ante litem contestatam initio litis; *l. exceptionem. C. de probationib.* quia primum de personis inquiri debet, *l. licet. C. de procuratorib.* postquam scilicet actor suam intentionem fundauit, & tunc dilatoria exceptio proponi, & probari debet *l. emptor. C. de praescript. longi temp. l. 9. C. de exceptionib. cap. quoniam. §. porro, vt lite non contestata, sup.* Multae sunt exceptiones dilatoriae, vt fori praescriptio. *cap. olim. hoc tit. can. experientia. 11. q. 1.* Procuratoria, quoties non agi opportuno tempore contenditur, *cap. in nostra. sup. de procurat.* vel procuratoris potestas suspecta est, *cap. cum olim. supra, de offic. delegat.* vel contra iudicem suspicio proponitur. *cap. cum inter. hoc tit.* Idem est de excommunicationis exceptione. *cap. exceptionem. hoc tit.*

IV. Peremptoria exceptio illa est, quae rem totam definit & perimit, ac vim sententiae definitivae habet, *l. 37. C. Theod. de appellat.* vt est iurisiurandi, rei iudicatae, doli mali, quod metus causa, pacti, & similibus: quae quidem licet initio litis contestatae opposita non fuerint, admittuntur ante sententiam, vel etiam post sententiam, si appellatum fuerit, *l. 4. C. de exceptionib. l. 2. C. sententiam rescindi non posse, vsque ad viginti annos, cap. cum venerabilis. hoc tit. cap. 9. supra, de probationib. & cap. 4. sup. de procuratorib.* Quod desumptum est ex iure ciuili, *l. querela. C. ad l. Corneliam de falsis;* & interim sententiae validitas est in suspenso, quamdiu falsitatis vitium non apparet, quo emergente, nulla est, in odium falsi, vt probat glossa ex *cap. fraternitatis. infra, de frigidis.*

V. Et haec est summa differentia intra dilatoriam, & peremptoriam exceptionem, quae tamen cessat iure quodam singulari in exceptione excommunicationis, ne quis animae periculum incurrat, quae proponi

ON IIV

Z

quando-

quandocunque libuerit, potest, etsi reus sciens ea ab initio usus non fuerit, *d. cap. exceptionem*. Quod pia consideratione statutum est, dummodo tamen intra dies octo excommunicatio probetur, ait INNOCENTIVS IV. in *cap. 1. hoc tit. in 6.* non obstantibus peremptorii edicti terminis. *Clementina 1. eod.* Quod de omni excommunicatione intelligi non debet, sed de maiori, ut est in *d. cap. 1.* quae publice facta dicitur in *d. cap. exceptionem*. Excommunicatus publice, iudex esse non potest, *cap. ad probandum. inf. de sentent. & re iudic.* nec admittendus est ad agendum, vel accusandum, *cap. olim. infra, de accusationib.* nec ad ullam dignitatem, *cap. venerabilem. supra, de electione*. Minor excommunicatio hic non intelligitur, quae nullam irregularitatem inducit, & quae tantum a participatione sacramentorum, non fidelium consortio remouet, *can. Engeltrudam. 3. q. 4.* quae dicitur minor, ut distinguatur a maiori, ab anathemate, quae ab homine fertur, illa a lege, *cap. si celebrat. infra, de slevis. excommunicato.* ut latius dicetur infra. Et haec exceptio tantundem valet, ita ut propter animarum periculum quomodolibet vitanda sit, & ideo semper opponenda, etiam si is, qui eam proponit, cum aduersario communicauerit, *cap. 2. hoc tit.* licet enim is, qui cum excommunicato communicat, sit excommunicatus, minori scilicet excommunicatione, non tamen ab excipiendo repellitur.

VI. Est & alia exceptio, quae τὴν πρόκρισιν, id est, praeiudicium sapit; sunt enim quaedam praeiudiciales exceptiones, sicuti actiones; & illa praeiudicialis exceptio locum habet, quoties status quaestio fit, ut si sit seruus, qui promotus est, vel filius presbyteri, absque vlla dispensatione. *cap. vlt. de filiis presbyt. cap. 2. de seruis non ordinand.* Cum quis vno iudicio pro alio agere contendit, si quaestio sit proprietatis, & interim seruitutis lis moueatur. *l. fundum. ff. hoc tit.* Haec nunquam opponitur post litem contestatam. Talis est exceptio falforum testium, quae non censetur proprie peremptoria, sed nec dilatoria, sed potius est obliqua, & indirecta, quae litem non dirimit, sed ei tamen praeiudicium facit: potest enim actor iure agere, licet falsos testes adhibeat, ut optime glossa annotauit. Exceptio equidem falsi, quae perimit omnem litem, est peremptoria, *d. cap. cum venerabilis*, quia agens, inhonesta, & iniusta actione utitur, quam D. AMBROSIVS exceptionem honestatis vocat, & *cap. fin. infra, de conditionibus appositis.*

VII. Est

VII. Est praeterea alia exceptio, quae non est peremptoria, nec dilatoria, nec temporaria, nec perpetua, sed παραγραφὴ ἀμφίβολος, id est, *incerta & ambigua*, quoties rei, de qua quaestio est, petitio suspenditur, in conditionis euentum, *si naus ex Asia venerit, vel, Titius consul fuerit*, petenti rite exceptio opponetur, quae dicitur ambigua, *cap. verum, & seq. infra, de conditionib. appositis. l. sufficit. de conditione indeb. l. ambiguitatem. C. de usufructu.* Qua ambiguitate pendente euentus expectari debet, nec temere aliquid statuendum est. *can. habuisse. II. q. 3.*

## TITVLVS XXVI.

DE

## PRAESCRIPTIONIBVS.

I. Titulum peculiarem facit Gregorius de praescriptionibus, licet, vt iam diximus, praescriptio idem sonet, quod exceptio: Graeci vtrumque παραγραφὴν vocant, quamuis grammatici differentiam ponant; ita vt exceptio dilatoria, dicatur translatio; peremptoria vero, defensio, quae litem omnem definit, & perimit, atque etiam praescriptio dicatur. At hoc titulo non de omni praescriptione peremptoria agitur, sed de praescriptione temporis, simili modo, quo IUSTINIANVS, licet proprium titulum *de praescriptionib. & exceptionib.* ediderit, de illa tamen plures titulos fecit, quos distinguit ab aliis exceptionibus.

II. Quae quidem temporis praescriptio in vnus praescribentis facto consistit; aliae vero tam actoris, quam rei personam requirunt; siue agatur de dolo, metu, re iudicata, iureiurando, & similibus, in quibus vel omnino, vel partim actor partes sustinet; at non ita in temporis praescriptione, in qua solus defensor personam suam interponit, & factum suum praestat, possidendo, & retinendo: ita vt aliquo modo etiam actoris vices, gerat: nam possessio, & actio, quae in actu, & corpore consistit, & ex qua rerum dominium nascitur, *l. 1. §. 2. ff. de acquir. posses.* vnde possessori amissa possessione datur utilis in rem actio *l. penult. C. de praescript. triginta annorum. l. si quis diuturno. ff. si seruitus vindicetur. cap. auditis, hoc tit.* In aliis vero exceptionibus factum potius actoris, quam rei inspicitur, siue excipiat de dolo, de metu, de iureiurando,

Z z

reiurando,

reiurando, de re iudicata, & pacto, in quibus inest actio, & exceptio. *l. eleganter. §. non solum, l. sed si affirmauerit. de dolo. l. sed & si ideo. soluto matrim.* Idcirco qui habet actionem, habet exceptionem, non e contrario, qui exceptionem, continuo habet actionem, vt docte annotauit CUIACIUS ad *l. quod mihi. de liberatione legata.* Quod etiam seruandum est in praescriptione, quae quamdiu opponi potest, utilis actio in rem non datur *d. l. penult.*

III. Praescriptionis autem nomine, hoc titulo ea praecipue intelligitur, quae 30. vel 40. vel 100. annorum, licet & quaeuis alia intelligatur cuiuslibet temporis, etiam vnius anni, mensis, diei, horae, momenti etiam; cuius computatio fieri potest, vt colligitur ex *l. 3. §. minore. de minorib. & l. 5. de obligat. & act.* quod tamen crebro ad horam reduci solet, vt VLPIANVS exponit in *l. 6. & 7. de vsucap.* & GELLIUS *lib. 3. cap. 2.* imo & ad diem, nam facile in expendendis horis decipi possumus: ideo TVLLIUS in *orat. pro C. Rabirio* de praescriptione semihorae ad causam agendam ei indulta conqueritur. Hinc est, quod fere omnes iuris canonici interpretes, dies, non horas, etiam in vacationibus beneficiorum metiuntur, nisi adeo praecise de hora constet, vt nulla possit oriri dubitatio, alias minime horarum ratio habenda est, sed dierum; ita sentit glossa in *cap. si propter, de rescriptis in 6.* Menses vero ex diebus sunt connumerandi, & computandi anni ex mensibus, & in mensibus, quot sint dies, non est inquirendum, sed prout occurrunt, & constituti sunt in calendario, vt optime notat glossa in *cap. quam sit. de elect. in 6.*

IV. Nec enim canones nostri tam acute, & curiose tempus metiri voluerunt, vt & momenta, & horas scrutati sint, quia diem non semper totidem horis computarunt. Naturalem horis sex, aut septem, civilem viginti quatuor metiebantur, eumque a sexta noctis hora, id est a media nocte incipiebant, & simili sequentis noctis hora clauderant. *l. more. de feriis, l. 2. de verborum sign.* MACROBIUS I. *Saturnal. cap. 3.* Non ita nostri canones, qui diem non viginti quatuor horis, sed totidem, quot lux micat vsque ad noctis crepusculum, metiuntur, in iudiciis potissimum, vt profitetur Innocentius III. in *cap. consuluit. sup. de offic. & potestate iud. deleg.*

V. Nec

V. Nec id nouum, nam idem ex l. XII. tabb. qua ante meridiem causas agere mos erat, quamuis & post meridiem iudices retinerentur, apud TVLLIVM in Bruto, HORAT. epist. 7. lib. 1.

- - - Causisque Pbilippus agendis  
 Clarus ab officiis, octauam circiter horam  
 Dum redit.

Nec distinctio primarum & secundarum horarum locum habuit; primae erant a summo mane ad sextam, secundae a meridie, ita vt septima & octaua diceretur, quae post meridiem, l. 2. de annuis legat. l. 3. de operis libertorum, vsque ad supremum diei tempus, ad solis occasum, quae fuit vera diei ratio: integrum diem cognitionis appellat VLP. l. Et post. 73. de iudiciis; quod notat dilucide IVSTINIANVS nouella 82. καθεδένται ἕρθροίτε εὐδύς, καὶ εἰς δείλην ὁψίαν, καὶ ἀκροάσονται τῶν δικῶν: sedebunt continue matutino, mox Et meridie, Et vespere audientes causas.

VI. Aliquando dies ab occasu solis ad ortum sequentis diei numeratur, cap. 1. sup. de treuga Et pace, Et can. quod a patribus. 75. dist. in obseruatione ieiuniorum, can. de esu. de consecrat. dist. 2. Communiter vero, vt diximus, dies a media nocte in sequentem computatur, & secundum hanc normam praescriptio temporis locum habet: quod accurate seruatur, vt diei, mensis, anni integritas omnino spectetur, fere in omnibus negotiis, nisi aliter statutum sit, vt dies, mensis, annus inceptus pro completo habeatur, sicut de aetate 25. annorum in dignitatibus, & personatibus dicitur in cap. cum in cunctis. §. inferiora. sup. de elect. l. qui filium. 74. §. Fabius. ff. ad SC. Trebell. Et l. ad vemp. ff. de muner. Et bonor.

VII. Quoties vero statuitur, vt aliquid intra certum tempus fiat, tunc vltimum momentum est expectandum, veluti infra octo dies excommunicatus est absoluendus, qui asserit se iniuste excommunicatum cap. 1. de exceptionib. in 6. Et cap. solet. de sentent. excommunicat. eod. De appellatione mouenda infra dicendum, vt loquitur INNOCENTIVS III. in cap. cum dilectus. 32. sup. de elect. BONIFACIVS in cap. concertationi. de appellat. in 6. De apostolis petendis, cap. 30. Et cap. ab eo, infra eod. Infra mensem de beneficiis vacantibus in curia Romana, cap. statutum, de praebend. in 6. De electionis confirmatione, cap. quam sit, Et cap. cupientes, de elect. in 6. Infra duos menses de episcopo aegrotante in synodo accusato, can. 1. 5. q. 4. Infra tres menses, vel quatuor, can. fra-

ternitatem. 54. dist. infra annum; de professione facienda, cap. 2. & cap. statuimus. de regularibus. cap. 2. & 4. eod. in 6. vel infra annum & diem, can. puella 20. q. 2. Idem de seruo ordinato in seruitutem reuocando, can. si seruus. 74. dist. De cautione sistendi in iudicio cap. 2. & 3. de eo, qui mittitur in possess. Infra biennium, vt in professione antiquitus obseruabatur, can. monasterii. 19. q. 3. De decennio aduersus lapsos, can. 10. syn. Nicaenae, & can. 75. BASILII ad Amphilochium; de triennio in professione peregrini, vel incogniti. can. si quis 17. q. 2.

VIII. Quibus & addi potest dierum, mensium, & annorum alia praescriptio, si diligentius iura canonica, sicut & ciuilia perscrutemur. Quod si non sit aliquod tempus determinatum, tunc quale fuerit assumendum tum ex natura rei, aut conditionis modo, & aliis circumstantiis, id metiri debemus: veluti cum testator dicit, rogo, vt des Maenio, vel, facias, vt ad eum perueniat, in tempus refertur, quo Maenius capere, vel heres praestare possit, l. ubi. in principio, ad Trebell. quando vero loquitur ἀπολύτως, indistincte, hoc facito in diebus, biduum intelligitur, l. inter. 127. de verb. signif. vel cum dicit, post annos liber esto, biennium exportatur, l. libertas. §. fin. de manumiss. testam. quia pluralis enunciatio ἐπιφώνησις duobus completur. l. ubi de testib.

IX. Quod si res ad breue tempus refertur, tunc vulgo decem anni intelliguntur, l. promissa. de constituta pecun. l. 2. C. de secundis nupt. l. non tantum. C. de legatis. Alias seruat id, quod magis in intellectu, quam elocutione exprimi potest, ἐν πλάτει, ἐν εὐρει παρατατμῶς, vt loquuntur Basilica, id est, cum aliquo temperamento, cum spatio temporis moderato, quod religioni iudicis est dandum, l. ratum. & l. quod dicimus. de solutionib. Ita intelligi debet breue tempus in cap. praeterea. supra, de aetate & qualit. ordin. vbi licet regulariter olim annus cum dimidio in ordinationibus esset statutus, can. monachus. 77. dist. & postea annus, cap. licet canon. de elect. in 6. & ex concilio TRIDENTINO, triennium hoc episcopi arbitrio relinquitur.

X. Idem de omni tempore indefinito dicendum, quod ad arbitrium reducit HOSTIENSIS, & post eum alii doctores. Breui tempori, opponitur longum, quod fuit, & est decem annorum inter praesentes, & viginti inter absentes, vt notum est ex PAVLO 5. sentent. tit. 2. qui longum silentium vocat, 5. eod. tit. & PAPINIANVS longam possessionem.

*nem* in *l. praescriptio. de vsucap. & vsurp.* Quae successit in locum biennii, quod prius ad vsucapionem sufficiebat; idque in rebus immobilibus, nam in mobilibus loco anni datum est triennium *constit. IVSTINIANI de vsucapione transform.* Quod tamen hoc iure locum habet in immobilibus, & parit exceptionem peremptoriam, *cap. 1. hoc tit.* in odium maxime Donatistarum, quoties episcopus negligens, ab haeresi parochiam suam non reuocauit, & alius vicinus id praestiterit, aut si ille admonitus, aut conuentus neglexerit infra sex menses, vicinus eam sibi arrogabit *can. placuit. 16. q. 3.* Quae quidem conuentio literis metropolitani, vel primatis fieri debet, *can. vlt. 65. d. can. placuit. 16. q. 6. desumpto ex can. 6. concilii Sardi.* Et hoc casu tantum, triennium dicitur longum tempus, alias vero decennium, idque vix locum habet in adipiscenda, vel firmanda possessione, quam sacri canones ad triginta annos aduersus laicos redigunt. *cap. sanctorum. hoc tit.*

XI. Contra-ecclesiam regulariter non valet praescriptio, nisi quadraginta annorum, *nouella IVSTINIANI 131.* qua abrogat constitutionem suam centum annorum in *l. 23. C. de sacrosanct. eccles.* quam certe ab ipso, vel eius quaestoribus pecunia corruptis extortam scribit SVIDAS. Causam huius edicti refert PROCOPIVS in *historia arcana*: ait enim dictam legem centenariae praescriptionis in gratiam Emesenaee ecclesiae a Iustiniano multa vi auri accepta conditam fuisse, vt quae non solum Emesae, sed in vniuerso Rom. imperio perinde valeret, *καὶ ταῦτα ἐκ ἐν Ἐμέσαι μόνον κύριοι εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν τῶν Ῥωμαίων ἀρχὴν*, quod confirmat *d. l. 23.* licet CUIACIVS eam pertinere ad ecclesias tantum orientis contendat, quod non esse verum existimo; imo ea lex ad vtrumque imperium pertinuit, quam postea minus obseruatam imperator renouauit, eo quod orientales, qui semper Rom. ecclesiae infensi fuerunt, possessiones, quas in oriente possidebat ecclesia Rom. centum annorum praescriptione iuuari non debere contendebant, vt clare patet ex dicta *nou. 9.* quam Latine editam, non Graece vulgo existimant.

XII. Et licet haec constitutio ad omnes ecclesias occidentis pertinuisse videatur, ad Rom. tamen sedem peculiariter restricta fuit. Postea etiam decem, viginti, vel triginta annorum praescriptio contra ecclesiam, in quadraginta annorum spatium commutata est. *cap. auditis. hoc tit.* Nec enim tricennale possessionem ecclesiam Romanam admittere ait

ALEXANDER III. in *cap. de quarta. hoc tit.* quod etiam Graecos seruasse notat BALSAMON ad *can. 17. syn. Chalced.* manente tamen triginta annorum praescriptione vni ecclesiae contra aliam *d. can. 17. can. 25. syn. VI. in Trullo, & can. inter memoratos. 16. q. 3.* Ideoque *caput 2. & 5. in prima compil. hoc tit.* Gregorius in sua compil. non adiecit, quia his tricennalis possessio probatur.

XIII. Postea id immutatum est, & inter ecclesias etiam quadragenaria possessio desiderari coepit, *cap. ad aures, cap. illud. & cap. quia. hoc tit.* magis, vt ita loquar, interpretatione prudentum, & vsu quodam, quam constitutione nominatim facta id factum coniecere licet, ex eo, quod ALEXANDER III. modo tricennariam possessionem sufficere dixerit, modo quadragenariam, cum & post eum LVCIVS III. adhuc illam obseruauerit. *cap. vlt. in 2. compilatione. hoc tit.*

XIV. Soli Romanae ecclesiae longissima possessio reseruata est, pro qua tantum constitutio Iustiniani locum habet; *can. vlt. 16. q. 3. cap. cum vobis, & seq. hoc tit.* nec tamen omnino, & semper. Casum specialem habemus, quo quadraginta anni aduersum Romanam ecclesiam procedunt *cap. vlt. hoc tit. in 6.* Sicut e contrario casus est, in quo centenaria praescriptio locum non habet in priuilegio praelationis, seu principatus supra alias ecclesias, vt notat glossa in *d. cap. cum vobis*, quia obedientia nullo tempore praescribitur, *cap. cum nec liceat, cap. cum ex officii. hoc tit.* sicut in feudis dominus, & vasallus inuicem non praescribunt; quia quod vnicum est in sua specie, a nullo diuidi potest, sicut est ecclesia Romana. *can. scbi-  
sima 24. q. 1.* Et licet contrarium videatur, ex eo quod Antiochena ecclesia primitus superior fuit, contra quam Romana primam sedem praescripserit; non tamen ita est accipiendum, quia non possessione, imo iubente domino id factum est. *can. rogamus. ead.*

XV. Cum autem dicimus Romanam ecclesiam, vt CVIACIVS existimauit, intelligimus tantum ecclesiam S. Petri Romae, vt ex rescripto HONORII III. in 5. compilatione probatur: imo & omnes alias ecclesias, quarum omnium est caput Petri sedes *can. beati. 2. q. 7.*

XVI. Vltimum est hoc titulo, quod modos impediendae, vel interrumpendae possessionis respicit: impeditur, quoties bona fides abest, tunc enim in omnibus casibus peccatur contra Deum, & sanctiones ecclesiasticas, *cap. penult. infra, de consanguinit. & affinitate. cap. si quis. 45. infra,*  
de



de simonia, & aliis innumeris. Impeditur etiam praescriptio, etsi bona fides insit, si talia sint, quae sui natura non praescribantur, ut est obedientia, & omnia iura pontificalia, quae solis episcopis conueniunt. *can. quamuis. 68. d.* Interrumpitur vero praescriptio inter eos, qui possidere, & praescribere possunt per publicam processionem, iurisdictionem causarum, excommunicationem, & similia in *cap. auditis*, quae latius tractantur *boc titulo*.

---



---

TITVLVS XXVII.

DE

SENTENTIA, ET RE IUDICATA.

I. **A**gitur hoc titulo de exceptionibus, & praescriptionibus; nam, ut diximus, praescriptio est exceptio, & e contrario: atque hic quaeritur de praescriptione, siue exceptione rei iudicatae.

II. Praescriptio dicitur de re iudicata, & praescribere sumitur, pro definire, & statuere in *l. 2. ad l. Iuliam. de adulteriis*. Iudicis vero sententia verbo statuendi, vel praecipendi recte perficitur, *cap. in bis. infra, de verb. signif.* & ex praecepto, statuto, seu praescripto nascitur sententia, quae parit exceptionem rei iudicatae.

III. Nec sententia, & res iudicata idem sunt; sententia est absolutionis, vel condemnationis opinio, res iudicata est ipsa res, de qua controuersia erat, τὸ κερημένον πρᾶγμα, *iudicationem* vocat FABIVS. Saepe contingit, ut sententia non transeat in rem iudicatam, quod si fieret, idem esset vtraque, *cap. lator. boc tit.* sed ita demum vim capit sententia, si secundum leges, & canones lata fuerit, *cap. 1. a* qua tunc non est temere recedendum, imo rationabiliter latam esse existimandum est, nisi contrarium probetur, *cap. consanguinei. boc tit.* ideo datur exceptio rei iudicatae, ne amplius de eadem re quaeratur; *l. 6. de except. rei iud. l. 1. §. pari. de tabulis exhib. cap. sicut. boc tit.* nisi impedimentum appellationis subsit, quod intra decem dies proponi debet, post quod spatium sententia in rei iudicatae auctoritatem transit. *cap. quod ad. 15. boc tit.*

IV. Ex lege XII. tabb. dies erant triginta, quos iustos vocabant, quasi quoddam iustitium, siue interstitium, ad debitum exsoluendum, ut

AA

scribit

scribit GELLIVS *cap. 1. lib. 20.* postea biennium concessum *l. debitori- bus. de re iudicata. l. unica. C. Theod. de usuris rei iudic.* Quod tempus non hoc iure, sed nec vsu receptum, imo arbitrarium est, vt dicit pontifex in *d. cap. 15.* quod pro causarum, vel personarum quantitate, & qualitate, statui debet. *l. 2. ff. eod.*

V. Post tempus vero elapsum, sententia vim iudicati obtinet citra appellationem, cum hac distinctione, vtrum sententia sit iniusta, an contra ordinem & leges; haec non indiget appellatione, quia est ipso iure nulla, & causa ex integro agi debet, *cap. 1. hoc tit. & l. 1. C. eod.* veluti si iudex sit incompetens, *cap. 4. supra, de iudiciis;* tunc sententia nihil obest, *l. 6. §. quodsi. 75. de iniusto rupto testam.* nec condemnatus habetur pro condemnato, quia non iure & legitimo modo. *l. si se non obtulit. 4. ff. eodem.*

VI. Veram sententiam faciunt legitimi iudices, & magistratus imperium & potestatem habentes, apud PAVLVM *5. sentent. tit. 5.* Nec egent confirmatione summi pontificis, quamuis hoc videatur innuere *cap. 4. hoc tit.* quod quidem si legatur integrum, vt est LEONIS M. *epist. 77. in fine,* agnoscemus facile sanctum virum non hoc iugum litium & controuerfiarum iudicibus voluisse imponere, nisi tantum, quoties agitur de statu ecclesiae, & causis publicis, quae forte tractantur in episcopatibus contra antiquos canones, & ecclesiae consuetudines receptas; alias confirmatio non desideratur, nisi per appellationem res ad summum pontificem fuerit deducta, sicut dicitur in *l. 2. C. de usuris rei iudic. & cap. quoties. supra, de pactis.*

VII. Vt sententia locum habeat, sufficit, quod iudiciorum ordo seruetur, & vt sit definitiua, non interlocutoria, *cap. 13. hoc tit. & l. quod iussit. de re iudicata;* non enim omnis vox iudicis proprie est sententia, nec iudicati vim habet, sed cum finem quaestioni imponit, quod non facit interlocutoria, quae tantum instruit, *l. 2. C. hoc tit.* licet generaliter, & late nomen sententiae ei tribuatur, *l. vlt. C. eod.* celeriter dari debet, *cap. 2. saltem intra triennium, l. propevandum. C. de iudiciis.* Publice, non clam dici debet, *l. 6. C. eod. can. vlt. 15. q. 7. cum consilio cleri, can. penult. ead.* est enim iudicium ecclesiae, *cap. consanguinei. hoc tit.* Ex scripto ferenda est, non vero recitanda, *cap. Albericus. supra, de testib. can. si quis. 7. §. quia ego. 2. q. 1. l. 1. & 2. C. de sentent. ex peric. recit.*

licet

licet in causis matrimoniorum id non requiri annotet glossa, quod verum esse negat HOSTIENSIS, imo hoc locum habet tantum, quoties ab illustribus personis sententia profertur, vt est episcopus, vel capitulum, *d. cap. Albericus*: nec enim tales iudices dignitate pollentes de tabella, & ex scripto sententiam recitare cogendi sunt.

VIII. Nec ideo minus statuendum est, omnem sententiam in scripturam redigi debere, quod probatur satis dilucide ex *cap. ult. hoc tit. in 6. & Clementina, saepe. de verborum signif.* solas excipio causas breuiores βραχυτέρας, & ὁσαι τῶν εὐτελεσέρων, εἰσιν, quae sunt vilium personarum, quae parui sunt momenti, excipit Iustinianus, quae sine scriptura ferri possunt *nouella 17. cap. 3.* quod & in reliquis pecuniariis causis partium arbitrio relinquit *nouella 83.* Quae hodie vix locum habent, sed in hoc regno regiis ordinationibus definita sunt.

## TITVLVS XXVIII.

DE

APPELLATIONIBVS, RECUSATIONIBVS,  
ET RELATIONIBVS.

I. **D**iximus iam sententiam rei iudicatae auctoritatem habere, nisi per appellationem impediatur, sicut appellatio efficit, vt is, a quo appellatur, iudex esse desinat, & eneruet eius iurisdictionem, *l. 13. C. Theod. de appellat.* ita & ipsius sententia vires amittat, imo & quicquid pendente appellatione factum fuerit, id omnino irritum sit, & inane. *cap. 1. & cap. cum causam. 62. hoc tit.* Ita fit, vt appellatio sit exceptionis species contra sententiam: ideo dupliciter bene sequitur hic titulus, quia de exceptionibus adhuc agitur.

II. Appellatio, recusatio, & relatio species sunt exceptionum, quibus muniuntur condemnati aduersus sententiam: omnis enim defensio est exceptio, sicut quaelibet contradictio, qua reus eximitur, *l. exceptio. de exceptionib. cap. dilectae. & cap. fin. sup. eod.* de his tribus remediis, seu defensionibus agitur *hoc tit.* Primus est appellationis propter imperitiam, vel malitiam iudicis, *l. 1. ff. eod. cap. cum in ecclesia. 37. hoc tit.* non ita, si sententia sit nulla; tunc enim inutilis est appellatio, si sit παράνομος con-

A A 2

tra

tra sacras constitutiones, & canones, *l. 1. quae sentent. sine appell. rescind. cap. 1. sup. de sentent. & re iud.* ita debet intelligi *caput inter ceteras. eod.* non opus esse appellatione, cum sententia manifestam iniquitatem continet, vt ait glossa, quia est contra iuris ordinem: sed melius, quia causa appellatione remota commissa fuerat, vt est expressum *eod. cap. & cap. 43. hoc tit.*

III. Igitur appellatio est remedium iuris, quo iudicum conniuentia, vel iniustitia reprimatur, non tantum aduersus definitiuam sententiam, sed etiam interlocutoriam, *cap. 1. eod. in 6.* contra iuris ciuilibus ordinem, quo vix illud probatur *l. penult. C. quorum appellat. non recip.* Iure vero nostro indistincte non solum ante sententiam, sed etiam ante litem contestatam *cap. 5. & 7. hoc tit.* Etiam si dilationis causa frustratoria sit appellatio, tamen ei acquiescere debent partes, nisi manifesto de calumnia, & tergiuersatione constet, *cap. peruenit. 28. hoc tit.* vel si quis de leuissima causa, aut immerito se iniuria affectum conqueratur: tunc enim iudex fungi officio suo debet, *cap. qualiter. sup. de iudiciis:* casus enim a iure expressi sunt, quibus appellationi frustratoriae non est deferendum, *cap. pastoralis. hoc tit.* tunc enim iusta non censetur appellatio, *cap. 36. 47. & 53. eod.* ne remedium sit potius ad defensionem iniquitatis, quam innocentiae praesidium, *cap. cum speciali. §. porro. eod.* quod locum habet, quoties scandalum inest, veluti de his, qui concubinas relinquere detrectant. *cap. 21. hoc tit. in 1. compilat.*

IV. Idem est de frustratoria appellatione, quae fit ab omni graua mine iudicis generaliter in omnibus causis; non vero si appelletur ab omni graua mine in vna tantum causa, *cap. 2. & 18. hoc tit.* licet vero leuibus de causis moratoria appellatio non recipiatur, tamen a sententia lata etiam leuioris momenti optime recipitur, *cap. appellationibus. 11. hoc tit.* quantitas enim causae non dat locum appellationi, sed graua men, *cap. 5. hoc tit.* quod tamen C VIACIVS cum temperamento intelligendum esse monet, videlicet vt appellatio rite deferatur ad episcopum, vel archiepiscopum, non vero ad summum pontificem; sicut de principe, & illustribus magistratibus dicitur in *nouella Iustiniani 27. & l. 2. C. Theod. de operibus public.* idque confirmat ex AMMIANO MARCELLINO *lib. 2.* quod tamen ex his locis non probari contendo.

V. In

V. In confesso quidem est, minutias causarum ad principem, vel supremos magistratus plenis velis, & prima fronte non esse referendas, quarum cognitio ordinariis, & inferioribus iudicibus debetur; at per appellationem nil obest, vt probatur ex *l. 20. C. hoc tit.* quam ad comites prouinciarum, & praefectos praetorio, non quidem ad regiam urbem, nec ad principem propter locorum distantiam deferendam esse, monet *nouella IVSTINIANI 115. & IVLIANI nouella 23.* quae hoc iure nostro recepta est in *can. anteriorum. 2. q. 6.*

VI. Quia sicut olim causae omnes siue maiores, siue minores ad principem per appellationem deuoluebantur; ita & apud summum pontificem. *d. cap. personas, & cap. peruenit. eod. & cap. 32. eod. in 1. compil.* De quo conqueritur *IVO Carnotensis epist. 119. & 172.* Quia litigantes non sine multis angustiis sedis apostolicae limina adire cogebantur, etsi foeminae essent, vt patet ex *epistola 50. ALEXANDRI III.* Quod incommodum primus ipse Alexander mitigauit, & nisi pro grauissimis causis ad limina apostolorum appellationes deduci, sed per ordinarios episcopos, archiepiscopos, vel iudices delegatos expediri voluit, vt ex *epistola ARNVLPHI Lexouiensis 31. & 67.* constat, & *toto titulo de officio, & potestate iudicis delegati,* qui praecipue ex decretalibus eiusdem Alexandri conflatus est, sicut & hic titulus tam in antiquis compilationibus, quam Gregorii, qui quidem prae omnibus solers fuit in appellationum ambagibus dissoluendis, & ne crebro sedes apostolica turbaretur, hanc clausulam, *appellatione remota,* inseri iussit: quam desumpsit ex rescriptis imperatorum, qui solebant causas committere sine prouocationis spe, vt praecipue Marcum Antoninum optimum imperatorem fecisse scribit *VLPIANVS in l. 1. §. fin. ff. a quibus appellare liceat,* & *IVLIVS CAPITOLINVS: praetoriis, & consularibus decidenda negotia delegauit.*

VII. Hanc autem clausulam non ita striete summi pontifices probarunt, imo in frustratoriis tantum appellationibus, sine iusta causa, sine vilo grauamine, vt distinguit *d. cap. meminimus;* non vero in aliis appellationibus iustis, & iure receptis, quas optime glossa exponit in *d. cap. pastoralis. 53. hoc tit.* vt si sententia sit iniqua, vel iniuriam manifestam contineat, vt dicitur in *cap. inter. supra, de re iudicata.* Et nisi tempus appellationi praefinitum fuerit elapsum; *cap. quod ad consultationem. supra, de sentent. & re iud. nouella IVSTINIANI 23.* vel appellans renun-

ciauerit, poenitentiae enim locus datur, *l. si quis libellos. C. eod. & cap. directae. 39. hoc tit.* quia appellatio in gratiam rei introducta est, ut est apud ARNVLPHVM *epist. 67. quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces eius, ipsiusque fauore videbatur sublatum appellationis obstaculum ad laesionem eius retorquere non debui.*

VIII. Sine expressa vero renunciatione ex sola negligentia aliquis praesumitur renuntiasse, *cap. gratum. sup. de offic. iud. deleg. l. 17. C. Theod. hoc tit.* re quidem integra, ut est in *cap. bonae. 4. sup. de elect. & donec ad superiorem causa fuerit deuoluta. cap. quamuis eod. in 6.* Quoties scilicet appellans libellis mutatis, ad primum iudicem causam vult reducere, antequam alii cognitio sit delegata, *cap. interpositas. 70. §. 2. hoc tit. cap. significauerunt. sup. de exceptionibus.*

IX. Aliis etiam de causis appellatio nulla est, si contra iuris ordinem fiat, omisso medio; ut si quis neglecto episcopo ad metropolitanum confugiat, *cap. dilecti. 66. hoc tit.* Quod non est concessum, sed ad solum papam, *can. metropolitanum. 2. q. 7.* quia est ordinarius ordinariorum, ad quem prima fronte recurri potest, *can. si quis vestrum, & sequentibus 2. q. 6. cap. per tuas. inf. de sentent. excommunicat.* sicut ad principem: quamuis VERVS, & ANTONINVS aliud statuerint in vulgata *l. imperatores. ff. eod. & ante ipsos NERO, qui ad senatum omnes appellationes referri voluit, apud SVETONIVM.*

X. Excepto ergo summo pontifice gradatim fieri debent appellationes, ab officialibus episcoporum ad metropolitanum, a metropolitano ad primatem, vel papam. *can. si quis putauit. ead.* Cur vero ab archidiaconis non appelletur ad metropolitanum, sed ad episcopum, cum ab eodem ad eundem videatur appellari, ex *cap. Romana §. 1. eod. in 6. in observationibus nostris* contra sententiam CVIACII tractamus. Non ita ab eodem ad eundem videtur appellari, quoties quis appellat a iudice dato ab episcopo, tunc causa ad delegantem deferri debet, *cap. super quaestionem §. porro. sup. de offic. & potest. iudicis.* Quoties scilicet episcopus specialiter causam committit. *cap. dilecti. 66. hoc tit.* Aliud est in officiali episcopi, cui iurisdictio generaliter demandata est, quia tunc ad episcopum non recurritur. *d. cap. Romana.*

XI. Secunda pars huius tituli est de *recusationibus.* Recusatio non minus est exceptio, quam appellatio, sed in eo differunt, quod haec post

post

post litem contestatam, illa ante proponenda sit, *l. vlt. C. de sentent. & introlocutionib. cap. inter. sup. titulo proximo*: nisi noua causa emergat. *cap. pastoralis. sup. de exceptionib. cap. insinuante. sup. de offic. deleg.*

XII. Est autem recusatio ἀποβολή, id est, *reiectio & eieratio iudicis*, quae olim solennibus verbis cum iuramento publice fiebat, *TULLIVS Philippica 12. Sic me iniquum eiurabant, de me queiebantur*: deinde per libellum fieri coepit. Proponi autem debet coram iudice, qui recufatur, & examinari ab arbitris, *cap. 41. in fine, & cap. cum speciali. hoc tit.* vel etiam coram episcopo, licet delegauerit iudicem, contra quem suspicio mouetur. *cap. 4. de offic. & potest. iud. in 6.*

XIII. Inde colligunt quidam distingui appellationem a recufatione, quod illa ad superiorem referatur, haec apud eundem: quod videtur esse contra iuris regulas, vt is sit iudex in sua causa; nam episcopus, & delegatus eandem personam sustinent, quod ita est intelligendum, vt suspicio coram iudice suspecto proponatur, sed examinatio, & iudicium ad arbitros remittatur. *cap. suspicionis. sup. de offic. iud. deleg.*

XIV. Tertium membrum huius tituli est *de relationibus*, de quibus vnicum est tantum *caput, intimasti*. Relatio non multum differt ab appellatione, nisi in eo, quod appellatio ad magistratum referatur a partibus, relatio a iudicibus: ideo vtramque Graeci vno vocabulo χρηματίζειν denotant, vt apud *DIONEM*, *referre* significat, atque etiam *ius redde* apud *LUCIANVM*.

XV. Relatio quid sit, notissimum est, consultatio nempe, quae fit a minori iudice ad superiorem, vel ad principem, quoties iudex causam refert, de qua non pronunciat, nec sententiam ferre audet, variis de causis, vel quia de iure dubitat, *l. eum, qui. §. iudicibus. ff. de iudiciis*; vel propter aliquam aliam difficultatem, vt est in *nouella 82*. vel quia causae sunt maximi momenti, quas decuriones, ac defensores remittere, vel referre ad principem vel magistratus iubentur, *l. 8. C. de defensor. ciuit.* regulariter ad praefectum praetorio, vel quaestorem sacri palatii, ex constitutione *THEOD.* in *l. 34. C. hoc tit.* & tunc proprie non est relatio, sed remissio. *l. 22. de appellat.*

XVI. Relatio etiam fieri potest post sententiam de re iudicata, antequam executioni mandetur, quam ad principem, vel superiorem refert iudex consultationis causa, *l. 34. C. Theod. hoc tit.* & tunc princeps opinionis

nionis

nionis suae exemplum praebet, *l. 16. C. Theod. eod.* per rescriptum *l. 1. ff. eod.* Similiter & summus pontifex, cuius est etiam de iure respondere, & consulentibus oracula sua pandere. *cap. inter. infra, de sentent. excommunicationis.*

XVII. Antequam autem relatio fiat ad superiorem, exemplum relationis, & opinionis suae partibus communicare debet iudex, ut possint respondere, & refutatorios libellos proponere. *l. 8. C. Theod. eod.* Et tunc princeps vel viae vocis oraculo respondet, vel per praefectum praetorio, aut quaestorem ut dictum est. Quod similiter observatum est a CAROLO M. qui missis dominicis curam commisit, ut quaecunque ad eius notitiam deferrentur, siue in ciuilibus, siue in ecclesiasticis causis ipsi decernerent, *Capitulari 26. lib. 2. Et quando, inquit, aliquis ad nos necessitatis causa reclamauerit, ad eos, id est, missos, possumus reatorum querelas ad definiendum remittere.* Quod si missis etiam aliquod impedimentum contingeret, ita ut per se facere non possent, notum principi facere tenebantur, ut est in *legibus Longobardorum tit. 7. lib. 3.* & saepius in *capitularibus CAROLI CALVI in synodo Pontigonensi cap. 13.* Aliquando non ab ipsis missis recta ad imperatorem relatio, vel appellatio deducebatur; sed ad comitem, & a comite ad ipsum, ut est in *capitulari apud Tusiacum cap. 13.*

XVIII. Nec solum imperator suos habebat missos, sed ipsi etiam episcopi, circa quos idem relationis ordo seruabatur, in dicta *synodo apud Pistas, cap. 31.* Quos *coepiscopos*, vel *capellanos magnos* vocat WALAFRIDVS STRABO *cap. ult. de rebus eccles.* Ita etiam summi pontificis legati, missi vocantur, *Capitul. cap. 2. lib. 2. missus S. Petri* vocatur Bonifacius Moguntinus, & apud ANASTASIVM in *vita Stephani III.* Ad eos missos maiores causae saepius referuntur, quae si ab his expediendi nequeunt, ad sedem apostolicam referri debent, *can. 3. & 9. synodi Sardicensis*, quae semper consulenda est, & ab ea consultum expectandum. *can. qui scit. 2. q. 6.*



TIT V.



## TITVLVS XXIX.

DE

## CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

I. **H**ic quoque titulus ad appellationes pertinet; alioquin non differret a titulo de clericis peregrinis, ad quas persequendas appellantes ad sedem apostolicam proficiscuntur; quibus interim securitas dari debet, ne quid molestiae inferatur, vt est in *cap. vlt. sup. de treuga & pace.*

II. Debent enim esse sub productione sedis apostolicae, ad quam recurrunt, *cap. vnic. hoc tit. quod vocat supersedere cap. vlt. supra de maiori- tate & obed.* De his, aut similibus securitatibus est lex 2. C. Theod. de *discussoribus*, & edictum Theodorici, quas MARCVLPHVVS *mundeburdis*, vel *tuitionis* nomine indigitat, *cap. 24. lib. 2.* Graeci *εις ἀδειαν κα- διςάσαι*, in *securitate ponere*, dicunt. Eiusdem plane sententiae est rescriptum ALEXANDRI in *l. imperator, de appellationib.* Alioquin propter itin- eris difficultatem, dies fatalis, id est condictus, *κυρία ἡμέρα* non compu- tatur, sed habetur ratio ex die acceptarum literarum apud PAVLVM 5. *sent. tit. 33.* vt annotauit CVIAC. *ad l. vlt. C. de temporibus appellat.*

III. Dies fatales varie numerantur, cum multae sint occasiones mortales appellationis impediendae, veluti aegritudo, vel spatii prolixitas, vel alia iusta causa, vt refert IUSTINIANVS in *l. vlt. C. de tempo- rib. appellat.* Itineris quidem eadem ratio semper esse non potest, ideo viginti millia passuum in singulos dies constituit *l. 3. de verb. significat. & l. 2. si quis cautionibus, PAVLVS 4. sent. tit. de vigesima; reditioni in viginti millia passuum dantur dies singuli.*

IV. Vocantur vero fatales, quia periculo sunt appellantis, & quasi fatum, & exitum, siue finem causae afferunt, *l. 30. de iudiciis;* qua ratione *disceptationis fata* dicuntur in *l. 41. C. Theod. de appellat.* Atque ita quoties appellator submotus est, quod intra constitutum tempus cau- sam appellationis non introduxerit, excusatio proponenda, & repara- tio, *ἀνανέωσις* Basilicis, impetranda est. Reparatio dicitur, quia tem- pora reparata vulgo dicuntur, eaque obtenta debet aduersario denunciari,

BB

vt

vt ad iudicium interiecti spatii seruata dinumeratione reuertatur, vt est in *l. 3. & 6. C. Theod. de reparationibus.*

V. Hic autem titulus, vt dixi, proprie pertinet ad eos, qui ad limina apostolorum litis prosequendae causa proficiscuntur, & peregrinantes, qui sub sedis apostolicae protectione constituuntur: *ideo circa tuitionem ipsorum, & rerum suarum vigilantior cura nobis incumbit*, inquit INNOCENTIVS III. *epist. 298. lib. 1. registri.* Peregrinantes dixit compilator, vt distinguat a *peregrinis*, de quibus supra. Peregrinus est incognitus, vagus, & profugus; ἀλλόθριος φῶς apud HOMERVM, qualis est Sarabaita & girouagus, apud IVONEM *epist. 192.* Sed hic de eo, qui voti soluendi, vel litis prosequendae causa peregrinatur, agitur, quae peregrinatio necessaria est, *l. 9. de procuratorib.* quam distinguit CVAICIVS a *peregrinitate*, quae adimebat Romae ius ciuium.

VI. Huius generis erat deportatio apud VLPIANVM, *lib. regul. tit. 22.* Illis, non his, iura dant securitatem, λόγον ἀσυλίας vocat PLVTARCHVS, & *nouella 128. λόγον πίσεως, nouella 5. saluamentum & defensionem, cap. 5. annunciationis Caroli apud Pistas: nostris, franchisē, saufconduit.* Semper maximae curae viae, & itinera fuerunt, ne latrones infesti essent mercatoribus, & peregrinantibus, *l. unica. C. de littorum, & itinerum custodia*, vt erant olim Isauri apud TREBELLIVM. Idem etiam pro eis, qui proficiscuntur ad electionem imperatoris definit *aurea bulla CAROLI IV. imperat. lib. 5. feud.* sicut de proficiscentibus ad concilia generalia.

## TITVLVS XXX.

DE

### CONFIRMATIONE VTILI, VEL INVTLI.

I. **E**t hic postremus titulus materiam supradictam de sententiis, appellationibus, & relationibus tangit, quoties vel ante, vel post sententiam per appellationem, vel ante sententiam per relationem res ad sedem apostolicam deuoluitur, & confirmatio iudicii (quam κατάστασις vocant Graeci, vel ἐπικύρωσις Basilica) facta est.

II.

II. Quae quidem aliquando impedit iudicem iterum cognoscere, aliquando non impedit, uxta distinctionem glossae in *cap. 1. hoc tit.* Aut confirmatio facta est cum causae cognitione, & tunc iudex non cognoscit; imo si quid decernat, irritum erit, *cap. examinata. hoc tit.* aut vero facta est in forma communi sine causae discussione, & tunc cognoscet, *cap. quia diuersitatem. inf. de concess. praeb.* quia talis confirmatio nullum ius tribuit, imo tantum conditionaliter, si iusta sit sententia, de qua quaerebatur, *cap. quoniam. sup. de offic. & potest. iudic.* etsi haec clausula, vel similis semper intelligatur, veluti de compositione sine prauitate facta dicitur in *cap. penult. hoc tit.* Nisi enim pure confirmatio facta fuerit, integrum erit, actori congruam & competentem actionem mouere, vt est in *cap. examinata. sup. de iudiciis*, quod idem est cum *cap. examinata. hoc tit.* Idem etiam & de confirmationibus, quae per obreptionem fiunt. *cap. 5. & 6. hoc tit.*

III. Denique confirmatio in forma communi nihil tribuit, sed ius vetus conseruat, nec quidquam in praeiudicium alterius statuit, *cap. licet. sup. de officio ordinarii*; eius enim natura est, vt retrohatur. *l. 25. C. de donat. inter virum & vxor.* Nec tamen tempus indultum executioni rei iudicatae currit, nisi a die confirmationis, vel subsequuta alia sententia, quae vim priori det, & a qua postrema res iudicata censetur. *l. 2. C. de usuris rei iud.*

IV. Alia est confirmationis species, quae per appellationem non quidem causa cognita fit, sed potius ex liberalitate, & puro arbitrio, ex certa scientia summi pontificis; vt cum priuilegia ecclesiarum, vel gratiae aliquae conceduntur, vel confirmantur, vt est in *cap. in his. inf. de priuilegiis*, quae confirmatio ad summum pontificem pertinet, *can. priuilegia, & can. institutionis. 25. q. 2.* vel etiam ad concilium generale, vt de Nicaena synodo ait *can. priuilegia. ead.*

V. Multa quoque priuilegia principes concesserunt ecclesiis, & iura ipsarum conseruarunt, *l. 46. & 47. C. Tb. de episcopis & clericis*: abrogatis etiam paganorum priuilegiis, ne ab hostibus Christianae religionis gratiam haberent *l. 14. C. Tb. de paganis*: paroeciarum quoque, & metropolitanarum ecclesiarum dispositionem eis per consequentias attribuit BALSAMO, cum ipsi prouinciarum, urbium, & regionum diuisionem statuunt *ad can. 17. synodi Chalcedon.*


VI. Solitum fuit imperatoribus ecclesiastica iura, sua serenitate roborare, vt facilius conferuarentur. *l. vlt. C. Theod. de religione.* Confirmationem etiam bonorum, & possessionum dari solitam ostendunt formulae MARCVLPHI, *cap. 4. & 16. lib. 1.* imo & pro reuerentia ecclesiarum strictius seruanda saepius populis data sunt priuilegia, ne censerentur, & distribuerentur in centurias & tribus, vt de *S. Martino* scribit GREGORIUS TVRONENSIS *lib. 9. cap. 30.* de his plura in capitularibus, & legibus antiquis.

VII. Idem ius quod supra in transactionibus ecclesiasticis, quae auctoritate apostolica confirmari debent, *cap. 1. & cap. veniens. sup. de transact. cap. cum apostolica. infr. de his, quae fiunt a praelat.* Ita tamen vt haec confirmatio, vel innouatio ius nouum non tribuat, in praeiudicium tertii, sed vetus confirmet, ne vetustate temporis, quod statutum fuerat, pereat. *cap. cum dilecta. hoc tit.*

VIII. Quaedam vero sunt quae omnino confirmationem apostolicam requirunt, sine qua viribus carent, vt sunt electiones episcoporum, quae ante confirmationem nil operantur, *cap. cum in cunctis. cap. nosti. sup. de elect.* imo potius rescinduntur *cap. qualiter. eod.* Quaedam solam episcopi confirmationem desiderant, vt in *cap. constitutis. sup. de appellat. cap. si postquam. 33. de elect. in 6.* quae distinctio sumenda est ex *cap. cupientes. eod.*

IX. Est & aliud genus confirmationis, quae non pertinet ad hunc titulum, nempe confirmatio sacramentalis, vnctio chrisimatis, seu manus impositio, de qua *dist. 5. de consecrat. & sup. tit. de sacra vnctione.*

## FINIS LIBRI SECVNDI.



DECRE.

---



---

# DECRETALIVM

## LIBER TERTIVS.

---



---

## TITVLVS I.

DE

### VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

I.



Vita, & honestas clericorum non tantum in victu, & vestitu consistit, sed etiam in bonis moribus, & disciplinis. Vestium quidem honestas, & discretio plurimum facit, quibus discerni a laicis debent, μηδεις σολαῖς κεχρηθῶταις ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις, id est, *vtatur vestibus, quae iis, qui in clerum adsciti sunt, attributae fuerunt*, ait canon. 27. syn. VI. in Trullo, ad differentiam secularium vestimentorum, de quibus INNOCENTIVS III. in cap. clerici. hoc tit. quae varia fuerunt pro qualitate, & dignitate personarum, vt facilius distinguerentur, quod maxime in animo habuisse ALEXANDRVM SEVERVM refert LAMPRIDIVS. Quae ratio fortior fuit circa clericorum vestes, & indumenta, quae dabantur olim in signum ordinis, quoties clericorum ordinatio fiebat, antequam vilo caractere insignirentur, iisque ab episcopo induebantur, vt notandum est ex BALSAMONE ad can. 14. synodi Constantinop. VII.

II. Hae vestes dicebantur clericales, ad sacrorum, & sacerdotalium indumentorum differentiam, quae in sacris ministeriis adhibentur, de quibus IOANNES DIACONVS in cap. 57. lib. 2. de vita D. Gregorii. Vestis clericalis illa est, quae *tunica sacerdotalis* vocatur in can. episcopi. 21. q. 4. glossa *talarem* interpretatur ex can. non liceat. dist. 33. sicuti & *stolam*:

BB 3

lam:

*lam*: nec male, quia sicut olim stola pudicis, & honestis matronis propria erat, apud TERTULL. *lib. de pallio*, ita & clericis exemplo esse debet, *can. nullus. 21. q. 3.* in quo vetantur etiam clerici domo abire absque tunica talari, & operimento oblongo, quod *d. cap. clerici. superindumentum* appellat, & *can. 7. synodi Gangrensis περιβόλαιον*, siue fuerit pallium, siue quoddam aliud vestimenti genus, nil moror; scio quidem superindumentum posse ad *superpelliceum* referri, quo non solum pontifices in ecclesia, & in publico uti iuebantur, imo & omnes sacerdotes, ut obseruare licet ex constitutionibus Odonis episcopi Parisiensis in *Bibliotheca Patrum*. Stola etiam uti eos debuisse patet ex vita S. Panatii *cap. 3. Panatius accepit stolam suam, quam super humeros ritu sacerdotali ferebat*: liquet etiam ex *cap. 169. lib. 6. Capitul.*

III. Porro supra dictae vestes nullius spectati, aut variegati coloris esse debuerunt, quales sunt virgatae; *Clement. hoc tit. de quibus VIRG.*

*Virgatis lucent sagulis.*

Et SIDONIVS *epist. 20. lib. 5. viridantia saga limbis marginata puniceis.* Graecis *ποικιλοχρόαντα*, id est, *versicoloria*, quae tamen differunt a coloreis vestibus splendidioribus, ut annotauit CASAVBONVS ad *Vopiscum*: hunc luxum vestium apud canonicos, & monachos occidentis inualuisse constat ex *can. 4. concil. Calchutensis anno 787. in Anglia: Illo habitu uiuant, quo orientales monachi degunt, & canonici exemplo orientalium, & non tinctis Indiae coloribus, aut veste pretiosa.*

IV. Hae vestes clericis non conueniunt, sed nigrae, quae illis propriae esse debent, licet olim violaceo, seu castaneaceo vterentur colore, monachi pullo: qui color tunc demum in clerum irrepfit, cum in regularem ordinem, & monachorum vitam se totus fere clerus deuouit, ita ut interdicto saepius opus fuerit, & constitutionibus summorum pontificum, ut videre est in *cap. 125. concilii Aquisgranensis: ne canonici cucullas monachorum induant*, apud BURCHARDVM *lib. 8. cap. 7. IVONEM parte 7. cap. 41. in concil. Londinensi* apud MATTHAEVM PAR.

V. Hinc etiam factum, ut episcopi vsque hodie cucullam monachorum gestent. Locus est insignis apud WILLELMVM MALMESBURIENSEM *lib. 1. de gestis pontificum Anglorum*, de Odone, qui electus archiepiscopus Cantuariae, monachi schemate indui coactus fuit, ne priecam consuetudinem decoloraret. Vice versa eo ventum est, ut monachi

chi

chi fere omnes ex regularibus seculares facti sint, paulatim irreperentes in clerum, iura sacerdotum, munia parochialia inuadentes, vestibus propriis abiectis, & clericalibus assumptis, pileis modo almutiis, modo, vt patet ex *epist. 469. ad capitulum Arelatense, & epist. 171. lib. 2. registri INNOCENTII III.*

VI. Igitur humilitas in vestibus maxime desideratur, non tantum ratione coloris, sed etiam pretii, nec enim ex auro, vel argento intexi debent, quales sunt, quas *veri luminis* vocat TREBELLIVS in *Claudio μαγέλλια γράμμαλα*, & *ἀντίπανα* BALSAMON ad *can. 27. synod. in Trullo*: vestes holoueras, holosericas, & paragaudes *lex 1. de vestibus holoueris lib. 10. Cod. subsericas LAMPRIDIVS.* Fimbriatas quoque reiciendas esse censent canones; hae nempe sunt: quae in fimbriis purpuram intexam habent, in modum insulae, *ἴησον*, id est, *insulam*, vocari talem vestem dicebat Anaxitas, qui coloris sui circuitione insulae speciem exhibebat, apud POLLUCEM *lib. 7. cap. 130.*

VII. Modestia quoque capillorum desideratur, si non abrasione, saltem detonsione iuxta primaeuam Aniceti constitutionem in *can. prohibete. dist. 23.* in modum circuli, seu sphaerae, adhibita nouacula ad cutem, quae dicitur a SOPHOCLE in *Oenomaos*, *χειρόμακτρον*, & appellatur Scythica, siue Thracica tonsura apud ATHENAEVM *lib. 4.* Quae corona, non vt olim, hodie fertur; quippe pars abrasa coronam exhibet, at olim capillorum eminentia circulum a fronte ad occipitium conficiebat, vt satis patet ex descriptione GREGORII *Turonensis* in *Metio Treuerorum episcopo*, & refertur in *can. 40. concilii Toletani IV. Caput radant, & inferius solum circuli coronam relinquunt*; ita videmus Carthusianos, & veteres alios monachos S. Benedicti obseruare.

VIII. Haec autem corona omnibus tam sollicitate iniungitur, vt sine ipsa neminem clericum profiteri se posse dicat BALSAMON ad *can. 33. synodi in Trullo*; tum vt *characteristica illa tonsura clericos a grege reliquorum fidelium distinguat*, ait PETRVS BLESENSIS *sermone 4. cum ob regale, quo sacerdotes funguntur, ministerium*, ait RABANVS MAVRVS *lib. 1. de institut. clericor.* tum etiam quod personam Christi gerentes, testem passionis Dominicae coronam gestent; *can. duo. 12. q. 1.* nec non ob D. Petri memoriam, cuius caput ludibrii causa in modum coronae detonsum fuit, teste eodem P. BLESENSI in *lib. Iob. cap. 1.* Huius coronae originem

ginem

ginem a Nazaraeis manasse scribit ISIDORVS *lib. 2. de officiis eccles. cap. 4.* Igitur comae cultura, & relaxatio probro fuit, & sub anathematis vinculo prohibita *cap. si quis. hoc tit. & seq.*

IX. Abrasio quidem non iniungitur, sed tantum detonsio ad comae, & capillorum luxuriam vitandam, Scythicam enim, & Thracicam abrasionem, & ad cutem detonsionem odio habuerunt Christiani, ne imitari gentilium sacerdotes viderentur, qui caput radebant, quos χειρομάντρες vocat SOPHOCLES *dicto loco.* D. HIERONYMVS in *Ezechielem cap. 44.* *Per spicue demonstratur rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis, ac Serapis nos esse non debere;* idque ex traditione apostolorum esse docet CLEMENS ALEXAND. *lib. 3. Paedagog. cap. 3.* D. CYPRIANVS *lib. 3. ad Quirinum cap. 85.* Barbae vero promissio probata, & laudata fuit: D. AVGVST. in *Psalium 33.* OPTATVS *contra Parmenianum,* & alii: unde est, quod in *can. 4. concilii Carthag. statuitur, vt clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Compiler decretalium deleuit hanc vocem, *radat,* quia mos barbae radendae in ecclesia occidentali inualuit, contra orientalium morem, vt scribit GREGORIUS VII. *lib. 8. epist. 10.* Probrosus valde erat, episcopum barbam colere; ideo KRANTZIVS refert exeuntibus Danis contra Vandalos, Eschillum Lundiae metropolitani se illis iunxisse promissa barba, testificatum peregrinationem longinquam *lib. 1. Vandaliae cap. 35.* Haec vox, *radat,* sublata, ne malignis ingeniis damnandae abrasionis ansa superesset, quae tamen sancta est, cum ita liberius venerandum Christi corpus assumatur, vt in statutis ordinis Cisterciensis refertur. Simili mente in *cap. 7. hoc tit.* haec vox, *barbam,* reiicienda est, quae spuria, & a prima compilatione abest.

X. Vfus vestimentorum militarium, & armorum, honestatem quoque clericorum non sapit, *cap. 2. hoc tit. can. clerici, & can. quicumque. 23. q. 8.* quod damnatur fusc in responsionibus ad Nicetam chartophylacem *lib. 5. Iuris Graeco-Romani,* adeo vt genus sit quoddam apostasiae ei, qui vestem mutauerit, quam sicut tonsuram in signum ordinis clericali assumpsit; arma enim clericorum digniora sunt orationes, & lacrymae *can. conuenior. 23. q. 8.* Ferro enim sanguis elicitur, quo clerici abstinere debent. *can. 27. apostol.* Olim quidem abusus tantus inoleuerat, vt passim episcopi, & clerici armati incederent, AYMOUNVS agens de Ludouici imperatoris temporibus, sic ait: *Tunc coeperunt deponi ab episcopis,*



episcopis, & clericis cingula, balbeis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitaeque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui.

XI. Nec solum vestibus, & armis lex modum imposuit, sed etiam cibis, quorum luxuriam in clericis damnat *cap. a crapula. hoc tit.* omnem nempe crapulam, & ebrietatem, & barbaras illas inuitationes ad bibendum, quae paribus poculis fiunt. *can. nullus. dist. 43. can. nullus. dist. 5. de consecrat. D. AVGVSTINVS sermone 231. Plures in conuiujs suis irident eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescunt, vt potum amplius accipiant, quam oportet. Idem inter milites seruare iubet CAROLVS M. in capitular. l. 2. c. 72. de non cogendo bibere in hoste, id est in exercitu, lib. 2. Feud. tit. 4. & saepe in ll. Wisigoth. & aliorum similiter de caufidicis, & testibus eodem lib. c. 38. Hanc bibendi licentiam Graeci ἀλληλοκλητώρια vocant, CEDRENVS in Leone; a quibus non distant ποδοσροφία, siue repotia, & conuiuia, quae post nuptias fiunt. CUIAC. obseruat. 39. lib. 16. Prauam hanc consuetudinem, & morum corruptellam plecti iubet Carol. M. suspensione communionis, & poena corporali lib. 3. c. 155. & maxime damnat synodus Tridentina sess. 22. de reformat. cap. 1.*

XII. Omnes pariter ludos theatrales, torneamenta, iocos turpes, & diabolica figmenta mimorum, denique ioculatorum, & histrionum nugas, & caetus *d. cap. clerici*, hecatontarchas, centuriones, vrforum ductores, & nubium persequutores *can. 6. concil. Constant.* Ludi quoque omnes ab ecclesia arcentur, *cap. cum decorem. hoc tit.* praesertim, in quibus profanae repraesentationes exhibentur, quae enim ad compunctionem, & pietatem inducunt, licitae sunt, *can. semel. dist. 2. de consecrat.* non conuiuia, & computationes *can. nulla. dist. 42.* Quae primis temporibus charitatis, & misericordiae argumenta, in vitium, & dedecus verti coeperunt, *can. 28. synodi Laodicensae, & can. 74. synod. VI. in Trullo.* Sed nec nuptias celebrare in ecclesia licet, nec ergasteria vlla facere, nec equos introducere, vt loquitur imperator in *l. basilicam. C. de operibus publ.*

XIII. Reliqua, quae ad hunc tit. pertinent, cultum magis exteriorem respiciunt; videlicet, ne confusio clericorum, & laicorum in ecclesijs diuini cultus confusionem pariat, & sicut clerici a laicis munere, & officio differunt; ita & loco sunt distinguendi, quod Felicem primum

statuisse narrat SABELLICVS, & confirmasse Leonem IV. in concil. Romano *can. 32.* vt scribit Luitprandus, & est in *can. sacerdotum. dist. 1. de consecrat.*

XIV. Nec laicis patere debet aditus ad altare intra sacra septa, quae cancellis distinguuntur, & in quibus, dum diuinum officium, & missae sacrificium celebratur, soli sacerdotes consistere debent, *cap. 1. hoc tit. can. sacerdot. dist. 2. de consecrat. d. can. 69. synod. VI. can. 44. synod. Laodicensae;* quae lex seuerius apud Graecos fuit obseruata, vnde in *ead. can.* conqueritur BALSAMO aduersus Latinos, quod laici, & mulieres sanctum tribunal ingrediantur, & in eo sedeant. Prauus certe mos, qui nostris temporibus non sine infamia totius cleri, imo ipsius omnipotentis Dei contemptu inoleuit, tanta, & tam temeraria est impudentia multorum, & maxime feminarum, quae tanto propius altaribus adfiguntur, citius putant a Deo audiri. Quod damnat *d. can. 44.* illicque BALSAMON Latinorum morem fugillat, qui haec patiuntur, & ad *d. can. 69. synodi VI. in Trullo.*

XV. Non hic adiciam statum, & ordinem antiquum ecclesiae, & quomodo tum clerus, cum populus Christianus mansiones suas, & stationes faceret, quod infra suis locis dicetur, maxime ad *tit. de baptismo,* & ad *tit. de poenitentiis.*

---

## TITVLVS II.

DE

### COHABITATIONE CLERICORVM, ET MVLIERVVM.

I. **H**ic titulus pars est, & sequela superioris, in quo etiam de vita, & honestate clericorum agitur, quae maxime consistere debet in castitate, & continentia. *cap. vt cleric. sup. tit.*

II. Interdicitur frequentia, & cohabitatio mulierum, vtpote res maxime periculosa; *can. oportet. dist. 81. & can. definimus. 18. q. 2. cap. mulieres. de iudiciis in 6.* femina enim conscientiam secum pariter habitantis exurit, *can. hospitium. 32. dist.* adeo vt non excipiantur eae, cum quibus aliquam foedae suspitionis notam inuri foedus naturale non patitur

tur

tur, *cap. 1. hoc tit.* & in eo derogatur antiquis canonibus, qui coniunctas personas semper exceperunt. *can. interdixit. dist. 32. l. eum, qui. C. de episcop. & cleric. cap. penult. hoc tit.* quod ita est intelligendum, quoties ratione consanguinearum suspicio aliqua nascitur, puta ex ancillis, & earum comitibus, & pedissequis, nam alio sensu intelligi non debet *d. cap. 1.*

III. Omne aliud genus mulierum arcetur a domibus clericorum, quocunque pietatis, & charitatis obtentu detineantur. Concubinas quidem omnino execratur ius canonicum in clericis, scilicet presbyteris, diaconis, & subdiaconis, *cap. 6. licet laicis quibusdam conditionibus permitterentur, si vterque solutus esset, si fides intercessisset, quod alteri non iungerentur, neque a procreatione filiorum abstinerent, & si vsque ad mortem in vitae coniunctione manendum sibi proponerent; leo enim modo D. AVGVSTINVS aliquatenus esse nuptias dicebat can. solet. 32. q. 2. exemplo iuris ciuilibus, l. 3. de concubinis, can. is, qui, & seq. dist. 34.*

IV. Nec solum concubina prohibetur clericis, sed & omnis focaria, *cap. sicut. cap. sup. & seq. hoc tit.* quam quidam *subintroducitam* mulierem dici voluerunt, in *d. can. interdixit;* sed male; nam subintroducita dicebatur omnis extranea persona, quae non vero, & competenti affinitatis vinculo iungebatur, sic intelligit, *ἐπίσρακλον γυναίκα can. 3. synod. Nicaenae.*

V. Hae subintroducetae saepius erant puellae, quas clerici pietatis studio, aut potius praetextu fouebant, a quibus tamen non aberat suspicio fordis, ut testatur D. CHRYSOSTOMVS, & GREGORIVS NAZIANZENS. Has & sub fororiae appellationis consortio habebant, *d. l. eum, qui,* simili fere sensu, quo apud PETRONIVM illud genus mulierum forores dicuntur, & apud MARTIALEM:

*Quare non habeat Fabulla, quaeris*

*Vxorem Themison, habet sorores.*

Has & ἀγαπίτας dicebant a charitate nomine accepto, quasi spiritali amore coniunctae essent, D. HIERON. *epist. ad Ocean.* nec tantum fuere ἀγαπίται, sed etiam viri ἀγαπίτοι, qui cum diaconissis habitabant, quos eiecit IVSTINIANVS *novella 6.* ut est apud IVLIANVM antecessorem *constit. 3.* omne illud genus fraudis abegerunt constitutiones patrum, & maxime *Trident. synod. sess. 25. de reformat. cap. 14.* Haec est summa materiae huius tit.

VI. Superest ratione huius culpae vitium, quod inest presbyteris, ne ad sacrosanctum altaris mysterium accedant, & ne eis missam celebrantibus assistant Christiani, quod varie fuit intellectum. Certum quidem est constitutionibus Leonis, & Nicolai interdicti missarum celebratione presbyteris concubinas, vel subintroductas habentibus, *can. nullus*, & *can. presbyt. 32. dist.* imo & omni ecclesiastici gradus priuilegio, & fructu carere debent, *can. erubescant. ead. can. si quis. 81. dist.* ipsos etiam Christianos prohiberi eorum sacris interesse, quod eorum benedictio vertatur in maledictionem. *can. si qui sunt presbyt. dist. 81.* Cui tamen manifesto pugnat *can. ult. 15. q. ult.* & alii quam plures loci inuicem pugnantes, qui conciliantur a Lucio in *cap. vestra. hoc tit.* distinguente, vtrum crimen sit notorium, aut occultum.

VII. Notorium intelligitur per sententiam iudicis, confessionem in iure, & euidenciam rei, quae nulla tergiuersatione celari potest, vt dicitur in *cap. 8. & ult. hoc tit.* quod ita publicum est, vt nec opus fuerit testium depositionibus, *cap. super eo. de test. cog.* quod & manifestum vocat *d. can. erubescant. 32. dist.* Notorio crimine notatus clericus, vt publicus fornicarius ab omnibus est fugiendus, quia dum populus ab eo abstinet, & ipsi, & aliis aufertur peccandi licentia, & facilius via poenitentiae aperitur: & interim nec ab eo diuina mysteria audienda, nec sacramenta recipienda, nisi in extrema necessitate. *can. praeter. §. ad hoc 32. dist.*

VIII. Occultum crimen est, cuius nulla est condemnatio, vel accusatio; licet aliqua percrebuerit fama, & hoc non impedit populum, quo minus & sacra audiat, & sacramenta percipiat; licet talis sacerdos quantum ad seipsum, sit reuera suspensus, & celebrando grauiter peccet, nec noceat sacerdotis malitia, & vitium, quantum ad sacramenta, quae non ab homine, sed a Deo sanctificationem accipiunt; *can. non liceat, & seq. 1. q. 1.* & sic diuidenda est haec materia, & intelligenda, cui facit multum *d. can. sciscitantibus, ult. 15. q. ult.*



## TITVLVS III.

DE

## CLERICIS CONIUGATIS.

I. **C**lericorum nomen tam presbyteros, diaconos, & subdiaconos, quam inferiores complectitur; ita tamen, vt illi ab his iura sua distincta, & separata habeant, siquidem clerici maiores, qui in sacris ordinibus sunt constituti, continentiam profiteri, & maritale coniugium abnegare coguntur; qua in re varius vsus fuit praesertim inter Graecos, & Latinos, licet ab initio nascentis ecclesiae eis par fuerit fibula imposita, vt qui vxorem haberet, cogeret in perpetuum ipsius consortio renunciare, si ad sacros ordines promoueri vellet.

II. A die enim adepti presbyterii coniugium spiritale assumendo, carnale relinquebatur, & reditus ad vxores sub graui poena praecludebatur, quod primum inuenio statutum in *can. 19. Rom. syn. sub Syuestro I.* deinde concil. Nicaen. in *can. 3.* ne episcopus, presbyter, aut diaconus mulierem secum extraneam haberet, matre, sorore, & amita relictis, cum quibus nulla turpis suspicio nasci poterat: hoc decreto continentiam iam clericis iniunctam fuisse dicendum est. Haec res non parui fuit momenti, quum non sine maximis difficultatibus sacerdotes auelli a proposito matrimonii, & vxores suas obliuisci possent.

III. SIRICIVS I. circa an. 385. maiorum suorum & decreta, & consuetudines strictius obseruari cupiens, grauiter increpat sacerdotes, & leuitas, qui post longa consecrationis suae tempora, tam de coniugibus propriis, quam de turpi coitu sobolem procreabant, quos ab omni ecclesiastico honore deiici praecipit in *epist. 1. ad Himerium cap. 7. & 8.* quam legem nondum plane obseruatam iterum recudit INNOC. I. circa an. 402. in *epist. ad Exuperium. can. proposuisti, & can. sacerdotes. 82. dist.* Rationem reddit in *epist. ad Victricium. can. 9. vt sacerdos, & leuita cum vxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur,* quod refertur in *can. tenere. dist. 31.* ac demum successu temporis clericis hanc legem contemnentibus, synodo Africana sub Coelestino, & Bonifacio *cap. 37.* & synodo Agathensi *can. 9.* idem ius fuit repetitum, &

CC 3

mul-

multis aliis tum constitutionibus, cum conciliis, adeo vt erroneum sit, & veritati impositum, quibusdam vltimorum temporum pontificibus hoc tribuere, quod potius ipsi saepius decantatum, minus tamen feliciter obseruatum, edictis suis renouarunt, & seruari deinceps curarunt, vt CALIXTVS II. qui Galliam adhuc foetentem his sordibus omnino purgavit in *concil. Rom. cap. 3.* cuius verba refert ANT. AVGVSTINVS *lib. 7. tit. 17. & 18. epist. Presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus, concubinarum, & vxorum consortia penitus interdiciamus. can. presbyteris. 27. dist.*

IV. Et male CVIACIVS auctorem eum facit huius edicti, adducendo versus leoninos, a Cherillo quodam compositos. Quin multum in cleri reformatione profecerit, libenter non negabo, sed ante eum plures huic morbo remedium praebuerunt, vt ZACHARIAS I. *epist. 7. ad regem, & episcopos Francorum cap. 11.* qui secundum supradicti concilii Africani decretum vxores tantum pro regionum consuetudine concessit minoribus clericis. IVO CARNOT. suis temporibus adhuc a clericis matrimonia non omnino exclusa conqueritur *epist. 186. 200. & 218.* In Anglia quoque vt indicat ANSELMVS *Cantuariensis in epist. ad Ernulphum archidiaconum.* Similiter CVIAC. ex sententia LAMBERTI SCHAFNABVRG. *lib. 2. de rebus gestis German.* auctorem facit in Germania GREGORIVM VII. quum tamen antea, & ipsemet Zacharias idem ius promulgarit in *epist. 2. ad Bonifacium Moguntiae protopraesulem, & idem decretum sit in concilio Wormatiensi can. 9.*

V. Non est equidem ferendus tantus error eorum, qui primaevam ordinationem coelibatus vt olim incogniti, posterioribus seculis dare conati sunt, quam certe ecclesiam catholicam in ipsius suae originis fundamentis accepisse certissimum est *can. 26. apostolorum.* Quod potissimum in occidente seruatum fuit, nam orientales paululum deuiarunt vxores suas retinentes, licet ad sacros ordines admitterentur. *cap. cum olim. hoc tit.* Qui vero ad eos innupti ascenderant, non poterant deinde matrimonium contrahere. *d. can. 26.*

VI. Huic coelibatus legi promulgandae in concilio Nicaeno Paphnutium obstitisse narrant SOZOMENVS *lib. 1. cap. 22.* & SOCRATES *lib. 1. cap. 8. bist. eccles.* sed falso commenti sunt eius praeualuisse sententiam: CEDRENVS vero asserit illum pro clericis tantum causam dixisse, non pro episcopis, quibus hoc iugum impositum fuisse dicit, sed falsi omnes  
argu-

arguuntur ex ipsius concilii *can. 3.* quo subintroductarum mulierum confortium episcopis, presbyteris, & diaconis prohibetur; matris vero, sororis, amitae, & aliarum, in quas stupri suspicio cadere non potest, familiaritate concessa, vxoris nulla facta mentione, quam si licuisset habere, non subticuisset. Id confirmatur optime ex *D. BASILII epist. 7. ad Gregorium presbyterum*, quem sub poena excommunicationis, licet iam in extrema senectute constitutum, mulierculam dimittere iubet, adducto, & citato in rationem Nicaeno canone. Quod & *BALSAMON* ad eos locos sua sententia confirmauit tam aperte, vt improbandi coelibatus legem latam in concilio Nicaeno fuisse nullus sanae mentis audeat existimare. Id confirmatur etiam ex *can. 6. synodi VI.* adeo vt *BALSAMON* improbet *can. 10. synodi Ancyrae*. eo quod diaconis vxorem ducere permittat, qui dum ordinantur, hoc nominatim cauerunt, vt vxorem ducere possent.

VII. Orientales igitur obstinato animo vxores suas cum sacerdotio retinuerunt, & hac in parte catholicae ecclesiae obstiterunt. Nec solum orientales, sed etiam occidentalium ii, qui Graecorum ditioni subiacebant, vt totum Apuliae, & Calabriae regnum, quod Graecia magna dicebatur, & orientalibus obsequebatur imperatoribus, licet occidentis pars fuerit, eo quod subdita, & habitata fuerit a Graecis, vt refert *Itinerarium Beniamini*, & possessa vsque ad an. 1041. quo Northmanni sub auspiciis Arduini Longobardorum ducis, superato Ducliano Graecorum principe potiri coeperunt, vt testatur *LEO OSTIENSIS lib. 2. cap. 68.* quam anno 1019. Roberto Guiscardo confirmauit Nicolaus II. vt idem *LEO* testatur *lib. 3. cap. 15.* sub fide, & homagio sanctae sedi praestandis, quae ipse Robertus Gregorio VII. fecit, vt est apud eundem *GREGORIVM VII. lib. 8. epist. 1.*

VIII. His igitur regnis matrimonium seruatum fuit, vt probat *cap. 6. hoc tit.* quod scriptum est Acheruntino archiepiscopo regni Apuliae, cui mandatur ab Innocentio III. vt approbet electionem factam a canonicis ecclesiae Anglonensis, qui in episcopum elegerant cantorem Tricariensis ecclesiae, natum ex patre Graeco presbytero, qui in minoribus ordinibus constitutus vxorem duxerat, secundum ius primaeuum, quo licuit tantum in minoribus ordinibus vxores ducere, *d. can. 26. apost.* non solum apud Graecos, sed etiam apud Latinos. *can. si quis eorum, can. lectores. 32. dist.* sed paulatim imminutum est, ac demum ita licuit minoribus

noribus

noribus vxores ducere, vt exterius stipendia sua accipiant *can. si qui vero. ead. dist. Exterius*, id est separatim a maioribus, & non communiter, ne videantur pares in honore, qui meritis longe dispares sunt. Quod & postea cautius est ordinatum a postremis pontificibus, qui inhaerentes vestigiis antiquorum canonum, concesserunt quidem facultatem contrahendi matrimonii minoribus, sub hac conditione, vt vxore ducta beneficium amitterent, & omni stipendio ecclesiastico priuarentur, *cap. I. cap. diuersis. hoc tit.* adeo vt nec tonsuram deferre, nec vlllo clericali priuilegio frui possent. *cap. Ioannes. & cap. vlt. hoc tit.* Subdiaconatus quamdiu inter minores habitus, eodem iure vsus est, *can. decernimus. 28. dist.* nec enim ei licebat vasa sacra contingere. *can. non oportet. 23. dist.* Idem postea statutum, quod in presbyteratu, & diaconatu.

IX. Nec tantum vxorem ducere, sed nec ductam retinere licuit, quod primum statuisse D. Gregorium in *can. nullum. 28. dist.* refert INNOCENTIVS III. in *cap. miramur. sup. de seruis ordinand.* & confirmasse Urbanum II. in *can. eos, qui. 32. dist.* quod tamen non omnino verum ipsemet Gregorius ostendit, qui in *can. ante triennium. 31. dist.* id antea obseruatum fuisse in ecclesia Romana scribit, magis ex longo vsu & consuetudine, quam lege; ait enim *more Roman. ecclesiae*, idque obseruari praecipit ab episcopis Siciliae, ne in posterum subdiaconos admittant, qui continentiam non profiteantur. Et sane in ecclesia catholica id ius ex more, & vsu laudabili sine lege receptum, cum non fideliter obseruaretur, Pelagius II. praedecessor Gregorii constitutione sua firmavit data optione subdiaconis, vt vxores dimitterent, aut a gradu deiicerentur. Huius rei testis est ipse Gregorius in *epist. 34. lib. 3.* relata in *can. multorum. 32. dist.*

X. Inferioribus igitur clericis licuit olim tam apud Graecos, quam Latinos maritali, quod cito Latini sustulerunt, vt dixi, Graeci seruarunt, & secundum haec tempora dicit *d. cap. 6.* cantorem Tricariensem natum ex clerico minorum ordinum, iure electum in episcopum fuisse, & merito, cum natus esset ex legitimo matrimonio apud Graecos, qui in Apulia, & Calabria more suae gentis viuebant, *cap. ad haec, & duobus seqq.* quae scripta sunt ad episcopum Cassanensem, qui est in Calabria, vel ad episcopum Cassinensem, qui est in regno Apuliae suffraganeus archiepiscopi Capuani, & sic reperio: in quibusdam editionibus vulgo legitur



lègitur *episcopo Cassell.* forsan Castellanensi, qui est etiam in Apulia. Quicquid sit, putem episcopo scribi, qui erat regionis illius, in qua Graeci degebant, confusi, & commixti Latinis. Summi pontifices Graecis suos mores, Latinis etiam suos concesserunt, vt indicat INNOC. III. *d. cap. 6.* & COELESTINVS III. *in cap. cum secundum. de temporib. ordinat.* Quod est scriptum sine dubio archiepiscopo Hidruntino: Hidruntum est oppidum Calabriae, vult inquam Coelestinus, in partibus Calabriae, vbi tam Graeci, quam Latini morantur, Graeci suo more, Latini legibus Rom. ecclesiae in ordinationibus viuant, quod confirmat INNOC. III. *in cap. quod translationis. eod. tit.*

## TITVLVS IV.

DE

CLERICIS NON RESIDENTIBVS  
IN ECCLESIA, VEL PRAEBENDA.

I. Superioribus titulis actum est de vita, & honestate clericorum circa vestimenta, modum, & formam viuendi, hoc vero tit. damnatur auaritia, ambitio, inconstantia eorum, qui postquam vni ecclesiae adscripti fuerunt, & certo titulo mancipati, recedunt, & vel in aliam ecclesiam ditiolem, & digniorem transeunt, vel desiderio vagandi propriam sedem derelinquunt.

II. Nemo olim ad sacros ordines admittebatur sine titulo, sine ecclesia, cui adscribebatur ad ministerium quotidianum exhibendum, & in ea perpetuo perseuerandum, sine vlla diffugii spe. *can. sanctorum. 70. dist. cap. 118. lib. 8. Capitular.* Primus Euaristus titulos in vrbe Roma presbyteris diuisit, vt est in *Pontificali DAMASI*, & appellantur ecclesiae tituli, tum quod titulo, & vexillo crucis insignirentur, & consecrarentur, *l. vlt. C. Theod. de paganis*, cum quod nomen, & memoriam alicuius martyris praeferrent, vt dicemus infra, *tit. de consecrat. ecclesiae, vel altaris.*

III. In his ecclesiis, seu memoriis conuentus suos, & coetus peragebant Christiani, quorum numerus vbi crescere, & augeri coepit, oportuit

D D

tuit

tuit eos diuidi per parochias, & vnicuique titulo, seu paroeciae presbyterum vnum assignari, & quod in vrbe Roma fecerat Euaristus, foris Dionysius fecit, vt constat ex ANASTASIO in eius vita: *Hic presbyteris, inquit, ecclesias diuisit, & coemeteria, & parochias & dioeceses instituit.*

IV. Hi presbyteri dicebantur cardinales, quod cardini, siue curae alicuius ecclesiae adstringerentur; cardini vtique illi, quo cetera mouentur vicinius adhaerentes, vt loquitur LEO IX. *ad Michaellem episcopum CP.* ad differentiam presbyterorum, qui in eisdem titulis, seu paroeciis seruiebant, sed non curam principaliter gerebant, non praeerant cardini ecclesiae. Hoc videre licet apud D. GREGORIVM *lib. 1. epist. 15.* scribit enim Balbino episcopo, vt poenitentia decedentibus, & baptisma infantibus possit praestari, constituat Populonensi ecclesiae vnum presbyterum cardinalem, & insuper tres alios presbyteros. Videndus idem GREGORIVS *epist. 73. lib. 7.*

V. Dicti etiam fuerunt cardinales, presbyteri omnes ecclesiarum cathedralium, & matricum, vt adhuc in ecclesia Rauennatensi, & Compostellana canonici vocantur cardinales. Olim non omnes clerici, & presbyteri, canonici vocabantur, sed tantum, qui in canone, seu matricula scribebantur, qui erant in catalogo τῆ κατάλογος ἱερατικῆς, vt loquitur *can. 15. apostolorum, & can. 16. Nicaen. synod. ex sacerdotali ordine can. 3. syn. Antioch.* Diaconi vero cardinales erant, qui peculiari-ter Rom. ecclesiae adstricti erant, vocati sanctae sedis apostolicae diaconi, quos Fabianus primum in septem regiones ciuitatis diuisit, vt ex eius *epist. 1.* constat. De his GREGORIVS I. *lib. 1. epist. 14. & lib. 5. epist. 2.*

VI. Ad horum exemplum aliis in ecclesiis diaconi, cardinales dicebantur, apud eundem GREGORIVM *epist. 14. lib. 3.* episcopi etiam saepe dicuntur cardinales sacerdotes, GREGORIVS *epist. 13. lib. 2.* ad exemplum eorum, qui potissimum consilio pontificis deuouebantur, & qui eius promotioni, & consecrationi praeerant; apud quos olim electio erat, Nicol. II. *concil. Rom. cap. 1.* & Adrianus II. in *epist. ad Basilium imp. Donatum ecclesiae Ostiensis; Stephanum ecclesiae Neaplesinae episcopos consiliarios nostros* vocat.

VII. Sed ad rem: His omnibus cardinalibus euagandi, & parochiam deferendi licentia denegatur, sub poena depositionis, vt est in *cap. 2.*

*cap. 2. cap. quia nonnulli, cap. conquerente. hoc tit.* si scilicet moniti non redeant *cap. ult. hoc tit.* contumacia enim dat causam poenae, si trina citatione facta vocatus intra sex menses non redeat, *cap. ex tua. hoc tit.* quod vt facilius obseruetur, vetitum, ne quis duabus paroeciis adscribatur, vel duas dignitates habeat. *cap. 3. hoc tit.*

VIII. Ab hac regula excipiuntur, qui iusta, & necessaria de causa, probata ab episcopo, absunt. *cap. relatum, & cap. inter quatuor. hoc tit. can. non oportet. de consecrat. dist. 5.* vt qui est in seruitio episcopi. *cap. de cetero. hoc tit.* quia is intelligitur seruire ecclesiae. *can. similiter. 16. q. 1.* ideoque nihil debet ei subtrahi eorum, quae communiter omnibus debentur *cap. ex parte. hoc tit.* simili priuilegio fruitur absens studiorum causa, *cap. tuae. hoc tit. cap. licet. tit. seq.* quod priuilegium euanescit, si per talem absentiam ecclesia graue dispendium patiatur; *cap. cum ad hoc. hoc tit.* aegritudine pariter laborantes eximuntur, *cap. 1. de cler. aegrot. cap. ad audientiam. hoc tit.* qui quidem ecclesiae seruire intelliguntur, cum per eos non fiat, sicut seruus aeger pendente morbo domino suo seruire dicitur, *l. 3. §. Stichus. de statu liberis, & interim nutriendus est. l. in rebus §. possunt. commodati.* Hac de re *concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 3. & sess. 24. cap. 12.*

IX. Absentes ergo censentur, qui sine episcopi licentia absunt, vel peregrinantur, vel in alias ecclesias se transferunt, quibus tunc commendatitiae literae necessariae sunt, vel systaticae epistolae, vt docet *can. 12. apost. de quibus infra cap. tuae. de clericis peregrinant. can. primatus, & seqq. 71. dist. TERTULLIANVS lib. de praescript. aduersus haeret. cap. 20.* vocat *contesserationes hospitalitatis.* Vocabantur etiam *formatae, communicatoriae, pacificae, confessoriae,* quas omnes idem esse sub diuersis nominibus asserit CUIACIUS, cui non est assentiendum. Omnes quidem hae literae erant commendatitiae, sed aliae ab aliis discrepabant, pro ratione, & qualitate tum negotiorum, cum personarum.

X. Primum inter confessorias, & communicatorias discrimen fuisse indicat. *can. 23. concil. Eliberit. sub Marcello I. & can. 5. concil. Arelat. I. tum D. CYPRIANI epist. 10. & 11.* Putem ergo confessorias dari solitas iis, qui praedicandi & docendi prouinciam suscipiebant, & quia nonnulli hoc munus ambibant, statuit synod. vt reiiciantur confessoriae illae literae, & contenti sint communicatoriis.

DD 2

XI. Pa-

XI. Pacificae literae erant, quibus excommunicati, vel haeretici in ecclesiae consortium admittebantur: TERTULLIANVS *aduersus Praxeam in princ.* SOZOMENVS *lib. 5. cap. 10.* differentiam agnoscit BALSAMON in *can. 11. syn. Chalcedon.* quod, vt ait canon, pacificae darentur humilioribus, commendatitiae dignioribus, & honestioribus, vel iis potius, qui suspecti erant, & ob id segregati. Vt vt fit, hae omnes literae formatae etiam dicebantur, eo quod certis notis inscriberentur, ne fraus fieret, in eis nomen episcopi, & ciuitatis plumbo, vel cera incidebantur, vel imprimebantur, vt ex *concil. Cabill. cap. 41.* refert BURCH. *cap. 235. lib. 2.* Dies etiam paschalis apponebatur. *can. 76. concil. Carthag. & can. 20. concil. Mileuit.*

XII. Harum auctorem agnoscere debemus Sixtum I. vt testantur ANASTASIVS, & LVITPRANDVS, qui suscipiendas proposuit omnibus clericis, episcopis, nempe presbyteris, diaconis, & subdiaconis, imo & omnes alii minoris ordinis huic rei adstringuntur, quamuis reuera, & proprie non censeantur clerici. Sic intelligendus est *can. extraneo. 71. dist.* nempe vt lectores, & reliqui cogantur ad formatas accipiendas, cum sint clerici, vt est in *cap. 20. concil. Carthag.* CVIACIVS reprehendit Gratianum, qui *d. can. extraneo*, sumens ex concil. Chalced. scripsit *extraneo clerico, & lectori*, cum loco verbi, *lector*, legendum esset *ignoto*, cur enim potius concilium meminisset lectoris, quam psaltae, ostiarii, & reliquorum? Probat suam sententiam ex ZONARA, qui in exemplari Graeco legit, *ἀγνώσας*, id est *ignotos*, non vero *ἀναγνώσας*, id est *lectores*, quam lectionem confirmat IUSTELLVS ex MSS. bibliothecae regiae, & MATTHAEO BLASTARE.

XIII. Ego, si quid liceat effari, ausim asserere non omnino male *ἀναγνώσας* scribi; agnouit enim hanc lectionem BALSAMO in *can. 6. eiusdem synod.* in quo ait lectores, clericos etiam esse, contra sententiam quorundam, qui aliter sentiebant, & ideo dimissorias eis dandas. SIDON. APOLL. *epist. 8. lib. 6.* Et quia, inquit, *nomen eiusdem, lectorum nuper, aibus accepit, agnoscat profecturo cui me epistolam, clerico debuisse formatam.* Idem *epist. 2. lib. 7. literas meas ad formatae vicem, scilicet vt lector elicuit;* quibus ex locis dubitatum fuisse detegimus, an lectoribus formatae dandae essent. Ratio reddi potest, cur potius canon locutus sit de lectoribus, quia scilicet lectoris officium erat multo nobilius, & dignius

& dignius ceteris minoribus; quippe cui docendi, & legendi munus incumberet, *can. perlectis. 25. dist.* ideoque dicitur sacrarum literarum praeco sanctus, in vita S. Ignatii patriarcha *ἱεροκήρυξ*, praeco sacer apud Graecos, cui munus erat iubendi fauere linguis, & catechumenos e templo abire, dum sacrificaretur; vnde & cum ordinabatur, solebat episcopus de eius fide, vita, & ingenio tractare coram plebe, *can. lector. dist. 23.* quod in aliis non obseruabatur; imo vt ostendatur dignitas supra reliquos, synodus VIII. Constant. sub Adriano II. *can. 5.* statuit: *Ne quis laicus in episcopalem prouebatur dignitatem, nisi in ordine lectoratus annum unum, duos in subdiaconatu, tres in diaconatu, in presbyteratu quatuor annos exegerit;* apud BARONIVM *ad an. 869.*

## TITVLVS V.

DE

## PRAEBENDIS, ET DIGNITATIBVS.

**I.** De negligentia eorum, qui praebendas tenent, supra actum est, nunc vero de ipsis praebendis, & de dignitatibus.

**II.** Quam materiam vt expendamus, sciendum est in ipsis ecclesiae nascentis cunabulis, quibus Christianum nomen vix cognitum erat, clericos, cum adhuc sortem suam non haberent, & portione tribui Leuiticae a Deo promissa non fruerentur, coactos vicitim, & clanculum stipem colligere, & annonam congerere, ita vt quisque populus pro facultatibus suis in alimenta suorum clericorum conferret; qui quidem prouentus, seu liberalitates dicebantur beneficia; *cap. ad haec. §. in quadam. supra. de offic. archid. cap. olim. de verborum signif.* quae scilicet secundum seruitii, & laboris meritum eis dabantur. *can. cleri. 1. q. 2. can. Vulteranae. 12. q. 1.*

**III.** Vbi vero crescente numero Christianorum excreuit etiam ordo clericorum, ne mendicare cogerentur, eis tutius prospectum fuit; quin & paulatim efferuescente zelo, & religionis ardore, vt dignius Deo famularentur, ipsi communem vitam elegerunt, vt ex actis apostolorum, EX TERTVLIANO, & CYPRIANO, constat, & qui strictius his regulis se se deuouerunt, dicti sunt *canonici* a regula, quam sibi dixerunt, vt

scribit D. AVGVSTINVS *de vita clericorum*, PROSPER *de vita contemplat.* cap. 2. & 9. quia distinguebantur ab aliis moribus, & norma viuendi.

IV. Alii enim sua stipendia separatim accipiebant, quae *sportulae* dicebantur, apud D. CYPRIANVM *epist.* 34. *vt & sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensurnas aequatis quantitibus partiantur.* Et ipsi dicebantur *fratres sportulantes*, vt inquit idem, *in honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes.* Qui vero regulis adstricti erant, in communem mensam aduocabantur, & sub vna matricula, seu pictacio continebantur, & quotidie suas portiones, & sportulas accipiebant, quae dicebantur canonicae portiones apud IRONEM *epist.* 219. *deliberaui, inquit, vt darem illis dimidiam praeposituram, vt fieret inde quotidianus panis, quamuis eorum annua praebenda eis sufficiens esse deberet.* Dicta etiam praebenda, quod scilicet pro modo, & mensura praeberetur, FVLBERTVS *epist.* 38. & qui eam percipiebant, canonici praebendarii dicebantur. *can. sanctorum* 70. *dist.*

V. Quod quidem *praebendae* vocabulum vsurpatum primum reperio temporibus Caroli M. vt ex eius *capitularibus* constat *addit.* 3. cap. 77. in corpore vero iuris antiquiorem non habemus, quam Prosperum in *can. illi.* 12. q. 1. & Eugenium II. in *synod. Rom. can. nulli.* 12. q. 1. Hae praebendae, siue reditus vnico etiam nomine *canoniae* dictae sunt, apud ARNVLPHVM *epist. ad Alexand. papam*: non abs re, nec tam quod competant canonicis ob regulam assumptam, quam ab canonem seruantibus regulam praebere solitum. Canon enim etiam censum, seu pensitationem significat, pactionem, vt loquitur imp. in l. *etiam. C. de obsequiis*, Basilica *μίσθωμα*, id est *suffragium*. De eo etiam titulus C. *de canone frumentario urbis Romae*, & ASCONIVS 4. in *Verrem*, tria pensitationum genera esse dicit, *canonem, oblationem, & indictionem.*

VI. Quia vero primis seculis in ecclesiis cathedralibus, & collegiis viguit maxime ille honor, vt soli canonici dicerentur ob regularis disciplinae obseruantiam; etiam ob quotidianam distributionem *praebendarii* soli dicti fuerunt, vnde & ecclesiae, in quibus capitula, vel collegia sunt, dicuntur *praebendales*, a PETRO BLES. *epist.* 78. Horum canonicorum praebendariorum sportulantium nomina in tabella, seu pictacio descripta erant, & quantam quisque sportulam, & portionem esset percepturus; vnde

vnde effluxit, vt a nostris a pictacio illo, portio dicta fit *pittance*. Dicebantur etiam ἀδελφάτα in nou. Comneni, vt latius in *observat.* docui.

VII. Varia porro genera distributionum illis pictaciis, seu matriculis continebantur, aliquando pecunia numerata, alias oleum, vinum, frumentum, alias panes, vnde & olim inuestiebantur canonici per panem, vt videre licet in quadam formula veteri Gelasii P. relata a IVRETO ad ep. IVONIS 183. *Frater in nomine Domini ego te reuestio per hunc librum, & per istum panem de hac praebenda, iussu nostri praelatoris, & canonicorum istius ecclesiae.*

VIII. Hoc hodie in plerisque locis obseruari videmus, tum in inuestitura, & portionibus canonicorum faciendis, cum clericorum minoris subsellii, qui soli inde *praebendarii* dici coeperunt, aliis dignioribus sibi solum canonici nomen arrogantibus, quorum famuli, & seruitores sint isti praebendarii, vt quaedam bullae referunt, quod subeant vicem dominorum ad onus ferendum, non ad honorem, modico stipendio, & solo pane quotidie distribui solito contenti, exemplo Romanorum, apud quos infimi, & humiles homines ad victum panes accipiebant. **PRVDENTIVS** *aduersus Symmachum*:

*Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.*

IVSTINIANVS hos panes vocat *ciuiles* in *l. cum quidam. 31. §. praeterea. C. de iure delib.* annonas ciuiles in *auth. de non alienand. §. haec ergo. & LEO* in *l. hac edictali. §. ius illud. C. de secund. nuptiis.* serui potissimum panes illos praebendarios, seu praebita accipiebant, COLVMELLA *lib. 1. cap. 8. tantoque curiosior inquisitio patris familias debet esse pro tali genere seruorum, ne aut in vestiariis, aut in ceteris praebitis iniuriose tractentur.* Haec alimoniarum taxationem vocat CONSTANTINVS in *l. lex, quae tutores. C. de administ. tut. cibaria* PAVLVS in *l. seruis urbanis. de legat. 3.* Videntur CVIACIVS ad *nouellam 6.* militares copiae etiam praebendas habebant. *l. si in aliquam. ff. de officio proconsulis. & l. 19. ff. de testib.*

IX. De dignitatibus est altera rubricae pars: dignitas differt a praebenda, quod praebenda sit reditus, vt dixi, & commodum canonicum; dignitas vero honor, & praerogatiua prae ceteris canonicis, & clericis; adeo vt praebenda saepius sit sine dignitate, dignitas raro sine praebenda.

X. Primis quidem temporibus dignitas aestimabatur ratione ordinis, scilicet episcopalis, presbyteralis, & diaconalis, ad differentiam reliquo-

quo-

quorum ministrantium, & laicorum: sed deinde dignitas haberi coepit ratione potestatis, auctoritatis, & iurisdictionis, certis peculiariter personis attributae; vtpote episcopis, archidiaconis, & aliis, de quibus in *can. perlectis. 25. dist.* quibus etiam datae ampliores, & vberiores, praebendae.

XI. Quinimo & inter has dignitatum praerogatiuas coepit aliqua discretio nasci; adeo vt dignitatum aliae fuerint sublimioris notae, aliae inferioris: hac cautela adhibita, vt quae iurisdictionem haberent coniunctam cum administratione, & officio rerum ecclesiasticarum, dignitates dicerentur; vt sunt archidiaconatus, praecentoria, decania, praepositura: vbi vero abest iurisdictione, & officio, dignitas non est, sed personatus, qualis est thesaurarius, poenitentiarius, sacrista, custos, theologus, qui munus habent potius, & officium, quam dignitatem: canonici vero dignitatem, vel personatum non habent, imo a personis distinguuntur in *cap. dudum. de elect. cap. post electionem. inf. de concess. praeb.* sunt tantum clerici in numerum, & catalogum redacti, vt *sup. tit. diximus, & BALSAM.* notat ad *can. 6. ep. BASILII.* aliquando personae dicuntur. *cap. cum olim. de sent. & re iud. cap. statutum 11. de rescript. 6.* cum glos. Paroeciarum quidem curae sunt personatus, & rectores personae. *cap. vlt. sup. vt lit. pendente.*

XII. Haec differentia, licet melior adferri non possit, incerta est plerumque; pro consuetudine locorum, & ecclesiarum hae supra dictae praerogatiuae, modo dignitates, modo personatus sunt, arg. *cap. cum olim. sup. de consuetud.* Porro addenda sunt, quae ad generalem huius materiae cognitionem pertinent. Certum quidem est, tam praebendas, quam dignitates passim non omnibus dari, sed his tantum, quorum merita id exigunt; indigni enim arcendi sunt. *cap. graue. hoc tit.* Indignitatem facit defectus aetatis, scientiae, virtutis, & morum, *cap. cum in cunctis. sup. de electione,* adeo vt episcopus, vel alius, qui talibus confert, priuetur pro prima vice facultate conferendi, quod si pertinax sit in conferendo incapacibus, priuetur omnino iure collationis. *cap. cum Vintoniensis, & cap. nihil supra. de elect.*

XIII. Incapacitas etiam agnoscitur ratione pluralitatis, vt qui titulum vnum, seu ecclesiam habeat, aliam non appetat, *cap. quia in tantum. cap. referente, & cap. de multa. hoc tit.* Quod ius noua interpretatione

tra-



traductum est ad beneficia curam animarum habentia, non ad simplicia, atque etiam ad dignitates, & personatus, quod nempe personalem residentiam requirant; *cap. ad haec. cap. praeterea. hoc. tit. can. singula. dist. 89. synod. Trid. sess. 7. de reform. cap. 3.* causa tamen necessitatis cum dispensatione summi pontificis vni duae ecclesiae dari possunt, *cap. eam te. sup. de aetate, & qualit. ord. cap. exposuisti. hoc tit.* quod exprimendum est ita, vt qui modicum aliquod beneficium subticuerit, literarum suarum fructu careat. *cap. non potest & c. si motu. hoc. tit. in 6.*

XIV. Non potest quoque duobus conferri praebanda, vel dignitas, quae cum in solidum ab vno possideri debeat, sectionem pateatur, contra concilium Turonense; *cap. maioribus hoc tit.* licet aliquando sectio permittatur, dummodo hoc fiat in perpetuum, vt si de pingui paroecia duae fiant, & vtraque maneat paroecia, & proprios limites habeat, *can. unio. 10. q. 3.* sub vno enim limite, & iisdem finibus duae consistere non possunt. *can. plures. 16. q. 1.* Quod si quaestio inter duos de aliquo sit beneficio, vni potest totum beneficium assignari, & ne alter nimis graue dispendium patiatur, aliqua pensio in fructibus constitui poterit, quod ius nouum est *in cap. nisi essent. hoc tit.* Atque etiam pro expensis summa quaedam pecuniae solui potest, vt est apud ARNVLPHVM, episcopum Lexouiensem *epist. ad Alex. III. 67.*

XV. Aliquando vni beneficium iam vacans, alteri proxime vacaturum reseruatur, quod improbauit concil. Later. *cap. nulla. infra, de concess. praebend.* sed tamen toleratur, *cap. relatum. cap. dilectus. hoc. tit.* vel nisi talis concessio ex mera papae liberalitate, & proprio motu proficiscatur, *cap. gratia. de rescript. in 6. cap. si Romanus. Clement. de praebend.* Haec dona, gratiae expectatiuae improbantur in Gallia; sed tamen aliae in earum locum successerunt, quae iure indultorum senatoribus, & libellorum magistris debentur: ac etiam iure regio pro iucundo aduentu ad regnum, pro fidelitate ab episcopis regi praestanda in suis promotionibus, similiter pro graduatis in facultatibus theologiae, iuris vtriusque, & philosophiae; quibus quatuor menses sunt assignati, intra quos beneficia vacatura eis reseruantur, vt pro summo ecclesiae, & literarum bono iura concordatorum statuiffe vulgo notum est. Nec in eo grauantur ordinarii, & patroni, quibus eo pacto suppeditantur personae capaces, & literarum studia promouentur: & aliis denique modis.

E E

XVI.

XVI. Sed his omiffis epifcopi, & alii collatores ordinarii ius conferendi primaeuum habent ante fummum pontificem, adeo vt intra 6. menses facultas illa penes eos fit, postmodum amittatur, *cap. de multa. hoc. tit. cap. quia. infra, de concess. praeb.* Potest quidem summus pontifex intra idem illud tempus conferre, dummodo ordinarium suo rescripto praeuenerit; imo & addunt interpretes, quamuis rescriptum papae sit posterius titulo ordinarii, dummodo pontificius collatarius prior sit in adipiscenda possessione. Alio quoque modo amittunt ordinarii ius suum, si beneficia vacauerint Romae, *cap. licet hoc tit. in 6.* quod primus Clemens V. statuit, & ratio petitur ex *cap. ex debito. de electionib. in extrauag. communib.* scilicet intra mensem, post quem ius redit ad ordinarium *cap. statutum. hoc. tit. in 6.*

XVII. Ex his apparet, duplicem esse viam obtinendorum beneficiorum vacantium, vel per obitum praedecessoris, vel incapacitatem occupantis, vel resignationem. Per resignationem in fauorem tamen alicuius, & non aliter, confertur a solo summo pontifice, non ab ordinario, apud quem resignatio pura esset debet, & sine personae adiectione, quae proprie est dimissio.

---

## TITVLVS VI.

DE

### CLERICO AEGROTANTE, VEL DEBILITATO.

I. **H**ic titulus sequela est superiorum, quo de iis agitur, qui a resistentia excusari possunt morbo, vel alio quouis impedimento legitimo, vt si quis luminibus captus, surdus, mutus, furiosus sit, aut morbo fontico laboret, vt est in *l. vnica C. qui morbo se excus.* aut annos natus septuaginta *l. vnica. C. qui aetate se excus.* argumentum enim a tutela, & cura pupillorum, & minorum, ad curam, & regimen ecclesiarum recte trahi potest; cum hac tamen cautela, vt ei, qui hoc excusationis beneficium meretur, & residere non valet, detur coadiutor, qui partes eius gerat, *cap. 3. & seq. hoc tit.* quem non ipse quidem sibi eligat,

gat, & assumat, quia hoc esset ius successionis introducere, quod damnat *syn. Antiochena can. 23.* de quo in *can. episcopo. 8. q. 1.*

II. Coadiutor autem proprie est vicarius; cuius cura & officium defuncto episcopo vacabat olim, adeo ut alius saepius in episcopatum adscisceretur, quod satis demonstrat *can. petiisti. 7. q. 1.* & hoc ideo, ne contra antiquos canones in vna, eademque ciuitate, & ecclesia, duo essent simul, & semel episcopi, *can. 8. syn. Nicaenae,* & ita diuisio fieret, quam ut ecclesiae exitiosam damnat *concil. Cabill. can. 4.* quae tamen aliquo casu permittebatur, si quando haereticus cum plebe sua ad fidem redibat, is populum suum nouiter conuersum regebat, & nihilominus alter manebat, qui populo catholico praererat, quamuis vterque esset eiusdem dioecesis. Huic incommodo prospexit *d. can. 8.* qui noluit hunc recens conuersum amplius episcopum appellari, sed presbyterum, vel chorepiscopum: quo exemplo *D. CYPRIANVS epist. 4. lib. 1. & epist. 2. lib. 4.* episcopum ad poenitentiam reuersum, ordinatione, & honore sacerdotali priuari vult. Quod tamen nec postea obseruatum, licet Theodosius imp. in ciuitatibus, in quibus haeresis Arianorum erat, duos episcopos creari voluerit, ut seditio vitaretur.

III. Igitur nec in aegrotantis episcopi, vel presbyteri locum alius subrogandus, sed dandus coadiutor. Olim ut plurimum vicinus episcopus in regimen dioeceseos aduocabatur, & ecclesia ei commendabatur. Hinc partim commendarum, & coadiutorum originem sumere debemus: quum enim necessum esset dari coadiutorem episcopum, ne tamen in vna eademque dioecesi duo essent episcopi, vicinis hoc onus recusantibus fictitii episcopi fieri coeperunt, titulis quibusdam emendicatis aliarum prouinciarum, in quibus infideles imperium tenent. Quod ita sensim irrepit, ut ex hoc bono ingens pernicietas ecclesiae Dei facta fuerit. Quot enim episcopi hodie sunt, non aegri, non aetate confecti, tot & coadiutores, qui nihil praeter spem episcopatus sibi vindicant: arcantur enim ab omni officio, administratione, & fructuum perceptione, contra mentem *cap. vnici, hoc. tit. in 6.* quum e contrario fructus omnes percipere debeant seruata episcopo infirmo aliqua pensione, ut videre licet apud *CLEMENTEM IV. in epist. 191. MS.* in bibliotheca Fluxensi Tolosae, qua iubet archiepiscopum Senonensem archiepiscopatu cedere ob morbum fonticum, eique pensione assignata coadiutorem dari.

IV. Porro hi coadiutores dantur non tantum episcopis, sed & omnibus aliis praelatis, & rectoribus ecclesiarum morbo, vel aetate laborantibus, vt archidiacono in *cap. consultationibus. hoc. tit.* quod probatur ex *can. 23. concil. Agathen.* *Si officium archidiaconatus propter simpliciorum naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi ecclesiae, quem elegerit episcopus, praeponatur:* qui quidem non fit coadiutor, sed vicarius temporaneus. Ita & in aliis dignitatibus, licet eis ius parochiale sit annexum, decreuit congregatio *ad cap. 18. sess. 24. conc. Trid.* Non ob eam potissimum rationem, quam adfert glossa, quod archidiaconus sit vicarius episcopi, sed quod saepe iurisdictionem suam separatam, & distinctam ab episcopali habeat, *cap. significantibus. de oper. noui nunt.* & ius visitationis in ecclesiis sui archidiaconatus ei competat. *cap. mandamus. supra. de off. archidiacon.*

V. Similiter rectoribus datur coadiutor *cap. 3. & 4. hoc tit.* vtrisque congrua portione reseruata. Hoc autem ius dandi coadiutores regulariter locum habet in omni genere morbi, quo impeditur quis negotium suum exequi; adeo vt ob deformitatem alicuius membri, aut vulneris damnum non statim coadiutor detur, cum oneri suo satisfacere; licet a missarum solennibus abstinere debeat, *cap. 2. hoc. tit.* quod quidem capitulum peregrinum est huic titulo, & remittendum *ad tit. de corpore viliatis,* vbi latius haec morborum impedimenta examinabimus.

---

TITVLVS VII.  
DE  
INSTITVTIONIBVS.

I. **P**ost tractatum de praebendis, & dignitatibus consequenter de earum collationibus agendum videtur. *Institutionis* enim verbo collatio continetur, quod perspicuum satis est ex eo, quod in toto iure nullus est titulus de collationibus. *Institutionis* enim vocabulum est generale, non vt voluit *CVIAC.* quod contineat tantum missionem in possessionem, vt loquuntur iurisconsulti.

II. Certum est, id plurimas habere significationes, imprimis facultatem ordinariam, & communem conferendi, tam iure proprio, quam pri-

priuilegio *cap. ex tua. de filiis presbyt. cap. ad decorem. hoc. tit.* & tunc non transfert corporalem possessionem, sed ius tantum adipiscendae possessionis, sicut facit inuestitura, §. *si vero. qui success. feudum dare teneant. lib. 1. feud. tit. 3. §. fin. de noua forma fidelitat. lib. 2. tit. 7.* quamuis proprie inuestitura dici videatur, quae omne ius, & possessionem simul transfert, imo fit ipsa possessio, *tit. 2. lib. 2. feud.* apprehensio corporalis, seu traditio rei.

III. Hoc tamen iure, inuestitura ius tantum significat adipiscendae possessionis; possessio vero est, quae fit per rei apprehensionem, per praebendae, vel portionis canonicae assumptionem, installationem, altaris osculum, campanarum pulsationem, & ianuae contactum, per librum, apud GODEFRIDVM *Vindoc.* & INNOCENT. III. in *epistolis.* Et proprie dicitur institutio corporalis, *cap. ad haec. de offic. archidiacon. & collocatio, seu positio in sede. cap. ut nostrum. eod.*

IV. Alias inuestitura non est proprie missio in possessionem, non est vera collocatio, quia scilicet tradit ius possessionis, non possessionem, ut quae per anulum, per baculum, vel hastam fit. *d. tit. 2. INNOCENT. III. lib. 1. registri, epist. ad abbatem S. Eucarii, ipso vero die, inquit, inuestiturae, possessionem praebendae habuit, ita quod recepit stipendia, & in officio ministravit.* Talis inuestitura non mittit in possessionem, nisi in re praesenti, ut in *l. clauibus. de contrab. empt.* non censetur possessio assumpta, nisi clauium traditio apud horreum facta fuerit. *l. 2. C. de periculo, & commodo rei vendit.* vel etiam sine traditione per apprehensionem, & contactum, per oculorum inspectionem, *l. 1. §. penult. de acq. possess.* similiter institutio, quae fit iisdem modis, re non praesente, non acquirit ipsam possessionem, *cap. cum olim, & cap. ex literis. supra, de consuetud. cap. ex ore. de bis, quae fiunt a maiori parte capit. cap. cum olim. de sentent. & re iudic.*

V. Quemadmodum enim inuestitura tam pro iure adipiscendae possessionis, quam pro ipsa possessione, seu missione in possessionem sumitur, ita & institutio; *can. visis. 16. q. 2.* sed tunc illa ius, haec vero possessionem tradit. Est praeterea alia institutionis significatio, quae tandem apud nos inualuit; quae quidem non est collatio, nec etiam missio in possessionem, sed potius confirmatio collationis iam factae, vel electionis approbatio ita necessaria, ut tamen Episcopus collationem iam factam,

electionem, vel nominationem repellere non possit. *cap. unico, de institut. in 6.* Hoc ius nominandi patronis maxime competit, *cap. significasti. de iure patronat.* utpote archidiacono in *cap. cum venissent. hoc tit. abbati, cap. fin. & aliis personis. cap. quamquam. de electione in 6.* Hi saepius simplicem habent institutionem, id est, praesentationem, aliquando plenam, hoc est tam praesentationem, quam institutionem, seu inuestituram.

VI. Iure igitur communi non aliter distinguitur institutionis vocabulum, quam si episcopus iure suo conferat beneficia; talis enim prouisio dicitur collatio; si conferat ad patroni praesentationem, dicitur institutio. *d. cap. unico, hoc tit. in 6.* Cessantibus priuilegiis & iuribus eorum, qui praesentationem habent, ius vniuersum episcopo competit, *can. omnes. 16. q. 7* & omnium beneficiorum quoquo modo vacantium collatio, seu institutio est episcopi, vel eius officialis. *cap. ex frequentibus. hoc tit.*

VII. Capitulum vero sede vacante, nec collationis, nec institutionis ius spectare potest: omnes enim fructus futuro successori reseruantur, *cap. cum vos. de officio ordinarii.* Praesentatos quidem instituere potest, quia fructus tunc non minuuntur. *cap. unico, hoc tit. in 6. cap. cum olim. de maior. & obedient.* Iurisdictio quidem ad capitulum in his, quae praeiudicium episcopo non faciunt, spectat. *cap. bis, quae. de maior. & obedient.*

VIII. Postremo notandum est ex *cap. ult.* licet libera sit collatio, vel institutio, tamen in eo libertatem minui, ut nullus se ipsum praesentare, vel instituere possit, nec episcopus sibi conferre queat, nec patronus se ipsum praesentare, cum in his debeat esse alia persona dantis, alia recipientis; ideoque cum inter dantem, & recipientem discrimen sit, secundum naturam correlatiuorum, ut vnum idem non sit, *l. 1. de rerum permut.* alia persona debet esse interrogantis, alia respondentis. *l. 1. de verborum obligationib.* Aliquando tamen potest patronus se ipsum praesentare, si pauper, & inops sit; tunc enim emittit potius preces, quam se ipsum commendat; maxime cum beneficium est simplex; tunc enim ambitionis suspicione caret, ut sentiunt interpretes in *cap. cum secundum. de praebend. & cap. tuam. de aetate, & qualitate ordin.* Abbas in *cap. per nostras. infra, de iure patronatus.*



## TITVLVS VIII.

DE

CONCESSIONE PRAEBENDAE,  
ET ECCLESIAE NON VACANTIS.

I. **H**ic titulus circa eandem materiam, in qua superior versatur: vterque de institutionibus, & collationibus, quas & concessionibus vocamus; sed in eo differunt, quod ille potissimum, ad quos ius istud conferendi pertineat, docuerit; hic vero, quando beneficia sint conferenda, demonstrat.

III. Quod vt dilucide videamus, duas regulas statuemus ex concilio Later. sub ALEXAND. III. in *cap. 2. hoc. tit.* Prima est, ne cui beneficium non vacans concedatur, vel promittatur. Habet haec regula duo membra, vnum, ne in viuentis locum alius substituatur; alterum, ne viuentium beneficia post eorum obitum conferenda promittantur. Primum membrum sumptum est ex antiquis patrum traditionibus, quibus mutationes, translationes, suffectiones exosae erant; ex quo enim quis vni ecclesiae adscriptus erat, non poterat sponte resilire, *can. sanctorum. 70. dist.* vt supra attigimus; multo minus coactus. *cap. 1. hoc. tit.* Episcopo enim semel facto, & collegarum, ac plebis testimonio, & iudicio comprobato, alium constitui nullo modo posse ait D. CYPRIANVS *ep. 11. lib. 2.* agens de Cornelio papa contra ordinationem Nouatiani.

III. Hinc fit, vt qui in alterius locum constituitur, fur, & latro dicatur, *can. non furem. 7. q. 1.* & adulter, *can. sicut. ead.* excommunicationem incurrat, *can. eum, qui. ead.* vnitatis ecclesiae sit destructor; nec enim duo vni ecclesiae praefici possunt, nec vnus primus dici, alter secundus, adeo vt qui secundus dici velit, nullus sit, *can. factus. ead.* nisi is, in cuius sedem alius sufficitur, criminis vitio, vel haeresis laebe notetur. *can. 17. syn. Ancy.* Exempla tamen quaedam adduci possent, quibus ostendatur in locum viuentium alios suffectos, vt D. Augustinum: sed hi non inuitis, sed potius onus ferre non valentibus, aetate, vel morbo impeditis, vt *tit. de clerico aegrot.* diximus.

IV.

IV. Alterum membrum huius primae regulae, quod sumptum est ex concilio Lateranensi, omnem improbat concessionem beneficii nondum vacantis, tunc demum, cum vacauerit; spem enim futurae successionis, & votum captandae mortis alienae inducit; si enim in foro civili talia pacta improbantur, *l. stipulatio. hoc modo. de verb. obligat. l. quidam. de donat. l. ult. C. de pactis*, quanto magis in foro ecclesiastico; adeo ut haec facultas conferendi beneficium proxime vacaturum, vel potestas ius hoc alteri tribuendi improbetur. *cap. constitutus. hoc tit.* Patronus etiam sicut non potest polliceri se praesentaturum, ita nec potestatem praesentandi dare. *cap. cum dilecta. hoc tit.* Quae tamen lex ab Innocentio III. temperata fuit, ut cum promissio conferendi facta fuerit ab episcopo, vel alioqui ius hoc habet, tunc demum, cum ei se facultas obtulerit, talis promissio valeat, & obliget promissorem. *cap. accedens. hoc tit.*

V. Praeter mortem alicuius potest nasci occasio providendi per resignationem, renunciationem, *cap. post electionem. hoc tit.* priuationem, monasticae regulae votum, vel praebendae sectionem, *cap. relatum. sup. de praebend.* vel etiam in ecclesiis, in quibus non est certus numerus praebendarum, quarum numerus augeri, & minui potest, *cap. ex parte. hoc tit.* tunc enim mors alicuius expectanda non est. Saepe cum persona exstinguitur praebenda, aliquando de nouo erigitur, *cap. dilecto. §. praeterea. sup. de praebend.* ideoque concilium Lateranense ad tales praebendas non respicit. Quam tamen clausulam ut suspectam, & fraudulentam reprobat BONIFACIUS, *cap. detestanda. hoc tit. in 6.* & concilium Tridentinum *cap. 19. sess. 24.*

VI. Hae pollicitationes ad praebendam proxime vacaturam videntur locum habuisse etiam temporibus Alexandri III. ante concilium Lateranense, ut constat ex *cap. relatum. sup. de praebend.* quod quidem glossa restringit ad casum, quo quis receptus fuerit in canonicum, ut tunc demum promissio praebendae vacaturae valeat, non alias; quae tamen distinctio non placuit viris doctis, cum semper promissio praebendae vacaturae vitium trahat, & votum captandae mortis inducat; & licet quis receptus fuerit in canonicum, non tamen ideo consequens erit, ut ei tribuatur praebenda, ut tamen glossa concludit, alias semper illuderetur concilio Lateranensi per receptionem in canonicum. Equidem existimandum est dictum *cap. relatum*, scriptum fuisse Cantuariensi archiepiscopo



scopo ante concilium Lateranense, quod indictum fuit ab Alexandro III. postremis pontificatus sui temporibus, & haec fuit sententia viri clariss. IOANNIS A COSTA professoris nostri.

VII. Altera regula, quae proponitur ex concil. Lateran. in *d. cap. 2.* est, ne diu beneficia possessore careant, & ita ecclesiae per diutinam vacationem dispendium patiantur, vt intra sex menses, a tempore vacationis numerandos conferantur. *cap. de multa. sup. de praebend.* Episcopatus vero, & ecclesiarum praefecturae intra tres menses propter maius periculum. *cap. ne pro defectu. sup. de elect.* Quod ex antiquis patrum sanctionibus processisse testatur D. GREGORIUS in *can. postquam. 50. dist. can. obeuntibus. 63. dist.* & intra alios tres menses sequi debet consecratio: quod statutum primum fuit in *concil. Chalced. can. 25. relato in can. quoniam. 75. dist.* Vbi illud obiter nota, nisi necessitas aliqua sit impedimento: quod ideo dico, quia anno 1618. de facto euenit in archiepiscopatu Tolofano, vt non consecrato archiepiscopo electo intra tres menses secundum concil. Trident. diu disputatum fuerit, an sedes vacauerit.

VIII. Sed ad rem: intra sex menses beneficia vacantia conferenda sunt, aliter ius conferendi, negligente episcopo, ad capitulum deuoluitur, & e contrario. *cap. ea noscitur. de iis, quae fiunt a prael. & cap. requisisti. de testament.* Quod intellige, quando collatio beneficiorum ad episcopum, & capitulum simul pertinet. *cap. postulastis. hoc tit.* Quibus cessantibus ad metropolitanum, a metropolitano ad summum pontificem fit deuolutio. *cap. cum nostris. hoc tit.*

IX. Semestre autem tempus sumitur non semper a die vacationis, sed a die notitiae, quo collator scire potuit beneficium vacasse, *cap. quia diuersitatem. hoc tit.* ad exemplum cretionis haereditatis intra 100. dies, quibus scieris, poterisue, vt loquitur VLPIAN. *tit. leg. 22.* Is, qui nescit, facultatem non habet, nec potestatem, *cap. licet. de suppl. neglig. prael. l. annus. de calumniatorib.* & haec habent locum in vacatione facti, non iuris; si enim beneficium de iure vacet, vt quod iniuste detinetur, libera est quandocumque collatio, & hoc casu in viuentis locum alius sufficitur. Sed narrari debet collatori ordinario, vel summo pontifici, possessionem occupantis esse iniustam, *cap. quamuis. de praebend. in 6.* quod operatur haec clausula, *quouis modo vacet beneficium.*

TITVLVS IX.  
NE  
SEDE VACANTE ALIQVID  
INNOVETVR.

I. **N**on male titulus hic praecedenti subnectitur, ideo maxime, quia de collationibus agit beneficiorum vacantium, vt supra diximus, si intra sex menses vacauerint, collationem deuolui, vel ad capitulum, vel ad superiorem. Iam proponitur exceptio, cum nempe sedes vacat; defuncto enim episcopo nihil innouandum; & omnes redditus, fructus, & iura episcopatus futuro successori debent fideliter reseruari, arg. *cap. cum vos. de offic. ordin. can. haec huius. can. non liceat. 12. q. 2.* quod ius traxit originem ab apostolis in *can. 40. apostolorum, & can. 22. concil. Chalced.*

II. Abusus primum coepit Romae, obeunte enim summo pontifice patriarchium eius depraedationi expositum erat, qui abusus in alios episcopatus irrepfit, quod Ioannes XII. graui censura prohibuit in *concil. Rauennat. c. 2.* sed interim oeconomus adhiberi debuit; *cap. cum suos. de off. & pot. iud. deleg. & in prima compil.* quod ex dicto concilio Chalced. processit, & is oeconomus ex clero, vel capitulo desumi debuit, *can. haec huius. 12. q. 2.* vel etiam metropolitanus procurare custodiam, *can. non liceat. ead.* vel vicinior episcopus ad metropolitanum τὴν διατύπωσιν, id est, *descriptionem, & recensionem rerum omnium* deferebat, *can. 5. & 6. Rhegiensis synodi; euocatis etiam presbyteris; & Aurelianens. synodo II. can. 6.* cauetur, & *Tolet. IX. can. 9.* Et si qui custodiam habebant παραλαμβάνοντες, id est, *adsumentes* vocari ait *BALSAM. ad d. can.*

III. Per negligentiam vero collatio non potest deuolui, cum non fuerit superior, qui posset de facto, vel de iure conferre, *cap. unico in 6.* adeo vt iudicia, & sententiae prolatae praeiudicium non faciant, *cap. fin. alienatio nulla fit, cap. 1. hoc tit.* cuius species pertinet ad materiam; cum enim vnio facta esset a Coelestino III. Innocent. III. praedeceffore, Glastonensis monasterii cum Bathoniensi episcopatu, petentibus monachis vnionem rescindi, sine dubio alienatio, & praeiudicium fiebat futuro episcopo

scopo Bathoniensi, quod vacante sede noluit tribuere Innoc. III. quamuis causa legitima videretur; religionis enim esset ruina, & non amplius fierent piae erogationes, in pauperum alimenta pendi solitae: denique poscentibus rege, & regni primatibus, episcopis, & abbatibus Angliae, Sauarico Bathoniensi episcopo Richardus I. rex Angliae hanc abbatiam dederat, & Coelestinus Bathoniae vniuerat; sed deinde suafu, & consilio Huberti Cantuariensis archiepiscopi ablatam Willelmo la Pie dederat, qui quamdiu vixit Richardus, abbas fuit, sed eo mortuo, Sauaricus conquestus est coram Innocent. III. & cardinalibus, allegans sibi datam a Richardo, & antea in ea sedem episcopalem fuisse; ad cuius instantiam confirmauit hanc vnionem abbatiae, & Sauarico restituit Innocent. III. vt videre licet in *antiqua compilat.* & apud ROGERVM *part. posteriori Annal.* sed iterum defuncto Sauarico lis moueri coepit, rege & magnatibus petentibus, quibus Innocent. non satisfecit, ne sede Bathoniensi vacante damnum fieret futuro successori. Cur autem tam propenso animo Ioannes rex, frater Richardi, non Richardus vt voluit CUIAC. iam enim obierat, vnionem frangi, & separationem fieri optauit? quia scilicet Glastonensis abbatia antiquissima erat, & inter nobilissimas regni habita, ab Hina occidentalium Saxonum rege, qui vixit circa annum 688. vt est apud POLYD. VERGIL. in honorem B. Mariae Virginis fundata, in quodam palustri recessu, vt eo tenacius monachi supernis inhiarent, quo castigatius terrena haurirent; quam postea Edgarus Anglorum rex prae omnibus dilexit, & magnis possessionibus auxit, & successiue reges omnes singulari affectu profecuti sunt, vt narrat WILLELMVS MALMESB. *lib. 2. de gestis regum Angliae*, qui etiam priuilegia refert.

IV. Sed haec vltra metam nostri propositi. Redeamus, vnde diuertimus. Episcopo toties fit praeiudicium in collationibus, quoties collatio ad eum solum pertinet; licet teneatur requirere consilium capituli. *cap. 2. hoc tit.* Damnum enim fieret episcopo, si verbi gratia inhabilis sit ob defectum, qui cito potest reparari, & capitulum se intromitteret. *can. presbyteri. 24. dist.*

V. Aliud est, cum collatio communiter ad episcopum, & capitulum pertinet, vno enim deficiente ius omne ad alterum deuoluitur, *cap. unico in 6.* Quod si vnum ab altero teneatur consilium expectare, toties po-

test, qui ius conferendi habet, conferre, quoties alterius absentia, vel morte damnum posset emergere. *d. cap. unico. §. ubi.*

VI. Similiter obseruandum non tantum de collationibus, sed de omnibus aliis iuribus, quorum deuolutio toties fit, quoties vel ex mora damnum, vel aliquod periculum nascitur, quod Ioannes XXII. trahere voluit ad sedem imperii vacantem in *cap. unico extrauag.* quo inhibetur sub poena excommunicationis, ne vllus vacante imperio audeat sibi vicarii nomen arrogare, nec vllum regimen suscipere, sed recurrendum sit ad summum pontificem.

VII. Ratio autem huius constitutionis, quam edidit Ioannes sub *tit. ne sede vacante*, petenda est ex historia. Post Clementis V. obitum vacauit Romana sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus 17. quo tempore mortuo Henrico imperatore designati sunt imperatores varii a variis. Ludouicus nempe dux Bauariae, & Fridericus, inter quos annis octo bellum grauissimum gestum est. Sed Ludouicus superior eua-  
fit citra mentem Ioannis XXII. non impetrata ipsius confirmatione, vt moris antea semper fuerat, a quo ideo anathemate percussus fuit: ex veteri enim eligendorum imperatorum iure, ab Henrico II. in hunc vsque diem seruato, imperatorem sex electores designant, Treuerensis, Colonienfis, & Moguntinus archiepiscopi; comes Palatinus Rheni, dux Saxoniae, & marchio Brandenburgensis: septimus quasi arbiter, & contentionis iudex adhibetur rex Bohemiae, & octonarium numerum faciens Rom. pontifex, apud quem ius approbationis, & confirmationis erat. Hunc morem sua constitutione firmavit Gregorius V. vt referunt EGNA-  
TIVS *lib. 8.* & BLONDVS *lib. 3. dec. 2.*

---

## TITVLVS X.

DE

### IIS, QVAE FIUNT A PRAELATIS, SINE CONSENSV CAPITVLI.

I. **O**stendimus supra collationem esse in fructu *cap. fin. de offic. vicarii in 6.* & idcirco eius deuolutionem non fieri confuse, & absque ordine, ne alienatio fieret iurium optimorum, quibus episcopi, & capitula

capitula gaudent. Hinc latius euagari contigit, & ad materiam omnium alienationum tranfire, adeo, vt *boc tit.* non tantum collationum, sed etiam aliorum iurium materia expendatur.

II. Cum enim episcopus, & capitulum vnum corpus efficiant, episcopus fit caput, canonici membra, *cap. nouit. boc tit.* & episcopus fit spiritali coniugio copulatus ecclesiae cathredali, *cap. requisisti. infra, de testamentis*, non potest episcopus solus incio capitulo res ecclesiae alienare, adeo vt quod ita gestum fuerit, nullius sit momenti. *cap. 3. boc tit.*

III. Quod vt plenius ostendatur, aduertendum est, hanc rubricam agere tantum de consensu, non de consilio capituli; siquidem magna est differentia inter consensum, & consilium: consensus pendet a voluntate, quam quis interponit in negotiis, & ex imperio, ex-auctoritate, & iurisdictione sua habet; ideoque quoties requiritur consensus, eo omisso res non agitur. *cap. vlt. de iudiciis, in 6.* In quibusdam tamen casibus nec silentium facit consensum, vt si iudex citet extra territorium suum, & partes non contradicant, tunc consensus expressus necessarius est, quemadmodum in alienationibus, donationibus, & negotiis ecclesiae, quae sunt magni momenti, *cap. 2. boc tit. absque collaudatione, & subscriptione*, inquit, *cap. 1.* & optime gloss. distinguit, quando subscriptio, seu ratihabitio valet, quando non; veluti si fiat per eos, qui ius habere non possunt, vt si quis per alium sententiam, vel testimonium dicat.

IV. Est autem collaudatio, confirmatio, seu approbatio apud iurisconsultos, vt annotat BVDÆVS, & sumitur in *l. 1. §. sed utrum. ff. de seru. corrupt.* apud IVONEM ep. 13. *Testatus est pleniter definitam esse causam apostolica auctoritate, & vestra, vestrorumque coepiscoporum laudatione, & ep. 16. coniugium, quod ante factum non laudastis, post factum, nec factu, nec dicto inconsulte approbetis.* Inde laudimium, in constitut. feudorum.

V. Aliud est de consilio, quod petere quidem oportet, sed non sequi, *cap. cum olim. de arbitris*, vbi gloss. optime contendit, non esse *superfluum*, vel vt loquitur P. BENEVENTANVS, *prolusorium, ad cap. vlt. de arbitris, in 3. comp. petere, quod non tenentur sequi*, vt de adfessoribus dicitur in *l. 2. C. de adfessorib.* qui nec possunt libellos subscribere. *Nou. 6. συγκαθέδεας* vocant Basilica, *participes l. 1. C. si rector provinciae*, & *l. 2. C. de adfessoribus, ἀρχόντων σύμπονοι* apud Graecos,

*consiliantes* apud PLINIVM in *epistolis*. Non debemus tamen clerum, vel capitulum iis adfessoribus comparare, habent enim magistratum, & imperium cum episcopo coniunctim, ad exemplum senatorum, qui a patriciis, & consulibus descendebant, & soli sententiam dicere poterant, *l. ult. ff. de senatorib.* ideoque & canonici vulgo ab episcopis, fratres appellantur, *cap. 2. hoc tit.* eadem ratione, qua episcopi a summo pontifice. *cap. fin. hoc tit.* Papa caput est ecclesiae orthodoxae, episcopi sunt capita suarum ecclesiarum, *προεδρέοντες*, id est, *praesides*, ita dicti ab exedris, peristyliis, vel claustris ecclesiarum, qui quidem suos habent consiliarios, sicut princeps olim negotia cum consulibus, & primoribus iudicabat, ut est apud DIONEM in *Augusto*, & ZONARAM in *Adriano*: καὶ ἐδίναξε μετὰ τῶν πρώτων. Hi proceres tantae dignitatis erant, ut a Getis Θεοὶ dicerentur. Hunc honorem, quo canonici fulciuntur, vocat INNOC. canonicum honorem. *ep. 127. lib. 1. cap. proposuit. de concess. praebend.*

VI. Quando vero consilium, quando consensus requiratur, non est plenius inquirendum; siquidem in omnibus negotiis, & consilium, & consensus requiruntur, *cap. quanto. de bis, quae fiunt a praelatis.* Nomine ecclesiae hic intelligimus non tantum cathedralem cum capitulo, *cap. cum clerici. de verborum sig.* sed etiam dioecesim, aut prouinciam, *cap. cum super. de autoritate, & usu pallii, cap. Radulphus. de rescriptis.* Quandoque vero significat episcopum tantum, ut in *can. scire. 7. q. 1.* vel capitulum tantum, *can. antiquos. 10. q. 1.*

VII. Si de iure peculiari vnus agitur, sine dubio alter nil quidquam agere potest citra consensum alterius. *cap. ea noscitur. hoc tit.* Semper vero concilium est adhibendum, ita intelligendum *cap. 1. in quinta compil.* ex quo male detraxit Raymuñdus hanc vocem *concilio*; nam quamuis necessario non requiratur, expectari tamen debet, *cap. cum in veteri. siq. de elect.* ut & recte annotauit gloss. in *cap. cum olim. sup. de consuetud.* & quoties permittitur aliquid inconsulto capitulo, hoc dicendum, dummodo non sit enorme damnum ecclesiae, ut docet BERNARDVS ad *cap. 1. de consuetud. in prima compilat.* quae omnia intelligenda veniunt, tam de bonis spiritalibus, quam temporalibus. *cap. tua. hoc tit.*

VIII. Cum enim quaestio esset, an episcopus posset concedere in perpetuum vni monasterio ecclesias baptismales, quarum ius patronatus  
ad

ad ipsum monasterium pertinebat citra capituli consensum, Innocentius fieri non posse ait: ratio in hac hypothese fumebatur ex eo, quod capitulum non multum dispendii pateretur ex concessione ecclesiarum, in quibus iam monasterium iure patronatus fruebatur; sed omnino id negat pontifex fumens regulam generalem ex epistola LEONIS in *can. sine exceptione. 12. q. 2.* translatio siquidem illa perpetua est, viuit enim semper monasterium, & ita praeiudicium fieret clero, & successori episcopo, quod non debet, etiam quauis consuetudine obstante. *cap. vlt. Clement. de reb. eccles. alien.* Concessionem, quae fiunt personis, quia non sunt perpetuae, valent. *can. bonae. 12. q. 2. can. possessiones. 16. q. 1.* Est & alia ratio, quae magis vrget in ecclesiis baptismalibus, quia tunc videntur carere pastoribus, quibus magis indigent ad salutem animarum. *d. Clement. fin.* Per baptismales ecclesias intellige paroeciales, vt in *can. plures. 16. q. 1.* quae ideo ita appellantur, quia baptismus est primum sacramentum, & ianua aliorum sacramentorum. *can. cum itaque. de consecrat. dist. 4. can. si quis per ignorantiam. 1. q. 1.*

IX. Similiter de bonis temporalibus est statuendum, ne episcopo liceat ea minuere, tollere, vel perdere, negotia tractare citra capituli assensum, *cap. nouit. cap. quanto. hoc tit.* fructus, & obuentiones vnius ecclesiae quibusdam piis locis assignare, praeter quinquagesimam portionem, quod ius haustum est ex *concil. Toletan. IX.* in *d. can. bonae.* Causa enim iusta videtur templum aedificare, & rei bonae statuendum concilium dare assensum, *can. si quis episcopus. ead.* qui est ex *Concil. Tolet. III. cap. 4.* in quo adhibetur haec cautela, vt id episcopus de consensu concilii sui faciat; & sic intelligendus *d. can. bonae,* licet contra interpretes, sed pessime; vt enim citra capituli assensum id possit episcopus, ius nouum est ab Innocentio III. introductum, vt satis colligere licet ex ipsius verbis in *d. cap. pastoralis. hoc tit. & in cap. apostolicae. inf. de donat.* Statim enim initio profitetur se d. canoni, *bonae rei,* velle derogare.

X. Exceptionem huius iuris vnam aduertere licet in *cap. cum apostolica. hoc tit.* vt scilicet non requiratur cleri assensus, quando scilicet proprie non fit alienatio, sed potius reuocatio bonorum ecclesiasticorum; vt cum decimae, quae ab ecclesia cuidam laico donatae erant feudi iure, iterum ad ecclesiam redeunt, & monasterio alicui applicantur; vel cum alienationem factam capitulum ratam habet; *cap. cum nos. hoc tit.* ratiha-  
bitio

bitio siquidem mandato comparatur; vel cum sciente, & non contradicente capitulo facta est, *cap. 2. hoc tit.* scientia enim, & patientia pro expressa voluntate sumitur, non quidem semper, sed potissimum in alienatione temporali, alias expressus cleri consensus necessarius est, *can. si servus. 54. dist.* consensus inquam sanioris partis, ut dicitur *infra tit. seq.* & ita intelligendus vulgatus *can. terrulas. 12. q. 2. sine consilio fratrum;* per fratres intelligit clerum, ut *eod. can.* praecedenti absque *subscriptione clericorum;* ἀγνοήσεως τῆς συνόδου ἢ τῶν ἰδίων πρεσβυτέρων; id est, *insciente synodo, vel propriis presbyteris,* ait *can. placuit. ead.* Scio quidem per fratres aliquando intelligi episcopos, ut in *can. praeterea. dist. 51.* sed etiam eo nomine presbyteri intelliguntur. *can. fratres. de poenitent. dist. 5. Fratres nostros episcopos, & presbyteros admonemus.*

XI. Denique in omnibus negotiis, conuentibus, conciliis interuenire debet clerus, vel capitulum, vtpote senatus ecclesiae, teste D. HIERONYMO, nec possunt celebrari inuocatis capitulis; cum enim concilia pro excessibus corrigendis, prauis moribus reformandis omnium clericorum conuocentur, *cap. fin. hoc tit. cap. sicut olim. de accusat.* bis in anno ex praecepto apostolorum, quarta nempe hebdomada pentecostes, & duodecima die hyperberaetei, id est, octobris, ut est in *can. 37. apostolorum,* saltem semel in anno *can. 6. syn. Nicaenae,* ideo capitula vocanda sunt; *can. de eulogiis. dist. 18.* quod & expressit *syn. Trident. sess. 4. de reformat. cap. 2.*

---

## TITVLVS XI.

DE

### IIS, QVAE FIUNT A MAIORI PARTE CAPITVLI.

**I.** In rebus ecclesiae episcopum cum capitulo consentire debere, dictum est. Iam quid nomine capituli intelligatur, videndum.

**II.** Capitulum, est vniuersitas clericorum, quorum caput est praelatus, & ipsi membra simul corpus efficientia. *cap. nouit. sup. tit.* Sodales, seu focii eiusdem collegii, & congregationis, quam Graeci ἐταιρίαν

VO-



vocant, quales depingit CAIVS in *l. ult. de collegiis*, quibus vel victus communis est, vel aliqua viuendi forma circa cultum Dei, nec enim omnes clerici vnius ecclesiae faciunt corpus, collegium, seu capitulum, *cap. dilecta. de excessib. praelat.* Sed ii tantum, quibus pontificum constitutionibus id concessum est, ad exemplum collegiorum paganorum, seu laicorum, quibus id constitutionibus, & rescriptis principum conceditur, qui communem habent actorem, seu syndicum, sigillum, & arcam. *l. quod cuiusque vniuersit. cap. significauit. sup. de appellat.*

III. Actorem, seu syndicum, qui constituitur ad omnes causas vniuersitatis, seu capituli, quouis nomine donetur siue actoris, siue procuratoris, *cap. petitio, & cap. quia in causis. de procurat.* siue oeconomi, praepositi, defensoris, castaldi in *can. saluator. 1. q. 3.*

IV. Sigillum est etiam argumentum vniuersitatis *cap. dilecta. de excess. praelat. χαρακτήρα*, impressum habens, & notam, seu signum commune, quod fuit vel annulus, vt apud TACITVM I. *annal.* vel etiam ante vsu annulorum, lignum a vermibus exesum, apud HESYCHIVM; inde dicta ea signacula *Σπιπνδέσα*, *Σπιπνδέσατα* apud SVIDAM, & EVSTACHIVM *odysf. α.* Etymologici auctorem, & alios. Vocatur & hoc sigillum, bulla ab INNOCENTIO III. quod quidem sub custodia erat cancellarii, *cap. unico. infr. tit. seq.* & vocatur sigillum, seu annulus ecclesiae, *can. 1. 73. dist. fidem totius collegii faciens, cap. 2. de fide instrum.* cuius sigilli vsus praecipue autoratus in Anglia ob penuriam tabellionum, concilio Londinensi habito sub Othone cardinali, sedis apostolicae in eo regno legato, anno M. CC. XXXVII. vt narrat MATHAEVS PARIS.

V. Arca postremo signum communitatis est, in qua obuentiones, & redditus in nummos redacti reconduntur, quasi in gazophylacium, seu *ταμείον*, *l. 15. C. de susceptorib.* in qua etiam instrumenta, tituli, & vestes pretiosae asseruantur: vnde tituli arcales *l. 6. C. de exactorib. tribut.* & qui custodes sunt, arcarii, *cap. ult. ad Rom. Esther cap. 3.* Hic locus vulgo *arcibum*, seu *arcipum* in formulis MARCVLPHI *lib. 2. cap. 38.* & in *formula 8. ingenuitatis*, quae sub incerto authore edita est. Arca illa vulgo etiam dicta est in Gallia bursa; & qui victum ex ea capiunt bursarii.

VI. His tribus potissimum communitas, seu capitulum designatur, accedente numero clericorum competenti, quibus collegium componatur.

tur. Hoc autem titulo id praecipue tractatur, quando capitulum aliquid statuisse, & ordinasse censeatur; quot toties efficitur, quoties τὸ πλεον μέρος, id est maior pars accedit, & concurrat in vnam sententiam, cap. 1. & ult. hoc tit. exemplo decurionum. l. quod maiori, ad municip. l. nominationum. C. de decurionib. lib. X. l. aliud. de reg. iur. & cap. quia sicut. sup. de elect.

VII. Quae sit autem maior pars. saepius quaesitum, & argumentum sumunt multi ex hoc cap. 1. maiorem partem non semper esse, quae pluribus abundat suffragiis; saepe enim peior, vt rite demonstrat QVITILLIANVS declamat. 385. & SENECA lib. de vita beata cap. 2. sed quae sanior, & rectior; sicut in l. maiorem. de pactis, maior pars creditorum est pro modo debiti, non pro modo personarum, & in can. multi. 40. dist. qui est maior in honore, iustior non est, sed qui iustior est, maior est. Quod tamen ita est intelligendum, vt sanior pars, licet numero minor intelligatur, & accipiatur, non quidem ab iis, qui suffragium dant, sed a superioribus causae cognitionem habentibus, vt in cap. ecclesia. sup. de elect. cap. concertationi. de appellat. in 6. Ratione enim, an sententia pauciorum sustineatur, relinquendum est iudicio superiorum; alias nusquam concordia nascetur, cum omnes suo sensu abundare, & in saniolem ire sententiam existiment; ita est sumendum d. caput 1.

VIII. Verum generaliter statuendum est maiorem dici partem, quae pluribus abundat suffragiis; numerantur sententiae, non ponderantur, vt ait PLIN. & haec est lex, & regula, quam sequi oportet, cap. fin. hoc tit. PRVDENT. I. contra Symmachum:

*Seruemus leges patrias, infirma minoris*

*Vox cedat numeri, paruaque in parte filescat.*

Vt maior pars dicatur, est praeterea aduertendum, hoc ius locum habere de praesentibus in capitulo, in quo ad minus duae partes adesse debent: l. multi. & l. plane. quod cuiusque vniuersit. non exigitur, vt duae partes idem decernant, sed vt in decernendo adsint duae partes, quae faciunt capitulum, & concilium publicum in l. nominationes. C. de appellat.

IX. Exquiruntur vero voces singulorum, ita vt nullus, quamuis dignitate praeditus, duplicem vocem praetendere valeat, praetextu cuiuslibet consuetudinis, quae contra ius commune est, & corruptela dicitur ab INNOCENT. III. in cap. cum olim. de sent. & re iudic. nisi ali-

quis

quis de numero eligentium absens, & adesse impeditus vices suas vni de capitulo commiserit, *cap. quia propter. sup. de elect.* quod tamen vix hodie locum habet, & gloss. optime capitulum vices absentis recipere non teneri concludit.

---



---

T I T V L V S XII.

VT

ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINVTIONE CONFERANTVR.

I. **C**um superioribus titulis collationes a quibus fiant, demonstratum sit, hoc pro corona addendum fuit, eos, qui ius conferendi habent, pro parte conferre, & pro parte retinere non posse, exemplo feruitutum in *l. pro parte. de seruitutib.* est etenim sectio praebendarum, quae aduersatur concilio Turonensi, in *cap. maiorib. infra, de iure patronat.* adeo vt collator non possit conferendo partem fructuum vnus, vel plurium annorum sibi reseruare, quin simoniae crimen incurrat, *cap. prohibemus. infra. de censib.* nisi id ex summa necessitate obtinuerit a summo pontifice. *cap. tua. pen. infr. de verb. signif.*

II. Ipsemet summus pontifex in subsidium belli aduersus fidei hostes fructus vnus anni beneficiorum exigere solebat, vt refert PANORMIT. *cap. inf. de simonia,* quae tributa barbaro quodam nomine dicta, *annatae,* quod anni vnus reditus exhaurirent, quas & pro aliis quibusque Rom. ecclesiae necessitatibus exigi saepius voluerunt Ioannes XXII. & Benedictus XI. & postea sub Bonifacio IX. in ordinarium munus, & vectigal transferunt. Postea paulatim sub sanctissimo Ludouico IX. & Carolo VI. regibus Francorum imminutae, & tandem concilio Basiliensi reprobatae euauerunt.

III. Simile est ius quoddam deportus, quod episcopi, & archidiaconi sibi arrogabant, ante dictum concilium, quasi helluones, & mediastini, qui iniquis quibusdam conditionibus beneficiorum fructus rapiebant, quod Innocentius maxime damnat in *concilio Lateran. cap. exstirpandae. sup. de praebend.* & multis ante eum seculis D. HIERONYMVS in *can. diaconi. 23. dist. 93.* Hoc tantum, inquit, sibi vindicet episcopus, quod sui iuris

G G 2

esse

*esse cognoscat, aliena non rapiat; quae enim sua non sunt, ad alios pertinere scire debet, l. cum quaerebatur. C. unde vi. & eos, qui talibus reservationibus utuntur, homicidas vocat idem HIERONYMVS d. can. diaconi.*

IV. His malis summa Dei prouidentia Galliam pene prostratam erexit libertate reddita, & integro usufructu beneficia adeuntibus reseruato secundum iuris regulas in *can. nullus abbas. I. q. I. can. vlt. I. q. 3. & can. ecclesias. I 3. q. I.* excommunicatione contra aliter agentes inflictâ. *cap. praesenti. de off. ord. in 6. INNOCENT. III. epist. 204.* de eo grauius increpat episcopum Syluanectensem.

V. Cum diminutione quoque beneficia conferuntur, quando ex vna duae fiunt praebendae: *d. cap. maioribus*, vel fit permutatio dignitatum, id est inuersio, & immutatio nominis, & praerogatiuae. Denique quoties imminuitur splendor, & status ecclesiae, & beneficiorum. *cap. ex parte. de constitutionib.* Sola summi pontificis auctoritas potest derogare. *cap. cum accessissent. de offic. archid.*

VI. Aliquando si diminutio illa leuis fit, & parui momenti, quae tamen ad cultum Dei maiorem vergat, id facere potest episcopus cum capitulo; vt si vacanti beneficio aliquod onus imponatur, missas celebrandi, aut similia agendi; tunc non est proprie onus, vbi honor Dei augetur. *cap. significatum. supra, de praebend.* Quae causa mouit IVONEM Carnotensem, vt praeposituram quandam diuideret, & dimidiam partem communitati canonicorum conferret, ex qua fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, vt ipse loquitur in *epist. 219.*

---

## TITVLVS XIII

DE

### REBUS ECCLESIAE ALIENANDIS, VEL NON.

I. **D**ictum de diuisione, & diminutione praebendarum, quae species est alienationis. Hic titulus omnem materiam alienationum tractat, quo quidem non hoc solum intenditur, ne rerum ecclesiae fiat alienatio, sed quando rite fiat, quando male, ne omnino tollat commercium

cium

cium rerum, quas certis de causis posse distrahi fati compertum *ex can. placuit, & sequentibus, 12. q. 2.* vt si minus vtilis sint, *cap. 8. §. fin. hoc tit.* vel si terrae steriles sint, quae in emphyteusim dari possunt, *cap. 7. hoc tit.* exemplo fundi pupillaris, si saxosus, sterilis, vel pestilens sit, *l. si fundus. de rebus eorum, qui sub tut. l. fin. §. ult. de legat. 2.* vel ob redemptionem captiuorum, & tempore famis. *l. sancimus C. de §§. eccles.* Nunquam tamen inconsulto concilio, vel cuncto presbyterio, id est clero, vt loquitur *d. can. placuit.*

II. Praeter hos modos, & alios, quos necessitas summa ad ius ciuile reuocat, alienatio prorsus est interdicta, *in cap. nulli. hoc tit.* quo constitutio Leonis imp. in *l. iubemus. C. de §§. eccles.* obseruari praecipitur, ne quouis modo ecclesiae res amittantur. Alienationis verbum continet venditionem, donationem, permutationem, & emphyteusim, quae sunt praecipui modi in *d. cap.* quibus adiungere licet usufruptionem, & praescriptionem ex *vulgata l. alienationis. de verbor. signif.* pignoris constitutionem, seu nexum, & hypothecam, vt loquitur *l. sancimus. C. de reb. alienis: usufructus dationem can. non liceat. 12. q. 2.* cessionem, *d. l. iubemus*, denique conditionem omnem, qua deterior fit res ecclesiae.

III. Sic enim possumus accipere *conditionem* in *d. cap. nulli*, quam spuriam, & supposititiam damnat ANT. AVGVSTINVS; sed tamen conditionem recte scribi debere dicendum est, cum conditio sumi possit pro pacto vt in *l. societatem. pro socio*, quo quidem praeiudicium rei ecclesiae fieri potest, *cap. plerique sup. de pactis*, inde stare conditionibus, pro seruare pacta apud iurisconsultos, & M. TVLLIVM *ad Tironem lib. 16. sin ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est.* Pariter ac transactio, quae si damnosa sit, nullius est momenti. *cap. veniens. sup. de transact.* Tales enim conditiones, siue pacta sint, siue transactiones, sub nomine alienationis continentur. *l. non solum. C. de praed. min.* quae maxime facit ad hunc intellectum.

IV. Quidam loco huius verbi *conditionem*, legunt *condictionem*, sed male, alii *conductionem*, non omnino male, alii *concessionem*, multo melius, quia & alienationis species est. *cap. cum nos. de his, quae fiunt a prael. cap. 2. hoc tit. in 5. compil.* Hos enim omnes modos sua constitutione contineri voluit LEO, quam fauore solius Constantinopolitanae ecclesiae

edidit, & *novella* IVSTINIANI 7. & 120. ad omnia pia, & religiosa loca traduxit, relata in *can. hoc ius. 10. q. 2.*

V. Manumissio quoque inter alienationis species adnumeranda est, nec potest a quoquam fieri, nisi ab eo, qui facultates quasdam ecclesiae reliquerit, *cap. consensus. & seqq. hoc tit.* vel seruorum, qui bene meriti sunt, *can. si quos. 12. q. 2.* ita tamen, vt hi liberti sint, & obsequium ecclesiae praestent, quae semper manet patrona, & nunquam *moritur*, vt ait *concil. Toletan IV. can. 69.*

VI. Habuit antiquitus suos seruos ecclesia, etiam temporibus D. Benedicti, vt videre licet in eius vita, maxime apud ADREVALDVM FLORIACENSEM *lib. 1. cap. 25.* ANONYMVM de miraculis eiusdem, *lib. 4. cap. 11.* & IVONEM Carnotensem, hoc triuium est. Ius illud vsque ad nostra tempora peruenit; nam licet seruitus illa durior exoleuerit, remansit tamen species non exigua; sunt enim hodie in plerisque ecclesiis Galliae homines ad exemplum colonorum adscriptitiorum, qui fundis ecclesiae ita sunt addicti, vt in plenam libertatem proclamare non possint, liberi quidem viuant, sed moriantur serui, nec de bonis suis disponere queant, sicut Latini ex L. Iunia Norbana *l. unica. C. de Latina libert. toll.* & hos vocant consuetudines Campaniae, Aquitaniae, Britanniae, *quaeftales*, hos etiam mancipia rustica, & quidem inalienabilia vocat IVSTINIAN. *nouell. 7.*

VII. Denique alienationis verbo continentur omnes actus, per quos non tantum dominium transfertur, sed etiam contrahitur aliqua obligatio, vel aliquatenus onus imponitur, vt notatum est in *l. 1. C. de fund. dotal.* & in *tit. de alienat. feudi pater.* Haec alienatio constitutionibus Leonis, & Iustiniani omnino prohibetur, consentientibus, vel non consentientibus clero, & episcopo; abrogata Anastasii constitutione, quae cum decreto id permittebat; nisi in casu necessitatis, & non in perpetuum, cum rerum ecclesiae domini non sint, sed tantum ad ministratores. *can. expedit. 12. q. 1.* Necessitas intelligitur pro debitis ecclesiae soluendis, *cap. 1. de pignoribus*, causa pietatis, pro redemptione captiuorum, alimentis pauperum, & ecclesiarum reparationibus, *can. aurum. 12. q. 2.* & ob periculum damni imminentis. *can. terrulas. 12. q. 2. l. fin. C. quando decreto opus non est.*

VIII. His, & similibus casibus exceptis, alienantes duplici poena multantur, anathemate, & restitutionis onere, *cap. si quis. hoc tit.* & ecclesia habet beneficium repetitionis, *cap. ad nostram. hoc tit.* imo tam accurate hoc ius seruatur, vt commutatio rerum ecclesiae vnus in aliam vix fieri possit, *cap. 1.* nec ecclesiae, quae a regularibus gubernantur, in ius, & vsum laicorum possunt conuerti, *cap. possessiones. hoc tit.* quod mirum videri debet in eo *cap. clericos, & laicos assimilari,* sed haec non est mens Innocentii III. imo potius, ne status ecclesiae immutetur. *cap. ad haec. de religios. domib. cap. quod Dei. de statu monach.* Nam etiam e conuerso ecclesiae seculares, monachorum administrationi tradi non possunt, nisi cum causae cognitione, licet causa videatur fauorabilior. *cap. ad audientiam. de ecclesiis aedis.* Quamdiu enim ecclesia regi potest, secundum primaeuam institutionem, nihil est immutandum, sed tunc, cum defectus aliquis est vel personarum, vel rerum. *cap. relatum. ne clerici, vel monachi.* Et sic intelligendum *concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 10.*

IX. Hic porro titulus non est de rebus ecclesiasticis, & mere spiritualibus capiendus, imo & de religiosis, & iis, quae annexa spiritualibus sunt, vt est ius patronatus, *cap. quanto. de iudiciis,* vt sunt mortuaria, *cap. fin. legata,* quae pro animarum salute sunt relicta, praestimonia, & similia.

---

## TITVLVS XIV.

DE

## PRECARIIS.

I. **D**e alienationibus in genere dictum est; hoc vero, & sequentibus de singulis alienationum modis; & primum de *precaris.* Quae quidem precaria aliud sunt, quam precarium; siquidem precarium, de quo vel minimum hoc iure agitur, est quaedam donationis species, seu potius patientia, qua quis rem suam vtendam, fruendam concedit, cuius reuocatio pendet ex mero arbitrio concedentis, nullis terminis conclusa, sed cum libuerit, ad differentiam commodati, & donationis in *l. 1. § 2. de precario, & cap. fin. hoc tit.*

II.

II. Precaria vero naturam longe diffimilem habet, quae non potest ad nutum reuocari, sed sapit naturam emphyteuseos, vel libellariae, & est proprie cessio vsusfructus, ἐπ' ἀντιδώρω, in remunerationem facta ei, qui bona sua donauit ecclesiae. Quae cessio fieri solebat tam clericis, quam laicis ad certum tempus, vel ad vitam; *cap. 5. concil. Tolet. VI.* cedentes enim bonis suis in fauorem, & utilitatem ecclesiae rogabant, & preces emittebant, vt eis vti, frui liceret, quamdiu viuerent sub aliquo annuo censu, & pensione quotannis exsoluenda, vt est in *legibus Alamannorum tit. 2.* & in formula precariae secundum legem Romanam, vel lustris singulis, vt in *cap. 1. hoc. tit.* quod quinquenni tempus erat olim frequentius, vt scribit SICVLVS FLACCVS, adeo vt si quis locaret feudum in plures annos, non intelligeretur locasse in plures, quam quinque, *l. si. in lege. locati,* & in *formula 5. lib. 2.* apud MARCVLPHV M, & in *formulis incerti Authoris,* quas edi curauit BIGNONIVS *cap. 41.* vt *aliae precariae,* inquit, *de quinquennio in quinquennium renouentur, istam non sit necessè renouandi.*

III. Aliquando census aliquis pro renouatione persoluebatur, quem nouel. LEONIS 12. εἰσδεκτικὸν vocat, quia si census non exigeretur, periculum erat, ne longo silentio ab ecclesiae ditone possessiones subtraherentur. FLODOARDVS *lib. 3. cupiens,* inquit, *euadere periculum, ne silentio suo census ipse depereat, & villa in alodem vertatur.* Aliquando nullus persoluebatur census, sed tantum sub conditione melioris culturae, & ad *beneficium vsufructuario ordine excolendum,* vt loquuntur formulae, tenere permittebatur; quod videre licet apud eundem FLODOARDVM *lib. 2. cap. 1.* vbi Suauegotta regina partem villae donatam ecclesiae Remensi impetrat a Mapinio praesule, vt pecario nomine Tendechildis filia sua possideat.

IV. Et licet precariarum natura circa res immobiles versetur, tamen & in pecunia numerata locum habuisse constat, ex concil. Leptinensi sub Zacharia I. & ex concil. Ratisbonensi sub eodem Zacharia, in quo Carolomannus in belli subsidium pecuniam ecclesiam precariae titulo sub annuo censu accipit; licet enim esset mutuum, tamen benigniori nomine precaria dicebatur.

V. Apud iurisconsultos dicitur *praestitum,* a verbo *praestare,* quod est commodare, quod vocabulum licet barbarum in in ea significatione

re-



tinuit TRIBONIANVS, & posuit in *l. ult. C. quod cum eo*; eo etiam vsus est OPTATVS *Milevit. lib. 3. ne conuenirentur*, ait, *pro praestitis suis*, & GREGORIUS *lib. 2. epist. 10.* & MARCVLPHVVS *lib. 2. prestus equorum* vocitat. Sed vt precarium apud iurisconsultos maxime differt a precariis istis, seu precaturiis, sic enim dicebantur etiam in formulis, & in *synodo Epauuensi cap. 18.* ita & hoc praestitutum, siue mutuum a praestaria.

VI. Proprie precaria erat libellus, quo quis post donationem a se factam vsufructum petebat. Praestaria vero erat charta, seu instrumentum, quo possessiones illae vel sub censu annuo, vel a quinquennio in quinquennium renouandae tradebantur; fatis fidem facit propria praestariae formula apud MARCVLPHVVM *lib. 2. cap. 40.* Praestare possessionem est tradere in *capitular. CAROLI CALVI cap. 20. in Sparnaco*, & in *l. 8. § 33. locati*, reddere, vel remittere significat. Has autem precarias, seu praestarias non multum antiquas esse constat; cum mentio nulla earum reperiatur ante concilium Beluacense, cui Ludouicus imp. interfuit *cap. 13. in can. precariae. 10. q. 2.* Nam quod in *cap. 2. hoc tit. § can. de precariis*, ex concil. Carthagin. a palea refertur, nugae sunt, & paleae, nulla enim mentio de his in eo, sed est constitutio Lotharii, quae refertur in *legibus Longobard. tit. 8. lib. 3.*

VII. Quomocunque sit, precariae illae, seu possessiones precario datae reuocabantur, & renouabantur, vt & constitutiones Caroli M. stricte imperant, & si temere concessae fuerant ab antecessoribus, nil oberrat, quin possent facile reuocari, vt ait *d. cap. eodem fere sensu*, quo FLODOARDVS in *hystoria Remensi: Recepit*, inquit, *villas ecclesiae; quas antecessor suus per precarias, seu praestarias concesserat.* Antecessor, vt hoc obiter moneam, est praedecessor apud eundem FLODOARD. *lib. 2. hyst. Remens. quoniam sui antecessores hoc facere non sunt ausi.* Vid. MEVRS. in *Lexico: Graeci προπάτωρες* vocant, MAVRITIUS *lib. 11. cap. 12. V. l. 1. C. de sentent. § interlocut.*

VIII. Et quia sine ratione, & modo concedebantur precariae, tandem euanuerunt, id enixe postulauit IVO a Paschali II. in *epist. 271.* & in *Martyrol. ecclesiae Carnotensis*, tandemque obtinuisse, & ad effectum perduxisse refert: *minoratas*, inquit, *omnes huius ecclesiae, & precarias in communes rededit vsus.* *Minoratas* vocat res, & possessiones ecclesiarum

H H

ab

aliis detentas, & diminutas. CAROLVS M. l. 7. cap. 104. Quod bonores sacerdotum, & res ecclesiarum auferre, vel minorare noluissemus. Minorare idem est, quod minuere. can. tota. 12. q. 2. can. quicumque. 12. q. 4. GREGORIUS III. epist. 124. quae est inter epistolas Bonifacii; hinc & minutiae possessionum in cap. ex literis. inf. de pignoribus. Abusus enim ille percrebuerat, vt vniuersae possessiones ecclesiae harum precariarum nomine tum a clericis, cum a laicis detinerentur, sine villo fructu, & prouentu, quo ecclesiae fruerentur, vt idem Iuo demonstrat.

---



---

T I T V L V S . X V .

D E

C O M M O D A T O .

I. **R**ecte post titulum de precario, agendum de *commodato*: quia vterque contractus gratuitus est, & fit ex mera liberalitate concedentis, voluntatis enim, & officii magis est, quam necessitatis, l. in commodato. ff. commodat. & vterque proprie fit de rebus immobilibus, vel quae vsu non consumuntur, quamuis improprie & de pecunia, vt apud PLAVTVM in *Asinaria*, & de aqua apud eundem in *Rudente*, & in l. 3. §. fin. ff. commodati. Sed in eo differentia est, quod precarium est ab initio, & ex post facto liberum; non item commodatum, cuius conditio expleri debet, quae initio constituta fuit; omnes enim contractus ab initio sunt voluntarii teste ARISTOTELE 5. *Ethicorum*, solum precarium semper.

II. Commodato geritur negotium inter dantem, & recipientem, & quod initio ex nutu, & arbitrio pendebat, conuertitur in mutuas praestationes, actionesque ciuiles, ideo ante vsu non reuocatur; cap. 2. in fine. hoc tit. oportet enim nos iuuari, non decipi. l. quod ob gratiam. de reg. iur. Hoc ius est in gratiam recipientis; quia & e contrario ob beneficium tenetur de dolo, & lata culpa: in his enim, quae gratia fiunt accipientis praeter dolum, & latam culpam, solet leuis, ac leuissima culpa reputari, l. si vt certo. ff. eod. non tamen casus fortuitus, nisi culpa acciderit, tunc enim ei imputatur, l. 1. C. eod. vt si in alios vsus conuerterit, quam quibus res data erat, l. eum, qui. ff. eod. vel si pactum inter-

interuenerit, conuentiones legem faciunt. *cap. contractus. de reg. iuris in 6.*  
 Pactum tamen vt dolus non praestetur, non valet, quia destruit bonam  
 fidem, *l. in commodato. ff. eod.* etsi moram fecerit commodatarius. *cap.*  
*mora. eod. l. in rebus. ff. eod.*

III. Quae omnia, & plura alia, quae adduci in hanc materiam  
 possent, haufit penitus Gregorius ex iure ciuili, secundum tamen legem  
 Diuinam, *cap. 22. Exodi*, quod refertur in *cap. 1. & 2. in 1. compil.*  
*hoc tit.* & de industria omiffa sunt a Raymundo, quod non sint ad  
 amiffim obseruanda.

## TITVLVS XVI.

DE

## DEPOSITO.

I. **D**epositum simile est commodato, & precario, nisi quod depofi-  
 tum gratia tantum dantis fiat, *l. 1. §. penult. ff. eod.* & depo-  
 fitario nec vsus, nec abusus conceditur; *l. Lucius. eod.* adeo vt si inuito,  
 vel ignorante domino apud se depositum facculum, vel argentum quis  
 contrectauerit, depositi, & furti teneatur actione, vt est in *cap. 232.*  
*lib. 7. capitular. & cap. 30. lib. 6.* Congruit cum precario, quod quan-  
 documque voluerit deponens, repetere possit. *l. 1. §. penult. l. si in*  
*Asiam. ff. eod.*

II. Differt ab utroque, quod proprie dicatur de pecunia, impro-  
 prie de aliis rebus, *can. ius naturale. dist. 1.* quod in eo nulla admittatur  
 compensatio, sicut in aliis contractibus, si causa sit liquida. *l. fin. C. eod.*  
 vel liquere possit intra duos menses, *l. 1. l. aufertur. §. qui compensationem.*  
*ff. de iure fisci*, in hoc praestatur tantum dolus, & lata culpa *μεγάλη*  
*ἀμέλεια*, vt loquitur BALS. *ad can. 92. synodi VI.* non vero leuis: quae  
 omnia iudex ex qualitate personarum, & rerum debet arbitrari, & ex-  
 pendere. *l. dolum. C. de dolo. cap. 2. de renunciat. in 6.*

III. Contractus omnino est bonae fidei, & quodammodo religiosus,  
 quod religioni alterius, & fidei committatur. IUVENAL. *satyra 13.*

*Sacrum quod non reddat amicus*

*Depositum.*

HH 2

Et

Et eleganter SYNESIVS *epist. 4. in naui constitutus naufragium imminens deplorasse se*, ait, quod Thrax suus hospes, pecunia deposita si periret, fraudaretur, qui eum etiam mortuum pudore, ac rubore affecisset, *ἐὶ θρᾶξ ἀποσεγήστοιτο χρημάτων ἕνεκεν ἐν καὶ ἀποθανῶν ἂν ἤχυνόμην*. Aliquando & de leui, & leuissima tenetur culpa depositarius, si se ipsum deposito obtulerit, *l. si quis. § l. rogasti. ff. si certum petatur*, si se periculo depositi illigauerit, vt loquitur IULIANVS in *l. 1. §. saepe. eod.* vel si aliquid pro custodia acceperit, *cap. 2. hoc tit.* tunc enim gratia vtriusque versatur, vel si culpa, vel mora interuenerit. *cap. mora. de reg. iur. in 6.* Haec, & alia adduci possent, quae cum omnino proficiscantur ex iure ciuili, non sunt ultra disquirenda.

## TITVLVS XVII.

DE

### EMPTIONE, VENDITIONE.

I. **A** contractibus, qui vnus maxime intuitu fiunt, ad eos, qui vtriusque commodum spectant, veniendum est.

II. In contractu emptionis, venditionis tria potissimum requiruntur, *consensus, res, & pretium*. Consensus, quia est iuris gentium, res, vt appareat, quis sit venditor, pretium, quis sit emptor; *l. 1. ff. eod.* his enim distinguitur, & dignoscitur a contractu permutationis ex sententia Proculianorum contra Sabinianos, qui inter hos contractus discrimen non admittebant, ex Homeri auctoritate. *§. item pretium. hoc tit. apud Iustinian.*

III. Cuius sententiae ratio haec erat, quia olim numorum signatorum vsus pene incognitus erat, vt EUSTATHIVS in *Homerum* refert; licet Saturnum *aes* primum signasse, & imagine notasse dicatur apud TERTULLIANVM in *apologet.* & Ianum, apud MACROBIVM *lib. 1. cap. 7.* supra dicta PAVLVS confirmat in *l. 1. ff. de rerum permut.* & in *d. l. 1. eod.* ait enim electam esse materiam, cuius publica, & perpetua aestimatio, difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subueniret; publica erat ob formam, seu caracterem publicum, vt fraudibus occurreretur, & haec est natura huius contractus, vt numos puros, probos, publi-

publicos soluat emptor, & eos faciat venditoris, alioquin subest in eum actio venditi. *l. ex empto. ff. de actionib. empt.*

IV. Sicut e contrario debet venditor merces, de quibus actum est, dare, seu potius vacuam possessionem, quam ACCURSIVS asininam vocat, tradere, dummodo caueat quodammodo de euictione, & se ab omni dolo, & fraude eximat; *d. l. exempto*, unde & alienam rem vendere licet, *l. rem alienam. ff. de contrab. empt.* & licet res emptori auferri possit, tamen euictione ei subuenitur, nisi emptor institutum contra se iudicium venditori denuntiare neglexerit, vt est in *cap. fin. hoc tit.* fortius enim, & accuratius rem venditam defendisset, vtpote magis de iure suo certus, *cap. cum quis. de reg. iur. in 6.* vel si pertinaciter venditor non comparuerit, aut vadimonium deseruerit. *cap. 2. sup. de dolo, & contumacia, sed per iniuriam*, vt Gregorius ait, in *cap. fin. hoc tit.* Quod totum desumpsit ex *l. emptor. C. de euictionib.* ex qua debuerat non simpliciter decerpisse haec verba, *per iniuriam*, sed etiam cum verbo sequenti *iudicis*; tunc enim iudex litem suam facit, & litis periculum subit, cum dolo malo, vel imprudenter perperam iudicat. *l. 2. & 16. C. Theod. quorum appellat. non recipiantur.*

V. Sunt & alii casus, quibus euictio non praestatur, quos hic Gregorius recenset, si emptor sciuerit rem alienam, vel de euictione non cauerit, *l. si fundum. C. de euict.* si res perierit vitio suo, *l. Herennius. ff. eod.* denique alios quamplures, quos hic recensere superuacaneum esset, & ultra metam laboris. Non solum autem in euictionem venit restitutio pretii, sed etiam quanti interest emptoris rem habuisse, *l. venditor. de euictionib.* sicut etiam quandocunque cessante euictione deceptus fuerit in qualitate rei emptor, siquidem venditor ignorans vitium rei, tenetur actione quanti minoris, sciens, quanti interest, *l. 13. de actionib. empt.* quae poena reticentiae vocatur apud M. TVLLIVM 3. offic. & distinguitur a simplici mendacio, ex quo venditor tenetur tantum quanti minoris. *l. si minor. C. de act. empt.*

VI. Aliae sunt causae, quibus subuenitur venditori, quae non ratione rei, sed pretii eueniunt, quando deceptus est ultra dimidiam iusti pretii; tunc enim optionem habet venditor, vel rem recuperandi, vel hyperocham, siue residuum aestimationis accipiendi; *cap. cum dilecti, & cap. cum causa. hoc tit.* in quo quaestio est de casamentis vili pretio venditis. Per *casamenta* intelligit, vt & IVO epist. 105. & 197. domos rusti-

cas cum terris, & agris dependentibus, Gallice, *ferme*, quibus etiam feuda intelliguntur apud FVLBERT. *epist.* 6. vocantur etiam *casae*, & *casata* apud CAROLVM M. *in capitul.* vocabulum est barbarum, Latini, *coloniam*; SENECA *in praefatione declamationum*: *Infra coloniam meam me continui.*

VII. Reliqua quae in hoc tit. sunt, non tam ob utilitatem priuatorum proponuntur, quam ob publicum exemplum, & vt fraudes detegantur; quamuis enim iure ciuili contrahentes se inuicem decipere possint, hoc tamen non ad fraudes alias, quam quae in aestimatione concurrunt, extenditur. Puniunt leges ciuiles etiam carius vendentes, quam edicta in foro permiserint, vt de coemptione Sitoniae Graeca constitutio habetur *in l. vlt. C. vt nemini liceat. in coempt. C. lib. 10.* lege Iulia poena viginti aureorum statuitur *in l. 2. ad l. Iuliam. de annonam*: poena etiam *in cap. 1. hoc tit.* decernitur, quo cura presbyteris, id est episcopis demandatur, sicut & *in d. constit. Graeca*, & *in l. 1. C. de episc. audient.* His artibus vtentes a PLINIO, *annonam flagellare* dicuntur, ab VLPIANO, *vexare*, & *onerare*, *in l. annonam. de extraord. criminib.* a VARRONE, *incendere*, & *excandefacere*, a LAMPRIDIO, *vastare.*

VIII. Similiter damnantur, & puniuntur, qui falsis ponderibus & mensuris vtuntur *in cap. 2. hoc tit.* quod ius sumptum est ex lege Diuina, *cap. 25. Deuteron.* & tenentur lege Cornelia de falsis, *d. l. annonam.* Hi homines a Graecis *σιτοκαπήλαι*, & *τιμοκαπόλαι*, καὶ θαλαυτωκλέπται dicuntur. Talis fuit Barspames legionum praefectus sub Iustiniano, trapezita callidus, & adeo solers, vt cum eo contrahentes celeritate digitorum deciperet, vt narrat SVIDAS. Tam ob pondera, quam mensuras iniustas poena quoque statuitur *in cap. 2. hoc tit. & cap. 1. infra, ne clerici vel monachi; ob pondera dolosa*, vt loquitur *can. non adferamus. 24. q. 1.* & MICHAELAS propheta *cap. 6.* exemplo Hebraeorum, qui pondus iniustum vocabant *lapidem doli*, eo quod pondera erant ex lapidibus, vnde dicebant *satzal*, *lapidare*, deducentes a *scatzal*, quod est ponderare. Iudaei in his artibus maxime excelluerunt: vnde AMOS propheta *cap. 8.* ait eos, *minuere epham*, id est mensura minuta, seu macilenta vendere solitos.

TITV.

T I T V L V S XVIII.  
DE  
DE LOCATO, ET CONDVCTO.

**L**ocatio, conductio, quasi emptio est; & locator, conductor, emptor & redemptor dicitur apud FĒSTVM: emptionis enim verbum promiscuum fuit, *l. veteres. ff. locati*, ideo superiori tit. hic recte connectitur.

II. Est autem locatio, conuentio nuda fruendi, vel vtendi sub certa mercede; vnde res, quae vsu consumuntur, non veniunt in hunc contractum. Merces est vel pretium, vel pensio, vel reditus, vel vectigal, siue ἐνοίκιον, quod singulis annis, vel de quinquennio in quinquennium, vel aliis terminis prout conuentum est solet praestari, *l. si in lege. ff. locati*: OVIDIVS de Ponto:

*Nunc longi reditus bastae supponere lustrī  
Cernet, & exacta cuncta locare fide.*

Et hoc quidem genus locationis ἐκδοσις apud BALSAM. *can. 12. syn. septimae*, concessum & permissum est hoc iure; nec enim alienationis verbo continetur sola locatio, quae fit in perpetuum, id est vltra decem annos, vel vt est in nouella IVSTIN. 120. vltra 30. annos; tunc enim venditio est, teste HYGENO *lib. 2. de limitib. constit.* & dicitur alienatio, vt notat gloss. in *cap. unico. Clement. de reb. ecclesiae alienand.*

III. Iusta sane, & aequa dabet esse merces, nam qui res ecclesiae vili pretio locaret, nihil ageret, velut si vno nummo; tunc enim fieret precarium, *l. si quis. 10. de acquir. posses. l. si quis. 49. ff. locati*. Quis enim dubitat, quod sub vilissima duorum denarionum pensione perpetuo concedatur vtendum, alienatum in fraudem esse, vt dicit *cap. 9. lib. 2. Feudorum*: hoc semper intenditur, vt si non melior, saltem deterior non fiat conditio ecclesiae, & supplendum est ex *antiqua compil. in cap. 2. hoc tit.* in quo locatio, seu datio ad firmam, firmatio, vt alii dicunt, decimarum, recte contrahitur cum his, qui meliorem faciunt conditionem.

IV. *Firmae* vocabulum sumpsit originem ex *constit. ZENONIS in l. 34. hoc tit.* qua intra annum licebat resilire a contractu, & expellere conductorem;

ctorem; sed quia fides firma dabatur non recedendi, locatio dicta est *firma*. *cap. ult. inf. ne praelati vices suas*; vel, vt alii volunt, a mercede certa, & firma, quae promittebatur, contractus dictus est *firma*; sicut & *fixum*, seu *infixum*, & *fictum*, seu *infictum*, & *affictum*, in *cap. fin. de restitut. spoliat.* vulgari Italorum vocabulo *fictare*, *infictare*, & *affictare*, quod est locare: *fictum* etiam, seu *affictum* sumitur pro ipsa pensione, seu mercede, sicut *habitationis* sumitur pro mercede habitationis, siue propensione, quae pendi solet apud SVETON. in *Iulio*; Graecis τὸ ἐνοίκιον, significat proprie pensionem habitationis, apud IULIVM POLL. *lib. I. cap. 8.* & *σεργονίμιον* apud IVSTINIANVM, *novel. 43. c. 3. 88. c. 2. & 120.* & CONSTANT. HARMENOP. *lib. 3. tit. 8.* hac pensione soluta nihil iuris in re habet locator, *l. quaero. §. inter. ff. locati*, OVID.

*Omnia conductor soluit, mercede soluta*

*Non erit officio debitor ille tuo.*

V. Quatuor tantum casibus expelli posse conductorem adiicit ex iure ciuili ante tempus conductionis expletum, *cap. propter. hoc tit.* quorum vnus est, si non soluerit canonem, seu pensionem per biennium. *l. Iulianus. §. offerri. de act. empt. cap. ult. hoc tit.* Secundus, si malitiose & peruerse versatus fuerit. *l. aede. C. de locato.* Tertius, si domus indiget refectione. *l. si duo. §. hoc interdictum. ff. uti possidet.* Quartus, si in domo velit habitare, *d. l. aede*: vel aliqua necessitas interueniat, quae praeuisa non fuerat, causa illa est reciproca, & vtrique tam locatori, quam conductori fauet, *d. l. si in lege. §. si domus. ff. locati.* Aliquando contractus non est reciprocus, vt cum sterilitas aliqua, vel casus acciderit, propter quae solet remitti pensio, sed non infringi contractus, nisi compensetur illa sterilitas cum vbertate praecedentis anni. *d. cap. propter.* Sterilitas autem est exempti gratia, *lues tempestatis*, vt loquitur imp. in *l. licet C. eod.* quae est grando, edacitas quoque gracculorum, & locustarum, quam PLINIVS. *lib. II. cap. 19.* vocat *iram deorum*, ἄεσι βίαν, & CIC. *3. de nat. Deorum*: *Vredo*, inquit, *aut grando si quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit.*

VI. His & similibus casibus exceptis, standum est contractui; adeo vt nec conductor, seu inquilinus expelli, nec locator expellere possit, *cap. I. hoc tit.* in quo vetat CLEMENS III. ne ante finitum tempus locationis, alii aedes, vel coenacula conducant; quae constitutio licet iure  
sub-



subnixa, tamen sub poena excommunicationis de nouo refigitur in gratiam vniuersitatis ciuitatis Bononiensis; ne si fas esset hospitia praeuia quadam pacto in antecessum conducere, lites, & contentiones orirentur inter scholasticos: id verendum erat propter magnos studiosorum concursus, qui in eam celebrem academiam confluebant, quae olim fundata fuit a Theodosio, qui & ciuitatem ipsam dirutam iussu S. Ambrosii restaurauit, vt narrat VOLATERRANVS, & refertur in vita ipsius. Tanta erat multitudo studentium, vt non nisi summo pretio aedes conducerentur, sicut Romae aliquando refert SVETON. loco citato; *annuam etiam habitationem vsque ad bina millia nummum*: hoc erat in summa rerum perturbatione propter caesaris absentiam; Harpocratio 12. drachmas pendi solitas ait, quas in aerarium inferebant, *μέτοικοι ἀνά δραχμὰ δύο καὶ δεκα πέντε ἐνὶ αὐτῇ εἰς τὸ δημόσιον ἐτέλεον*, inquilini vocabantur *μέτοικοι*, & merces *μετοίκου* apud DIONEM CASS. Ius autem edendae constitutionis huius non solum episcopo Bononiensi, vtpote studiorum principi & moderatori competebat; sed etiam legato pontificio, quod Bononia sub ditione esset summorum pontificum, vt videre licet apud BARONIVM.

## TITVLVS XIX.

DE

## RERVM PERMVTATIONE.

I. **P**ermutationem rerum ecclesiasticarum sub titulo, & nomine alienationis contineri iam satis dictum, adeo vt illicite factam rescindi debere constitutum sit, *cap. 7. hoc tit.* illicite, scilicet cum facto proprio, non attento consensu, episcopi, vel eius, qui habet ius institutionis. *cap. ex frequentibus. sup. de instit.*

II. Aliquando non solum episcopi, sed regis auctoritas fuit quaesita, vt apud BURCH. *lib. 3. cap. 172.* FLODOARDVM *hyst. Rem. lib. 2. cap. 19.* qui consensus vocabatur *praecipuum concambii in traditionibus Fuldensibus*, & apud MARCVLPVM: rationem non aliam quaerere debemus, nisi quod reges patroni, & largitores bonorum ecclesiae fuerunt, quorum interest dotes ecclesiae saluas manere. Interuenientibus vero necessariis

II

solen-

solennitatibus sine dubio permutationes valebunt, *can. precariae. 12. q. 2.* vt si res spiritualis cum spirituali, temporalis cum temporali commutetur, *can. nemini. 16. q. 7.* adeo vt si inaequalitas pretii interueniat, possit pretio, quod minus est, suppleri, *cap. ad quaestiones. hoc tit. dummodo pecunia rerum spiritualium compensatione non erogetur. cap. fin. hoc tit.*

III. Quod ius & ad omnia beneficia detortum est, quorum permutationes licitae sunt, & fiunt, compensatis, & ad aequalitatem redactis fructibus, refusa etiam hinc & inde pecunia, quasi scilicet non ratione tituli, & ecclesiae, sed reddituum, qui mere temporales & profani sunt, interueniat pretium, quod an sapiat simoniam, videant, qui his artibus negotiantur. Certum est, pretium non tam efficere permutationem, quam emptionis contractum, vt *tit. de emptione* diximus; ideo vt eluatur simoniae labes, duo separatim fiunt permutationis contractus, vnus ratione spiritualium; nulla inaequalitatis habita ratione; alter ratione possessionum, & fructuum, in quo aequalitas admittitur, *d. cap. ad quaestiones. hoc tit.* quo velo tegitur simonia.

IV. Si spiritualis pro temporali possessione detur, sine dubio simonia est, *cap. querelam. de simonia*, vna tantum exceptio proponitur in *cap. 1. hoc tit.* si permutatio rerum ecclesiae fiat cum rebus imperatoris, vel reipubl. ita enim permutationem factam inter Richardum Angliae regem, & Walterum archiepiscopum Rhotomagen. videmus apud INNOCENT. III. *lib. 1. epist.* & in synodo Siluanectensi, principi commutationes cum ecclesia facere licet: quod ius sumptum est ex *nouella IVSTINIANI 7. & 120.* hac adiecta cautela, vt imperator non possit acceptam rem ecclesiae in alium deinde transferre, ne videatur sequester, & procurator illicitae venditionis, *nouell. 55.* antea non licebat agros, vel alia bona in principem quouis titulo transferre. *can. 12. syn. VII. Constantinop.*

V. Est & aliud permutationis genus, de quo vel minimum in hoc tit. permutatio scilicet illa, quae statum & conditionem rei vertit & turbat, mutat & imminuit, vt si dignitas suo splendore priuetur, & in personatum conuertatur; tunc enim permutari dicitur in *cap. ex parte. supra, de constitutionib.* Diuisio quoque praebendarum est permutatio, seu status mutatio, *can. lege. d. 10.* ideoque prohibetur in *can. praecipimus. 16. q. 1.* Translatio quoque episcoporum, & praelatorum mutatio est, *can. mutationes 7. q. 1.* nam, vt ait, FESTVS, permutari proprie dicitur, quod

quod ex vno loco in alium transfertur, cum aliud pro alio substituitur. Vnio quoque beneficiorum, est permutatio, illicita, nisi accedente consensu & auctoritate episcopi, vel summi pontificis *d. can. mutationes. can. & temporis. 16. q. 1.* in quo ob necessitatem fit unio Cumanæ ecclesie cum Musitana; vbi non est legendum Musitanam, sed Misenam, vt est apud GREGORIVM *epist. 31. lib. 2.* Fit etiam permutatio, cum ecclesia de loco suo in alium transfertur. *can. nemini, & can. si quis. 16. q. 7.*

VI. Porro hic titulus conceptus est de rerum permutatione; rei nomen multa complectitur, & primum quidem res tam corporales, quam incorporeales, *l. 1. de rerum diuision.* res corporales hoc iure intelliguntur tam mobiles, quam immobiles, vt sunt patrimonia, & possessiones ecclesie, vasa, ornamenta, τὰ ἱερὰ κειμήλια, & aliae, quae reculæ, resculæ, siue reiculæ vocantur in *capitularib. cap. 192. lib. 7.* & apud IVONEM *epist. 91.* Incorporeae res sunt iura, tituli ecclesiarum, beneficia, patronatus, dignitates, status, & conditio, quae dicitur etiam res apud VIRGILIVM *6. Aeneid.*

*Hic rem Romanam multo turbante tumultu*

*Sistet eques.*

## TITVLVS XX.

DE

## F E V D I S.

I. **C**um de modis alienationum actum sit, de feudo iure agendum, quod est species alienationis; concessio enim in feudum facta reuocari non potest. *cap. penult. supra, de reb. ecclesie al.* Nec solum res ecclesie in feudum dari possunt, sed in feudum datae reuocantur. *cap. vlt. eod.*

II. Quid autem sit feudum, princeps iurisconsultorum late docuit; sed non est praetermittendum, originem sumpsisse primis temporibus, quibus Romani victrices aquilas vbique gentium praetulerunt; agri enim capti ex hostibus diuidebantur per centurias, & assignabantur militibus, vt refert HYGENVVS, *lib. de limitib. agr.* & SICVLVS FLACCVS *lib. de conditionib. agr.* qui agri, quia ex beneficentia & liberalitate principis accipiebantur, dicebantur beneficia: & commentarii, in quos agrorum forma, diuisiones, & fines referebantur, libri beneficiorum, qui olim lintei erant

II 2

apud

apud eundem HYGENVUM *lib. 1.* milites quoque vocabantur beneficiarii. Inde TERTULLIAN. *aduersus Hermogenem* ait: *tribus modis aliena sumi, iure, beneficio, impetu.*

III. Agri ea conditione dabantur, vt eos possiderent, colerent, tuerentur, *l. ult. §. pro limitaneis. C. de off. praef. Africae,* & principi fidem, & militiae munus, aut aliud seruitium exhiberent, vt videre licet apud LAMPRID. in *Alexandro,* & VOPISCVM in *Probo: veteranis,* inquit, *Isauriae loca donauit, addens, vt eorum filii ab anno octauo decimo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur:* & sic liberalitates illae dici coeperunt beneficia; nondum vero feuda, sed munera regia dicebantur, apud MARCVLPHVUM *lib. 1. cap. 12.* & beneficia regalia in *capitularib. lib. 1. cap. 132.*

IV. Quae quidem primis temporibus, vt plurimum vita accipientium finiebantur, *cap. ex parte. 2. hoc tit. & satis liquet ex tit. 48. lib. 2. Feud. si quis,* inquit, *ea lege dederit, vt ipse, & sui haeredes habeant, non esse proprie feudum:* propria natura feudi erat instar precariarum, sed tandem effectum, vt talis concessio iure feudi censeretur, vt ibi nominatim dicitur. Ideo saepius in beneficiorum constitutionibus clausula perpetuae donationis adhibebatur apud MARCVLPH. *lib. 1. cap. 17.* primum enim effectum est, vt ad libitum non posset auferri, nisi post annum, postea ad vitam, subinde ad filios, tum ex lege Conradi ad nepotes, fratres, & patruales transfret. *tit. 1. §. & quia vidimus. lib. 1. feud.*

V. Irrepente cum seculis barbarie beneficia dici coeperunt feuda, quasi *leuda;* leudum enim significat fidelitatem apud Saxones, & *leudes* fideles apud GREG. TVR. & AMMONIVM *lib. 3. cap. 80. & 91.* eadem ratione, *vassos,* Saxones dicunt *lassos,* vt probat PITHOEVUS in *glossario capitularium,* in verbo, *wassi,* & NITHARDVS *hist. lib. 4.* de Saxonib. loquens: *Sunt, qui lassii illorum lingua dicuntur,* hi pro varietate dialectorum *laiti, lidi, liti,* & *litones* vocitantur. Feudum igitur idem fuisse cum beneficio, nemo negare potest; id satis testatur RADEVICVS *lib. 1. cap. 22.* Cum enim Hadrianus pontifex Friderico aenobarbo se multa beneficia contulisse exprobrasset, excusat se beneficium eo sensu non accepisse pro feudo, sed pro bono facto: dici pariter coeperunt beneficiarii, leudes, feudatarii, vassi, vassalli, & *antrustiones,* id est fideles a vocabulo *trustis* dicta fidelitas in *legib. Salicis* apud MARCVLPHVUM *lib. 1. cap. 18.* & alibi.

VI.

VI. Exemplo regum, & imperatorum beneficia fieri, & dari coeperunt ab ecclesia, & qui accipiebant leudes, beneficiarii, & feudatarii erant ecclesiae, vt satis constat ex *capitularibus CAROLI M. & legibus Alamannorum*, homines, vulgo dicebantur, *FVLBLRT. epist. 14. Nostris hominibus nouam engariam induxit.* Non quidem aperte licuit res ecclesiae in feudum dare; nam & rerum, quarum alienatio prohibetur, nec feudi constitutio potest valere, *tit. 3. §. 1. lib. 3. feud.* vnde & si episcopus, vel quiuis alius res ecclesiae in feudum dederit, titulus ille, seu constitutio nullum habet vigorem, vt est in *tit. 6. episcopum, vel abbatem, &c. lib. 1. feud.* haec autem feuda, quae secum trahunt fidelitatis, & obedientiae iuramentum, quod nostri *homagium, hominium, hominiscum* dixerunt, nunquam contemplatione personarum sed rerum, & possessionum detentione introducta fuerunt, ideoque in eiusmodi feudis, quis sit detentor, siue laicus, siue clericus non inspicitur.

VII. Principes, duces, & alii recte ecclesiis, quae ius domini habent, obsequium praestant; sicut e conuerso ecclesiastici regibus, & principibus: & summa illa contentio inuestiturarum in episcopatibus, quas reges sibi vindicabant, res & possessiones ecclesiae respiciebat, quarum occasione sibi plenam dispositionem, & collationem arrogabant, vt disertè scribit *IVO CARNOT. epist. 63.* cum tamen nimis hoc arduum, imo & periculosum esset; quod & ideo reprobarunt *GREGORIUS VII. in synodo Rom. in can. si quis deinceps, & sequentib. 16. q. 7.* & *VRBANVS II. in concilio Claramontensi*, vt legitur apud *WILLELMVM MALMESBURIEN. lib. 4. cap. 2. in vita Willelmi II.* praetextu enim rerum temporalium, ius sacrum, & spiritale sibi vindicabant, beneuolentia saepe summorum pontificum, qui primis temporibus, cum propter acerbos ecclesiae hostes caput erigere non possent, id ius principibus derferebant; tum quod etiam principes electionibus ita praererant, vt omnis dispositio episcopatum, & praelatorum penes eos esset, *can. Reatina, & sequentib. dist. 63.* vnde *IVO* sui temporis calamitates videns, grauiter arguit dictorum pontificum constantiam in damnandis inuestituris, quae manu regum fiebant, non quod improbaret eorum querelam, sed quod huic morbo mederi eos non posse videret, ideo aequius putabat, & tutius, si siluissent; *Istarum, inquit, institutionum transgressiones, aut districtius essent, aut interim silentio premendae.*

VIII. Et sane in hoc impietatis genus deducebant inuestiturae ecclesiarum, vt inuestiti nullo alio consecrationis beneficio opus habere crederent, quod schismaticum iudicat *IVO epist. 33.* & haereticum, *epist. 237.* inuestitura enim cum sit sacramentum, & sacrum signum, non potuit nisi ab ecclesia sacramentorum matre impertiri. Horum pontificum temporibus euanescere coeperunt abusus illi, reseruato tamen iure principibus, quod eis ratione possessionum competere debuit, *cap. nimis. sup. de iureiur. FVLBERT. epist. 14.* ad principem Normannorum: *Multa bona fecistis ecclesiae S. Mariae, nos quoque pro illis animae vestrae, corporique vestro fideles sumus, vnde & hodie fidelitatis iuramentum ante consecrationem regi Galliae praestant nostri episcopi, reseruato etiam fidelitatis, & obedientiae iuramento summo pontifici, ratione spiritualis administrationis. cap. 2. sup. de iureiur. cap. antiqua. infra, de priuilegiis.*

IX. Soli pontifices, qui munus consecrationis accipiunt, fidelitatem vouent summo pontifici, pro fide, pro obedientia, pro vnitate, *cap. significasti. sup. de elect.* ceteri clerici, & presbyteri obedientiam, *in cap. quod super. de maiorit. & obedient.* & sic est intelligenda regula illa *LVCII III. in cap. vlt. de reg. iur. sumpta ex cap. 2. in 2. compil.* a consuetudine ecclesiae esse alienum pro spiritalibus facere homagium, quod & *ALEXANDER III. in cap. ex diligenti. infra, de simonia,* damnat. Fiebat autem hoc iuramentum tam fidelitatis, quam obedientiae data dextera, apud *IVONEM epist. 90. & 182.* quae & apud antiquos erat fidei sedes, vt refert *XENOPHON, & TACITVS 2. Annal.* vel etiam manu posita super altare, vt constat ex *epist. 227. lib. 15. reg. INOCENTII III. ad capitulum B. Martini Turonen. ex bibliotheca Fuxensi Tolosae,* in qua abbatissa Bellimontis obedientiam, reuerentiam, & subiectionem manu posita super altare archiepiscopo praestat.

X. Feudum ergo, vt ad materiam nostram redeamus, non potest constitui in rebus ecclesiae, nisi ex summa necessitate, id est, res ecclesiae non potest dari in feudum, nisi seruatis solennibus, & ex causis, quibus alienationes posse consistere supra diximus. Et quod in *cap. vlt. huius tit.* proponitur; non statuit huius regulae exceptiones alias, sed loquitur de feudo ecclesiae iam constituto, quod episcopus nouo vafallo dare potest, nihil enim noui facit, *cap. vt super. de reb. ecclesiae alien.* sic etiam quando feudum reuertitur ad ecclesiam, non morte feudatarii, sed propter

pter alienationem factam inconsulto clero. Quibus casibus episcopus consanguineos, & confortes inuestire potest, sicut etiam licentiam alteri dare, qui feudum alienatum suis impensis recuperet, dummodo id ab ecclesia tenere recognoscat, *cap. per tuas. de donationib.* quae est sententia *capitis ult. huius tit.*

---



---

T I T V L V S   X X I .

D E

P I G N O R I B V S , E T A L I I S  
C A V T I O N I B V S .

I. **P**ignoris datio licet non sit re vera alienatio, est tamen causa, & materia, qua peruenitur ad alienationem, licet teneat creditor pignus, id sibi non possidet, sed debitori, & debitor quasi per eum possidet, cum dominus remaneat, *l. cum notissimi. §. cum illud. C. de praescript. 30. annor. l. cum & sortis. §. fin. de pignorat. act.* tamen est conditionalis venditio, si non solvatur intra tempus debitum, vt ait **MARTIANVS** in *l. si fundus. §. fin. de pignorib.* inutile enim esset pignus, quod aliquando distrahi non posset; quin & pignus domino fructus adimit, & creditoris facit, vnde recte alienationis nomine continetur. *cap. nulli. supra. de reb. eccles.*

II. Ideo res ecclesiae temere, & inconsulto episcopo, & clero in pignus dari non debet, nisi ex necessitate *cap. 1. hoc tit.* in quo *vadium* dicitur pro pignore, sicut *vas* dicitur sponfor apud **NONIVM**; nec enim fidei datae tutior vas est, quam res ipsa, vnde apud Graecos vocatur *ἐνέχυρον*, ab *ἐχυρον*, quod est tutum, firmum praesidium: **INNOCENTIVS III.** barbaro vocabulo dixit *gageriam* in *cap. 1. superioris tit.* & mentio saepe in *Capitularibus* vadii, vnde & *vadiare*, quod est oppignorari in *legibus Ripuariorum: vadiare per stipitem* dixit **INNOCENTIVS III.** *lib. 2. regist. epist. ad mag. & fratres militiae templi*, quod est per stipulationem. *Vadium* significat etiam multam pecuniariam, in concilio Cabillon. II. *cap. 18. & 4. Capitular. cap. 20. & vadiare*, multam exsoluere in eisdem *Capitularibus*.

III

III. Ergo in pignus, seu vadium res ecclesiae dari non possunt, & qui facto proprio id fecerit, tenetur suis sumptibus recuperare, *cap. 3. hoc tit. can. sacerdotes. 12. q. 4.* ideo in *cap. 1. hoc. tit.* vestimenta, vasa, libros, & supellectilem omnem ecclesiae oppignorari non licet, *l. sancimus. C. de sacros. ecclesiis*, ratione potissimum ducta ex constitutione cum CLEMENTIS I. in *epist. 2. ad Iacobum*, qua ea, quae in sanctuario fuerint, male tractare vetat, tum SYXTI I. qui ab aliis, quam sacratis hominibus res sacras contrectari noluit, ne pro talibus praesumptionibus iratus Dominus plagam populo imponat: ob id tot decreta edita a sanctis patribus habemus *dist. 23. Et de consecrat. tota dist. 1.* Cum enim tanta cum obseruantia in sacris vasis Iudaeorum statutum esset, vt non nisi tecta filiis Caath portare, nec quae in sanctuario erant videre, liceret, nisi hyacinthino operta velamine, *Numeror. 4.* multo magis in noua lege.

IV. Alia ratio, qua talis impigneratio reprobatur, est, ne diuinum officium intermittatur, minuatur, vel labefactetur, defectu eorum, quae ad sacrum ministerium, & ornatum requiruntur; exemplo constitutionum imperatorum, quae vetant arma militum oppignorari, vt Athenis constitutum refert SVIDAS. Similiter libri, qui sunt *arma literaria*, apud PETRUM DE VINEIS, *lib. 3. epistolarum*, & in *cap. 1. Et 3. hoc. tit.* in quo *breuiarii* pignus interdicitur, quod an sit liber, adhuc mihi non liquet: an vero per breuiarium intelligat ALEX. III. chartulas, seu libellos, *breuia*, *breuicula*, quibus nomina & rationes ecclesiae inferebantur, de quibus in *l. 5. C. de conueniendis fisci debit. lib. 10. ἀργυροπρακτικὰ βρεβία* in Basil. *ecloga 7.* an vero enchiridion precum, quod in glossis dicitur *βρεβίων*, *oratrix*, vel officium quotidianum, videnda *observatio 12. lib. 2.*

V. Sed ad rem; arma quoque rustica, quae excolendorum agrorum causa desiderantur, personae, & boues aratorii pignori dari non debent, *l. pignorum. C. quae res pignori oblig. Nouella IVSTINIANI 7.* quae ratio fuit, cur Romae poena capitis in bouum occisores decreta fuerit, apud VARRONEM *lib. 2. cap. 5. de re rust.* tum etiam, quod boues olim curfui publico, & sacrificiis destinati essent, *l. 1. C. Theod. de cursu publico.* Hos, & mulos, & asinos hac necessitate exemit IULIANVS *d. l. 1. & 53. C. Theod. SOCRATES lib. 3. cap. 1.*

VI. Haec enim omnia, quamuis non sint sacra, tamen religiosa sunt, sicut monumentum, quod obligari vetatur in *l. si monumento. C. quae res pign.*



*pign. oblig.* sepulchrum est extra causam bonorum *l. pro herede. §. Et ideo de acquirend. heredit.* nec liberis tam iure successionis, quam memoria humanae conditionis accedit. *l. penult. ff. de conditionib. instit.*

VII. Liber homo similiter pignori dari non potest, *cap. 2. hoc tit.* nisi sit redemptus ab hostibus, qui quoad persoluerit *uere suum*, *λύτρον*, id est, *pretium redemptionis suae*, ut est apud ROGERVM, in *legibus Willelmi Normanni Angliae regis*, est in potestate redemptoris, & ei vinculo pignoris naturalis, non ciuilibus obligatur, *l. 2. de capt. Et postl.* nec tantum viui hominis, sed nec mortui pignus locum habet; sublata est enim haec impietas creditorum, qui corpora defunctorum iure pignoris detinebant. S. AMBROS. *lib. de Tobia. cap. 10.* Vidi ego a foeneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum foenus exposcitur. Desiccabant etenim cadauera, & domi asseruabant, ut ex HOMERO refert STOBAEVS, quae immanitas ab Aegyptiorum institutis emanauit, apud quos lex erat, ut qui pecuniam mutuam acciperet, cadauer patris obligaret, quod ut impium, & irreligiosum damnauit IUSTINIANVS, *nouella 60. cap. 1.*

VIII. Seruos vero pignori dari posse ait iurisconsultus in *l. generaliter. ff. qui Et a quib. manamiss. lib. l. 3. C. de seruo pignori dato*, quod non habet locum iure nostro; mancipia enim ecclesiastica non possunt in usus profanos per pignoris dationem conuerti, *cap. mancipia. supra, de rerum permut. can. 14. concil. Chalcedon.* nisi talibus dentur personis, quae ecclesiasticae utilitati inseruiant. *can. ecclesiasticis. 12. q. 2.*

IX. Haec sunt, quae pignori obstringi iure non possunt; quod si obstringantur, id fit cogente ecclesiae necessitate, pro qua & vendi, & distrahi omnia debent, & possunt, multo magis pignori obligari. In hoc tamen contractu praeter ius ciuile statuitur, ut fructus sorti accedant, id est imputentur in sortem, *cap. cum contra hoc. tit.* adeo ut accedentibus ad sortem fructibus, pignoris sit facienda restitutio, *cap. 2. de usuris*; usura hoc iure improbatur, *cap. conquestus. eod.* sicut & pactum legis commissoriae, *cap. significante. hoc. tit.* exemplo iuris ciuilibus in *l. fin. C. de pactis pign.* hoc etiam addito, ut iuramento firmari non possit. *cap. 1. de iureiur. in 6.*

X. Haec ad partem primam rubricae: quae sunt in *cap. vlt. alteram attingunt, Et aliis cautionibus*: quibus verbis intelligitur cautio

K K

fructua-

fructuaria, de qua in *l. 4. §. ult. de verb. obligat.* usufructuarius enim cauet arbitratu boni viri, usurum se salva rerum substantia, & finito usufructu restitutum, *l. usufructu. C. de usufr.* & haec cautio ἀσφαλεία fit nuda promissione, *l. sancimus. C. de verb. signif.* sine fideiussoribus, sine pignore, sine iureiurando, fide data, apud HARMENOP. & THEOPHILVM: aliquando data fide cum iuramento, dum in caput, & salutem propriam iuratur, quae cautio vocatur ἐξωμοσία a BALSAMONE in *cap. ult. concil. Chalcedon.* id est cautio iuratoria; si res sit, quae usu consumatur, superuacanea esset illa cautio de re restituenda, quae ideo adstringit ad pretii restitutionem: quae omnia ex iure ciuili congeffit hoc loco Gregorius.

---

T I T V L V S XXII.

DE

F I D E I V S S O R I B V S.

I. **R**ecte subsequitur tit. de *fideiussoribus*, qui est de fatisdando, titulum de pignoribus & cautionibus, quid enim aliud est fatisdare, quam cauere, fideiussoribus datis, vadibus datis, sponforibus, expromissoribus? *l. 10. de in rem versō. l. ult. quod cum eo*: nec fatis fuit *superiori tit.* vetare, ne res ecclesiae temere nexu obligentur, & quasi deuoueantur, sed etiam visum fuit, clericos fideiussionum vinculis adstringi non debere; *cap. 1. hoc tit.* proposita regula sumpta ex *canone apost. 20.* vel ex *concilio Cantuarenfi*, vt vulgo habetur, vel ex *concilio Carthag.* vt in *antiqua collatione*: damnatur depositione clericus non quidem fideiubens, sed κληρικὸς ἐγγύας δίδες, fideiussioni deditus, frequens in fideiubendo, vt glossa etiam aduertit: tantum enim abest, vt is, qui raro fideiubet, qui non negotiari solitus, pietate, & rationabili casu ductus id agit, peccet, quinimo meritorie agit.

II. Damnantur igitur, qui quasi meretrices, & prostibula pro sponfionibus huiusmodi causa lucri, vel alia turpi de causa frequenter huic negotiationi inseruiunt, quos arguit SALOMON *cap. 20. Prouerb. Noli esse cum bis, qui desigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis*, quod refertur in *cap. 2. primae compilationis*, rationem reddit IOAN. ZONA-

RAS,

RAS, ne implicentur litibus; & negotiis secularibus, & nimium lucri sint cupidi: addam ego aliam rationem propter frequens iuramentum, quo fideiussoribus adstringuntur debitores, vt supra dixi, ideo recte ait Salomon, eos defigere manus, & animas suas: *defigere* dixit, pro *deuouere*: sicut PLINIUS *lib. 14. cap. 2. defigi diris deprecationibus* dixit, quod proprium est sortilegorum, VIRGIL.

*Io Colbiacis animam defigere votis.*

III. Tales defixiones, & comprecationes frequenter periuria sequuntur, quae vitanda maxime clericis. *cap. querelam. supra, de iureiur.* Vnde D. HIERONYM. in *cap. 1. in prima compil.* non dixit fideiussores manus suas defigere, sed animas, quod talibus curis praepediti vacare verbo Dei impediuntur, *can. te quidem. 11. q. 1.* sola charitatis contemplatio laudatur. *can. quoniam. 16. q. 1. can. videntes. 12. q. 1.*

IV. Tunc enim remedia iuris fideiussori dantur: primo, vt indemnitati eius consulatur, si soluerit pro reo, *cap. 2. hoc. tit. §. si quid. instit. eod.* secundo, vt per canonicam distictionem, seu censuram a fideiussione absoluator, si a creditoribus molestiam patiat, *cap. constitutus, & cap. vlt. hoc tit.* id est, si appelletur ante tempus solutioni praestitutum, si debitum crescat, si diu in solutione cessauerit reus, & steterit per eum, quominus creditori satisfaciat, si vergere incipiat ad egestatem, & si ipse fideiussor condemnatus sit, qui casus hausti sunt ex iure ciuili in *l. Lucius. mandati*, debet debitor suum fideiussorem seruare indemnem, vnde in *cap. 2. hoc. tit.* ait instrumenta debiti esse sigillo episcopi munienda, vt fides maior eis habeatur; in quo nota fidem, & auctoritatem sigilli episcopi, cuius sola etiam verba magni esse ponderis, ait PETRVS BLESENSIS, *epist. 51.* Verba episcoporum vim iuratoriam in se habent, vt in eis iusiurandum fit, quod est verbum simplex in aliis. Abbates olim creditoribus ad securitatem fideiussores quidem non dabant, sed monachos obfides. *cap. 9. de iureiurando.*



## TITVLVS XXIII.

DE

## SOLVTIONIBVS.

I. **O**bligationem fequi debet *folutio*; ideo poft contractus superiores iure agendum fuit de folutionibus, qui modus praecipuus eft tollendae obligationis, *§. 1. quib. mod. tollitur oblig. apud Iuftinian.* & diffunditur ad omnes alios cafus, quibus fatifactio fieri poteft, *l. folutionis. de verb. signif.* veluti acceptilationem, nouationem, ceffationem, transactionem, & alios cafus plures, fine quibus nec folui, nec tolli obligatio poteft.

II. Addit hic Gregorius alium, fi egeftate & inopia laboretor clericus, in *cap. Odoardus. hoc tit.* qui modus non tollit obligationem proprie, fed fufpendit, cum venerit ad pinguiorem fortunam, quod etiam iuri ciuili confonum eft in *§. fin. inftit. de actionib.* quia tamen durum, & afperum nimis videbatur, vt in debitorem clericum canonica diftrictione faeuiretur, noluit excommunicationem in eum ferri poffe, nifi propter contumaciam, *can. epifcopi. 11. q. 3.* at debitor inops contumax dici nequit, cuius inopia creditoris actionem excludit. *l. nam is. de dolo.*

III. Et in eo notanda eft praerogatiua ecclefiae, quae non patitur clericum cedere bonis, militis exemplo, in *l. miles. item. ff. l. de re iudic.* clericus enim miles eft Chrifti, qui pugnat aduerfus principes mundi, nempe malos fpiritus, *D. AVGVST. epift. 70. ad Bonifacium comitem in silentio*, inquit, *pugnant milites Chrifti, non vt occidant homines, fed vt expugnent principes, & poteflates, & fpiritualia nequitiae, id eft diabolum, & angelos eius: & epift. 38. ad Laetum*, quam quidam Paulino tribuunt: *Iefus Chriftus cum fit rex noster, reges appellat milites fuos: & haec militia coeleftis liberat etiam a patria poteflate, nouella 81.* ficut facit militia togata, *l. vlt. l. de confulib.* fatifacere igitur creditoribus tenetur clericus, quatenus poteft, ita vt in ordinis clericalis opprobrium mendicare non cogatur. *can. diaconi. 93. dift.*

IV. Porro ne ipfi fraudes attexant in perniciem creditorum, quibus fubueniendum pariter eft, dum plerumque fine heredibus moriuntur,

tur,

tur, ideo sicut filius patri agnoscitur heres, & eius debita exsoluere debet, ita & clericus clerici, episcopus episcopi onera creditorum sustinere debet; *arg. can. quia Ioannes. 12. q. 5. & can. conuenior. 23. q. 8.* is enim, qui in locum defuncti successit, omnes tam utilitates, quam onera suscepisse videtur, quod ARNVLPHVS *Lexouienfis* episcopus disertè scribit *ad abbatem S. Ebrulsi.*

V. Ratio generalis est, quia omnes episcopi & clerici, fratres sunt, & apostolorum filii, & heredes, vt ait P. BLESENSIS *epist. 51.* sunt inuicem sibi succedentes, nec enim proprie dici possunt filii suorum praedecessorum, sed fratres potius, cum non a defuncto, sed a superiori, qui est *pontifex maximus, episcopus episcoporum*, vt ait TERTVLLIANVS *lib. de pudicitia*, accipiant institutionem, & a quo vniuersarum ecclesiarum pendet ordinatio, vt scribit P. BLESENSIS *epist. 165.* hoc autem, quod diximus, intelligendum est de oneribus, quae pro ecclesiae necessitate contracta sunt, nam ad alia successor non tenetur, *can. hoc ius. §. de iis. 10. q. 2.* quia tunc non vt praelatus, sed vt priuatus quis contraxit. *cap. ex praesentium. supra, tit. proximo.*

## TITVLVS XXIV.

DE

## DONATIONIBVS.

I. **T**otus hic titulus, excepto capite primo, tractat *de donationibus*, quae non fiunt ecclesiae, sed ex rebus ecclesiae, quae sunt species alienationis, *cap. nulli. de reb. al. & cap. 1. de iis, quae fiunt a praelat.* ideo rectè attextitur superioribus titulis.

II. Rerum ecclesiasticarum rectè prohibetur donatio, quia est alienatio: donare, perdere est, *l. filiusfam. de donat.* & vt ait TERTVLLIANVS, *lib. de patientia; non piget donare ei, qui non timet perdere;* quamuis enim qui donat, non perdat omnino, quia beneficii debitorem iure gentium acquirit, *l. si pignore. §. 1. de furtis*, tamen in perniciem, & dispendium ecclesiae iura non permittunt donare; imo pro non donatis habentur, quae ab eis dantur, qui ius donandi non habent. *cap. quod autem. infra, de iure patron.*

KK 3

III. Vt

III. Vt valeat donatio, & rei quantitas, & qualitas inspici debet, quae si minima sit parui ponderis, adstipulante loci consuetudine, talis donatio facta ab episcopo valebit, *cap. ceterum. hoc tit. cap. cum nobis. de electione.* Sicuti quinquagesimam partem fructuum ecclesiae suae potest episcopus donare pro monasterii constructione, vel centesimam pro amplificatione cuiusdam ecclesiae in sua paroecia sita, in qua sepulturam suam elegerit, *cap. apostolicae. hoc tit. quod ius sumptum est ex concilio Tolet. IX. in can. penult. 12. q. 2.* In his monasteriis constructis ius patronatus acquiritur ipsi episcopo, & per eum ecclesiae, de cuius bonis liberalitatem illam exercuit, *can. apostolicos. 12. q. 2.* quin & in ea donatione cleri consensum adhiberi debere confirmat *can. si episcopus. ead.* quem desumptum esse ex eodem Tolet. concilio notat vulgaris inscriptio, cum tamen in eo non reperiatur: quo fit vt existimem Gratianum hanc clausulam de suo addidisse, propter nouum ius ab Innoc III. in concilio Lateran. editum, quo tales donationes quinquagesimae citra consensum capituli, aut sedis apostolicae auctoritatem improbantur. *cap. pastoralis. supra, de iis, quae fiunt a prael.*

IV. Datio in feudum, est etiam donatio, quae & ideo prohibetur, vt dixi, nisi sit potius redintegratio feudi; aliud est de nouo in feudum dare, aliud feudum antiquum concedere, *cap. consuluit. de Iudaeis,* quae concessio non est tunc donatio, cum fiat ex prioris actus consequentia. *cap. per tuas. hoc tit.* Similiter non potest episcopus ecclesiam alicuius uentis alteri donare, imo nec collegio, vel monasterio, sine assensu plebani, *cap. consultationibus. hoc tit.* vel capituli, ad quem ecclesia spectat, *cap. pastoralis. cod.* sed nec hodie vlllo modo licet id episcopo, etiam cum consensu plebani: ecclesiam curatam vniuersitati alicui vnire, vel adiungere vetat *concilium Trident. sess. 24.*

V. De alio quoque genere donationis agitur *hoc tit. in cap. 1.* quae non continetur sub nomine alienationis, imo potius est modus acquirendi, & commodum ecclesiae respicit. Olim multis modis fiebat, & multis nominibus ornabatur, vt in *cap. 2. supra, de consuetud.* vocatur *scotatio.* Vide *observationes.* Erat quidem donatio rerum immobilium, quae gramen, vel herbam, vel glebam fiebat, quam donans altari imponebat, sic Otharium Aquitaniae ducem fecisse refert AIMONIVS *cap. 4. lib. de miraculis S. Benedicti;* sic donatio Mathildis, ecclesiae Rom. facta fuit  
per

per cultellum, festucam nodatam, quantonem, guarrascionem terrae, atque ramum arboris. Et quod notandum, is qui res suas, & se dabat monasterio, coronam in capite ferebat ad exemplum monachorum: locus celebris est in *cap. 1. de successione ab int. in tertia compil. Cum archipresbyter de Alerio se, & sua ad participationem orationum monasterio de Bruxeria obtulisset, de manu cuiusdam fratris eiusdem coenobii augmentationem coronae in signum oblationis accepit.*

VI. Dicebatur etiam donatio, *roga*, ab erogando apud ANASTASIVM, in *vita Deusdedit, Bonifacii, & aliorum*, quam quidem rogam magis fuisse rerum mobilium, facile crediderim, utpote supellectilis, vel nummorum stipendium, seu donatium, unde *ρογάτορες* stipendiarii dicuntur apud CODINVM *de officiis aulae Const.* & apud NICETAM *ρογεύειν*, significat *erogare*. His nominibus tales donationes appellabantur, quia maxime a principibus, & nobilibus personis fiebant; unde est, quod GREGORIUS I. in *dicto cap. 1.* laudat mirum in modum nobilitatem generis, quod ultro liberalitatem exercent, & hoc nobilibus innatum sit, ut vinci in eo genere a nemine patiantur; in has laudes perspicue diffunditur GREGORIUS *epist. 17. lib. 12.* unde sumptum hoc caput, in qua enixe precatur nobiles Galliae, ut patrimonium ecclesiae, & pauperum tueantur. Id argumentum nobilitatis ex liberalitate erga ecclesias pulchre adducit etiam BERENGOSVS *abbas lib. 3. de laude, & inuentione s. crucis, cap. 2. tom. 2. Bibl. ss. patrum*, extollens nobilitatem Helenae imperatricis: *insuper*, inquit, *praediorum eius copiae ecclesiae Dei olim undique collatae bene declarant, quam nobilissima polleret generis antiquitate.*

VII. Postremum huius tituli respicit reuocationem donationis iam factae ob causas ingratitudinis, sed an ingratitudo locum habeat in rebus ecclesiae donatis? Gregorius animum conuerterat hac in parte ad ius ciuile: dubitem quidem, an ex superuenientia liberorum, donatio facta ecclesiae rescindatur, & ad hoc ius canonicum *lex, si unquam. C. de reuocand. donat.* accommodetur, quod in foro conscientiae ita seruandum docet D. AVGVST. *sermone 49. de diuers.* *Quidam*, inquit, *cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donauit ecclesiae: nati sunt illi filii, & reddit episcopus; in potestate habebat non reddere, sed iure fori, non iure poli.*

TITV.

## TITVLVS XXV.

DE

## PECVLIO CLERICORVM.

I. **M**ateriam alienationis rerum ecclesiae respicit adhuc iste titulus, & sequentes; cum enim modi acquirendi inspiciantur; quibus clerici suum faciant, quod acquirunt, & de *peculio* disponere possint, id fit in praeiudicium ecclesiae, & tale peculium, quo quid abest, & subtrahitur ecclesiae, est quoddam genus alienationis.

II. Peculium igitur esse, quidquid alicuius labore, & industria comparatur, & vel vt proprium patrimonium referuatur, notum est ex **FESTO**, & iurisconsulto in *l. peculium. ff. de peculio*. Clerici similes sunt filiisfamilias; sicut enim hi paternis sacris, ita illi diuinis addicuntur, & quidquid acquirunt, id totum ecclesiae acquirunt, sicut filii patri, excepto Castrensi peculio, quod filiis referuatur (& quasi castrensi) adiecit **TRIBONIANVS** in *l. filiusfamilias. de donat.* Clerici sunt milites Christi, vt dixi *supra*, *tit. de solutionib.* quibus iure acquiruntur quasi castrense peculium, & de eo libere disponere possunt, constitutione **LEONIS** in *l. sacrosancta. C. de episc. & cler. & can. episcopi, & sequentib. 12. q. 1.*

III. Quod maxime effectum sumpsit beneficio **CONSTANTINI M.** ante quem clerici nihil possidebant, sed omnia siue mobilia, siue immobilia ad pauperum vsus conuertebantur, *can. futuram. ead.* sed postquam illis facultas acquirendi libera relicta fuit, quae & tyrannide eis antea adimebatur, quamuis essent in potestate parentum, tamen exemplo militum de rebus suis disponebant, ad instar peculii militaris, vt notat **BALSAMON** in *Pbotii nomoc. tit. 1. de fide cap. 31.* vbi nominatim excipit bona aduentitia, quorum dispositio clericis interdicta, quae clericalis militiae peculio adscribi non debeat.

IV. Episcopi quidem, quia per consecrationem liberantur a patria potestate, liberum ius in omnibus tam aduentitiis, quam castrensibus bonis habent, quod effectum fuisse *nouell. IVSTINIANI 81.* vulgo dicitur etiam a **CVIACIO**, quod non lubenter admitto; nam ipsa nouella indicat, antea solitum episcopum liberari a patria potestate; ait enim, *pa-*  
*lam*



lam esse, & ignotum nulli, ipsa ordinatione solitum episcopum liberari a patria potestate; quomodo id notum, si nondum promulgatum? hoc subolet BALS. ad eundem. tit. cap. 36. & ait ideo Iustinianum hanc constitutionem edidisse, quia cum plerique episcopi ordinarentur a metropolitanis, putabant quidam eos tunc non liberari a patria potestate, sicut quando ordinabantur a patriarchis.

V. Porro castrensi peculio, seu quasi castrensi non adnumerantur bona, quae ex redditibus ecclesiae episcopi, & clerici comparauerunt, quia eorum non aliter dispositio illis concessa fuit, quam in fauorem ecclesiae, ex concil. Carthag. in can. placuit. 12. q. 4. ideo can. 40. apostolorum, cogebantur episcopi tempore ordinationis suae res suas describere, ne postea cum quaesitis miscerentur; sed ut ea, quae ecclesiae sunt, ipsi feruentur, nec aliunde quaesita iis adimantur, quibus episcopus reliquerit, can. 24. synodi Antiochenae, quae est mens cap. 1. 2. & 3. hoc tit. Ut vero haec bona ex redditibus ecclesiae parta facilius discernantur, debet episcopus, vel clericus nomine ecclesiae emere, hoc est, quod ait d. cap. 2. ad ipsius ecclesiae scripturam faciat: quod si in fraudem ecclesiae nomine suo, vel alieno emerit, semper ea ecclesiae acquiruntur. cap. inquirendum. hoc tit.

VI. Licet vero clerici olim multas opes & possessiones comparassent, non eas tamen sibi priuatim, & peculiari iure adrogabant, sed communiter his utebantur: omnia ecclesiae bona primis temporibus communi clericorum vsui destinabantur, siue ob victum, siue ob vestitum, ut iam supra dixi, tit. de praebendis: iuxta id, quod est in cap. 2. & 3. actuum; nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, & cum clerici ad clericatum assumebantur, communiter viuendi normam profiteri solebant, ut scribit D. AVGVST. serm 49. de diuersis; adeo ut nefas esset, aliquem proprium quidpiam habere, & separatim a turba & consortio victitare: quae causa fuit maxime odii aduersus Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanae sedis antistitem, qui austerioris vitae amore, victum seorsim a clero sumebat, quod illi, qui bonae famae tanti viri infensi erant, & seueritatem, correctionemque vitiorum ferre non valebant, crimini vertere nitebantur, ut refert SOCRATES lib. 8. cap. 9.

VII. Hunc primum a communi regula recessisse comperimus, inde paulatim clerus diuidi coepit, & quisque stipendia sua sibi vindicare iure

LL

pro-

proprio, ex quo deinde sequior aetas conflavit praebendas, redditibus & bonis in portiones diuisis, quod damnat PROSPER AQTIVANICVS in *can. illi autem. 12. q. 1.* quia ex hac diuisione peculium emerfit. D. AVGVSTINVS hoc malum irreplisse cernens, suae ditionis clericos ad communem vitam redigere conatus est, *cap. 4. in prima compil. & sermone 49. entbecam*, inquit, *habere non licet*; ideo grauiter excandescens clericatus ius adimere malebat, quam vitae communis societatem infringere, *nulum ordinarem clericum, nisi qui mecum vellet manere, ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum.*

VIII. Peculii nomen non tantum hac significatione, qua & iurisconsulti, sed etiam ampliori & latiori accipere possumus, pro omni scilicet patrimonio ecclesiae, ex sententia SERVII in *primam eclogam*, quod constabat pecoribus; vnde Proculus pecuniam sine peculio fragilem esse dicit in *l. si chorus. §. 1. de legat. 3.* sic sumebantur in antiquis formulis MARCVLPHI *lib. 2. cap. 3. & 4. peculio*, inquit, *utriusque sexus maiore, vel minore*: in *legibus Longob. tit. 105. cap. 19.* & in *capitul. CAROLI M.* dicebatur etiam praesidium, quasi semotum, & segregatum ad summae necessitatis subsidium in *d. l. si chorus*: quod nomen passim apud formularum autores frequens erat: MARCVLPHVVS *lib. 1. cap. 12. cum terris, seu praesidiis eorum, & cap. 10. lib. 2. si amplius de praesidio nostro obuenerit*, & aliis locis innumeris.

---



---

## TITVLVS XXVI.

DE

## TESTAMENTIS.

I. **H**ic titulus cum superiori mire connectitur; quippe in hoc quaeritur, an, & quando testari episcopus, vel alius ex clero possit de peculio, quod comparauerat: semper enim tam episcopo, quam cuius clerico testari licuit de eo, quod iure proprio, non ecclesiae contemplatione, vel ex redditibus ipsius comparauit, quod innuit *concil. Carthag. can. 35.* SIDONIVS scribens Fausto papae, *epist. 9. lib. 9. vtraque laudabili actione decetas te relicturus externis, tua proximis.*

II. Qui-

II. Quinimo & haec facultas testandi de rebus propriis, episcopis concedebatur; si filios, aut nepotes haberent, quibus exceptis eas ecclesiae relinquere tenebantur, *can. 1. concil. Hispal. can. 33. concil. Agath. can. 4. synodi Rom. sub Syluestro*: imo quod magis innuit BALS. *ad can. 35. synodi Carthag.* tam episcopos, quam clericos de propriis aliquam partem, quantulacunque fuerit, ecclesiae expendere debuisse; quod ius tractum fuit & ad laicos; nam olim is, qui nihil ecclesiae relinquebat, sepultura in ea priuabatur, qui mos dudum in Francia locum habuit; apud Hispanos quintam quisque partem bonorum suorum hebebat relinquere, quod sua constitutione rex Ferdinandus sustulit, vt narrant historici.

III. Hunc autem modum testandi, episcopis concessum, restringit BALSAMON ad ea, quae ante episcopatum, quouis titulo acquisierunt, vel postea in episcopatu iure donationis, aut legati, non vero ad vllum alium quaestum: quasi velit innuere episcopis nullum industriae genus concessum esse, praeter hos modos: non ita de clericis, quos aliunde posse acquirere addit; nempe ex industria sua, cum possint fieri ludimagistri, scriptores, & secretarii, vel ex quolibet artificio, vt refert ALEX. III. in *cap. 9. hoc tit.* dummodo ars illa turpis non sit, vt agricultura in *can. presbyter. 91. dist.* & aliis plerisque modis, quos latius prosequemur in *cap. 1. ne clerici, vel monachi.* Episcopis non ita facile manibus suis operari, aut aliquod munus quaestuosum exercere licuit, quos & ideo testari tam libere canones non sinunt; sicut etiam vetant, ne possint quoscunque heredes facere, vtpote turpes & infames personas, de quibus in *l. fratres. C. de inoff. testament.* vt sunt *haeretici, in l. Manichaei. C. de haeret. & Graeci, id est gentiles in concil. Carthag. can. 25. 83. dist. cap. 6. de haeret.*

IV. Quod ius, & ad omnes clericos est detorquendum, qui quidem heredes facere non possunt de propriis bonis infames personas; de bonis ab ecclesia quaesitis nullos omnino, saltem nisi cum summa moderatione, & eo temperamento, vt quod relinquitur, parui sit momenti, & in eleemosynam, seu remunerationem conferatur, *cap. ad haec. hoc tit.* aliter nemo eis aegritudine laborantibus adesse vellet, *cap. 1. de cleric. aegrot. cap. relatum. hoc tit.* nec sine ratione illud eis conceditur, quia seruitium, seu famulatus, qui eis impenditur, videtur ecclesiae impendi, *can. quorum. dist. 68.* hinc tamen ex modica illa iuris indulgentia effe-

Etum, vt iure communi non solum de rebus proprio Marte quaesitis, sed etiam per ecclesiam, testari quilibet possit: nam certum est diutius legem durasse, ne vlli ex clero testari possent, quod ius in hac Tolosana provincia seruatum reperio vsque ad annum 1397. quo Petrus a sancto Martiale archiepisc. Tolosanus hanc licentiam dedit, & eius exemplo etiam capitulum S. Stephani, omnibus, qui ecclesias ad ipsius collationem, vel institutionem pertinentes possidebant, vt constat ex actis, quae in archiuo habentur. Solis in hac parte monachis exceptis, in *can. 6. syn. Constant.* qui, vt scribit BALSAMON, ante tonsuram poterant testari.

V. Vnde collige hisce temporibus annum probationis ad votum emittendum nondum fuisse constitutum; statim enim hoc ipso ingressu radebantur, & similes mortuis fiebant, vt idem BALSAMON refert. Nec est audiendus hac in parte LEO imperator, qui in *nouellis suis*, triente monasterio relicto, ex bessa in gratiam aliorum disponere concedebat; multo minus VALENTINIANVS, & MARTIANVS, qui plenam testandi facultatem dabant, *l. generali. C. de sacros. eccles.* contra sacrorum canonum autoritatem, *cap. 2. infra, de statu monach. can. non dicatis. 12. q. 1.* quam tuetur IVSTINIANVS in *nouella 5. § 76.* adempta monachis omni dispositione; adeo vt si fiant episcopi, ius testandi non habeant, nisi ex peculiari dispositione, D. THOMAS. 2. 2. q. 185. vt de S. Martino refert SVLPITIVS SEVERVS *cap. 7. Implebat episcopi dignitatem, vt non tamen propositum monachi, virtutemque desereret.*

VI. Non omnes religiosi huic iuri adstringuntur, sed qui votis ligantur. *can. religiosi. 12. q. 2. nouell. 5. 76. § 123.* Monachis adiungere possumus seruos, *can. illud. 12. q. 2.* & omnes illos, qui atrocis criminis rei sunt, vt publici vsurarii, *cap. quamquam. de vsuris in 6.* excommunicati, vt existimat gloss. in *can. decernimus. de sentent. excom. in 6.* & alii fere omnes, qui iure ciuili arcentur ab hac facultate.

VII. In omnibus ius nostrum, ciuile non imitatur, vtpote in solennitatibus testamentorum; quippe duos testes cum plebano sufficere contendit ALEXANDER III. in *cap. cum esset. hoc tit.* contra iuris ciuilis dispositionem, quod septem requirit *l. si vnus. C. de testament.* sed hoc restringunt doctores ad terras, & ditiones summi pontificis, non alias, quod iure pontificio non possit iuri publico derogari: nam Alex. III. in eo capite scribit Velitrensibus populis sibi subditis. Alii contra, Alexandrum

drum

drum iuri publico derogasse contendunt, vnde & in quibusdam Galliae partibus id obseruari notat CUIACIVS; nec mirum, cum testamentum coram solo principe factum, conscientia principis firmum sit, in *l. omnium. C. eod. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur*, ait IVSTINIANVS. §. *sed neque. C. de vet. iur. enucl.* & acta omnia imperfecta, auctoritate summi pontificis vim capiant, *cap. 1. de transact.* nec solum fide principis, sed etiam actis iudicum, & municipum firmari testamenta addit *d. l. omnium*, quia senatus vice principis est, *l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.* quod hodie maxime periculosum esset.

VIII. In legatis quidem ad pias causas relictis, defectus nil obest, *cap. relatum. hoc tit.* quod & ius ciuile antea probauit, seueritatem enim illam in ambiguis religionis quaestionibus remitti solere ait PAPIN. in *l. sunt personae. ff. de relig. & sumpt.* Legatorum piis locis deputatorum cognitio pertinet ad dioecesanum, id est, episcopum, vt loquitur *cap. Ioannes. hoc tit.* vel presbyterum, in *cap. 1. de empt. & vendit.* vel sacerdotem, cuius est etiam testamenti executionem procurare, *cap. nos quidem, & cap. si heredes. hoc tit. l. nulli, & constit. Graeca 45. C. de sacros. eccles.* quamuis id vetuerit testator *nou. 121. §. si quis autem*: quod ius apud paganos locum habuit, & pontifex maximus ad executionem eorum, quae pia erant, heredem compellebat. *l. hereditas. de petit. hered.*

IX. Quae causa esse videtur, cur episcopus in omnibus legatis ecclesiae relictis canonicam portionem, seu falcidiam habere debeat, *cap. officii. hoc tit.* quae vulgo quarta est, *cap. conquerente. de offic. ordin.* ad exemplum quartae, quam decuriones curiae relinquere tenebantur, *l. sancimus. C. de sacros. eccles.* quasi sit episcopus heres necessarius; haec portio incerta, & dubia est, pro regionum, & locorum consuetudine, *cap. certificari. infra, de sepult. can. de his. 10. q. 1.* vnde consuetudo cum spectetur, in totum repelli potest ab hac delibatione legatorum, *cap. de quarta. de praescript.* nec solum episcopi, sed & omnes clerici executores testamentorum esse possunt, imo & monachi, *secundum constit. LEONIS*, quam refert BALSAMON in *can. 3. synodi Chalced.*



## TITVLVS XXVII.

DE

## SVCCSSIONIBVS AB INTESTATO.

**I.** Post successionis ius ex testamento, deueniendum fuit ad id, quod ab intestato locum habet, de quo eadem fere statuenda est regula, quae in superiori tit. distinctione habita inter res ante episcopatum, vel post episcopatum acquisitas; de illis dubium non est, quin ecclesiae debeantur, de his, ita demum, si non sint, qui iure cognationis defunctum contingunt, vt ait *can. si episcopus*, & *can. vlt. 12. q. 5.* GREGORIUS in *cap. 3. primae compil.* id etiam confirmat CAROLVS M. *cap. 175. lib. 5. capitul. nouella* IVSTIN. 131. & *l. unica. C. Theodos. de bonis cleric. & cap. 1. hoc tit.*

**II.** Deficientibus proximis, & coniunctis succedit ecclesia, quae cum vxor sit episcoporum, & clericorum, *cap. inter. de translat. cap. quia. de cleric. non resident.* succedere debet ad exemplum iuris, quo datur bonorum possessio, *unde vir, & vxor*, episcopus, vel clericus miles est Christianus, cui succedit ecclesia, sicuti militi legio, *l. 2. C. de heredit. decurio. l. 2. ff. de iniust. nup. & cohortali*, seu apparitori praefidis prouinciae, cohortales eiusdem prouinciae succedunt, *l. 3. C. de heredit. decur.* & apud HARMENOP.

**III.** Exstantibus propinquis, si indicem, seu inuentarium fecerit episcopus, iuxta *40. can. apostolorum*, eo mortuo successio eis debetur, & statim possunt eam adire: quod si inuentarium non fecerit, post mortem exspectandum est, donec eius successor episcopus ordinatus sit, qui tunc discernet bona aduentitia, ab ecclesiasticis, vt scribit BALSAMON in *can. nulli. 35. syn. 6. in Trullo*, quod congruit cum concilio Valentino sub Ioanne II. multo antea, in *can. 3.* quo cauetur, ne sine metropolitani, vel comprouincialium episcoporum conscientia, propinqui quicquam intestati episcopi praesumant; ne forte cum hereditariis rebus, etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vsurpent.

**IV.** Intestatus porro dicitur, non is tantum, qui non facit testamentum, sed & qui non iure fecit, aut si iure fecit, heredes scripti incapaces

paces

paces sunt, vt refertur a BALSAMONE in *can. 84. syn. Carthag.* ad exemplum iuris ciuilib in §. I. *de hereditat. quae ab intest. deferuntur.*

---

T I T V L V S XXVIII.

DE

S E P V L T V R I S.

I. **S**uccessioni siue ex testamento, siue ab intestato locus esse non potest, nisi mortuo eo, de cuius bonis quaeritur; sed inter officia, quae defuncto reddi debent ab herede, praecipuum est *sepultura*, ideo recte hic titulus subiungitur.

II. Officium sepulturae, actus est humanitatis, & misericordiae; non quod aliquid conferat animabus defunctorum: curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exsequiarum magis sunt viuorum solatia, quam subsidia mortuorum, inquit D. AVGVST. I. *de ciuitate Dei cap. 12.* sed ideo non est contemnenda sepultura corporum, quia *his tanquam organis, & vasis sanctus spiritus vsus est*, inquit ipse *cap. 13.* solas animas rationales honorare nouimus solenni sepulturae honore, praesertim quod corpus fuerit animae bene, & sancte instrumento suo in certaminibus vfae receptaculum, vt vult ORIG. *lib. 8. contra Celsum.*

III. Nec enim reuocandum istud est ad veterum sententiam, qui inferni fluuium insepultos non posse transmeare credebant, sed ad misericordiae opera, quibus adstringimur; *si enim viuentes nudos operire praecipimur, quanto magis defunctorum corpora?* inquit D. AMBROS. *lib. de Tobia, cap. 1.* Hoc officium pietatis in legem versum est, quam ex institutis maiorum, & patriarcharum statuit LEO III. in *cap. 1. hoc tit.* in quo etiam libertatem vnicuique eligendi sepulturae locum praebet, contra veterem ordinem, quo quilibet maiorum sepulcra sequi tenebatur, quod Melchiades magno concilio definitum scribit, in *can. placuit. 13. q. 2.* illud concilium magnum quale fuerit, si quis Romanum, quo Donatistae sub eodem Melchiade condemnati fuerunt, non existimat, aliud scrutetur, quo id definitum reperiatur.

IV.

IV. Quicquid sit, primitus hic ordo statutus, ut quisque maiorum sepulcris infisteret, ubi lares quisque suos habebat, ubi sacramenta solebat percipere, *d. can. placuit*, & ut loquitur *can. ubicunque. ead. ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur mortuus*, a quo tamen iure recedere coegit necessitas familiarum, quae ita aliquando copiosae, ut eis vnum sepulcrum vix posset sufficere *d. can. unaquaque*: hinc factum, ut electio sepulturae libera fuerit facta a Paschali II. ut est relatum in *concilio Lateran. sub Alex. III.* dummodo minus religiosum locum quis non elegerit. *cap. fraternitatem. hoc tit.*

V. Hodie tamen, & quovis modo licet sepulturam eligere, etiam in loco minus religioso, *cap. cum quis. §. si quis. eod. in 6.* dummodo debita portio eorum, quae defunctus ecclesiae reliquit, referuetur paroeciae, quae portio varie assignata fuit, aliquando dimidia a Leone, in *cap. relatum. hoc tit.* modo tertia, in *cap. 1.* postea quarta ab Urbano III. ut refert Clemens in *cap. certificari. hoc tit. in 2. compilat.* quam etiam approbavit Innocentius III. in *cap. in nostra, seq. hoc tit.* & recte Urbanum III. auctorem dicit Clemens III. in *d. c. certificari*; quamvis inscriptio *capitis, cum super, Lucium III.* praeferat; quem errorem detegere licet ex *concilio Lateran. sub Alex. III. parte ult. cap. 63.* ubi *caput 7. huius tit.* quod praecedit dictum *cap. cum super* (& utrumque adscribitur Lucio III. in *hoc tit.*) Urbano III. tribuitur. Ergo ab Urbano assignata portio quarta legem fecit, quam saluam paroeciis fore voluit: *saluam iustitiam* dixit optime, eadem nempe ratione, qua, *iusta*, dicuntur exsequiae, quia ita sunt constituta, ut iure & necessario fieri debeant: dicta & *feralia*, a ferendis corporibus. OVID. 2. *Fast.*

*Hanc, quia iusta ferunt, dixere feralia lucem.*

Iustitia similiter dicta est, quia est iustitia, & exsequiis debetur, qui usus loquendi animadvertitur in epist. GOFERIDI *Vindocinensis* abbatis, & apud IVONEM *Carnot.* *Pauperum corpora si insepulta remanent pro ecclesiae iustitia, non ideo minus haberent de gloria.* INNOCENT. III. *lib. 1. reg. epist. 219.* ad decanum Vlixbon. *Recepta, inquit, a templariis iustitiae legitima cautione; alias pars illa vocatur, symbolum animae, vel pecunia sepulcralis* in *can. 12. & 13. concil. Aenbemensis* sub Vulstano archiepiscopo Eboracensi in Anglia.



VI. Porro haec portio (quod notandum) de relictis ecclesiae exigebatur; nam ultra quid aliud exigere pro sepultura **VRBANVS II.** vetuit in *concilio Claromont. cap. 8.* **INNOC. III.** sub poena simoniae in *cap. suam. infra, de simonia.* haec quartae exactio, hodie pene exoleuit, cum & consuetudo, quae legis vicem gerebat, euanuerit, qua quilibet fidelis ecclesiae partem bonorum suorum relinquere cogebatur, nomine, & titulo exsequiarum, quod ius mortuaria vocabant. *cap. officii. supra, de testament. cap. conquereute. de offic. ordin.*

VII. Hodie totum, quod pro exequiis impenditur, plebano debetur; si vero extra suam ecclesiam efferatur defunctus, saltem portio canonica, *concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 13.* dicta canonica, vt ostendatur vnumquemque ita deuoueri paroeciae suae, vt sine iniuria alio post mortem suam traduci non debeat, vnde **Clemens III.** optime dixit in *d. cap. certificari,* corpora mortuorum, quae alibi sepeliuntur, a sua ecclesia assumi, & nisi id ex voluntate certa defuncti factum fuerit, corpus recte e tumulo eruetur, & propriae ecclesiae restituetur, cum omni lucro, quod perceptum fuerat. *cap. ex parte, & cap. cum liberum. hoc tit.*

VIII. Sepultura propriae paroeciae dicitur dicitur perpetua, a qua extrahere corpora non licet, nisi ex licentia plebani, vel pontificis, *arg. l. ossa. de religios. l. 1. & ult. C. eod.* exstat capitulare **Caroli calui** in villa **Sparnaco** *cap. ult. Nec quisquam ossa cuiuslibet mortui de sepulcro suo eiiciat, aut sepulturam cuiusquam temerario ausu quoquomodo violet; sed vnumquemque in loculo sibi a Deo praeparato, atque concessio aduentum sui iudicis praestolari concedat, & in synodo Pistis, eadem fit querela, ideo sanctorum, & protectorum nostrorum corpora de sepulcris suae requietionis effossa sunt.* Aliis de causis nisi magnis extrahi e sepulcro cadauer non poterat, veluti ex causa, qua solet denegari sepultura, vtpote haereticis *cap. sicut. de haeretic. excommunicatis, cap. sacris. hoc tit.* manifestis vsurariis, *cap. quia. infra, de vsuris,* raptoribus, mortuis sine baptismo, & iis, qui sibi mortem consciuerunt: & e contrario non debent cum talibus personis commisceri Christiani, & eorum tumulis includi, ideo **D. Cyprianus Martiali** magno crimini vertit, quod filios apud profana gentilium sepulcra deposuisset.

IX. Porro sepulturae locus non in ecclesiis, si iure summo agatur, sed in coemeteriis est concedendus, & hic ordo veteris ecclesiae, qui si rite ecclesiasticae dignitati consuleretur, esset reuocandus; olim enim in-

tra ecclesiam sepulcra prohibebantur, vt videre licet apud D. GREGORIVM, *lib. 4. cap. 50. dial.* BURCHARDVM, & IVONEM, & innumeris locis, vt in *can. nullus. 13. q. 2.* & hoc secundum constitutionem antiquorum patrum, vt loquitur concilium Arelat. VI. sub Carolo M. *cap. 21.* quod sane maiori ratione fit, quam apud ethnicos; nam l. XII. tabb. defunctum intra moenia ciuitatis sepelire vetitum erat, apud TVLLIVM *2. de legib.*

X. In coemeteriis olim omnia martyrum corpora recondita erant, & summum habebatur solatium a fidelibus, quibus iuxta ipsorum reliquias quiescendi spes erat; vnde factum, vt respirante paululum ecclesia sub imperatoribus Christianis reliquiae martyrum in ecclesias intra ciuitates illatae fuerint, quasi in praemium certaminis pro Christo accepti, & victoriae triumphum: vt apud Romanos, qui victoriam in bello pro repub. reportassent, peculiari beneficio afficiebantur, vt intra urbem sepelirentur, apud PLVTARCHVM in *problemat. Rom. quaest. cap. 79.*

XI. Et consequenter zelus Christianorum eo vsque etiam sese effudit, vt intra ecclesias sepulturam ambierint, D. AMBROS. *serm. 77.* *Ideo a maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus corpora nostra sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat.* PAVLINS *epist. 43.*

*Vt de vicino sanctorum sanguine ducat,*

*Quo nostras illo purgat in igne animas.*

Et hanc sepulturam nullus potest iure proprio eligere, & sibi arrogare, sed ab episcopo in maiori, & matrice ecclesia, in minori & paroeciali a presbytero, seu paroeco obtinere debet, vt refertur ex concil. Meldens. *cap. 10.* apud BURCHARDVM *lib. 3. cap. 150.* & in constitutionibus RICVLPHI Sueffion. episcopi, quae exstant ad calcem operum HINC MARI *cap. 18.* *sepulturas mortuorum ecclesiastica honestate, & pietate vnusquisque presbyter disponat, & ne pro sepeliendis mortuis xenia exquirat.*



T I T V L V S XXIX.  
DE  
P A R O C H I I S, E T A L I E N I S  
P A R O C H I A N I S.

**S**uperiori titulo sepulturas mortuorum vnicuique ecclesiae, in qua sacramenta percipiuntur, & decimae praestantur, esse faciendas dictum fuit, quod ius communitatem, & vnitatem demonstrat parochiarum. Nunc consequenter de ipsis *paroecijs* agendum.

II. Paroecia est aliquod territorium, cuius incolae vnam, & eandem ecclesiam habent, dicta corrupto nomine parochia, id est vicinia, & paroeci vicini, apud Graecos, sicut *προσώικοι* IUSTINIAN. in l. 26. C. de *episc. aud.* ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἢ τῇ παραοικίᾳ, id est, in ciuitate, vel eius vicinia: sic in *psalmum 119. incolatum* septuag. interpretes *παραοικίαν* dixerunt. D. HIERONYM. ad *Galat. cap. 4.*

III. Dupliciter autem fuit accepta paroecia; aliquando ampliori significatione pro episcopatu, & dioecesi, vt in *capitul. CAROLI M. cap. 8. 9. & 11. lib. 1. vt nullus episcopus in alterius paroeciae ordinationes facere audeat*, & in *can. 14. 15. 34. & 35. apostolorum, concil. Antiocheno can. 9. & aliis locis innumeris*. Aliquando pro vnica tantum tribu, seu vicinia, cuius generis plurimae vno episcopatu subiacebant: vnde INNOC. I. in *epist. 8.* reprehendit Florentinum episcopum Tiburtinum, quod Nomentanam paroeciam ad Vrsinum episcopum pertinentem vsurpasset.

IV. Paroecia haec dicebatur etiam *plebes*, *concil. Africano cap. 87. & Rbegiensi can. 3. & Nannet. cap. 4. cum sacerdos, inquit, viderit aliquem infirmari in sua plebe: inde dictus plebanus, qui plebis, seu paroeciae curam habet, cap. cum olim. de praescript. & presbyter plebis, cap. 36. concil. Meld. plebani, seu paroeci institutionem simul cum episcopatum, & dioecesum distinctionibus natam esse declarat ANACLETVS I. epist. 3. cap. 2. episcopi non in castellis, aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella, & ciuitates, & villas debent ab episcopis ordinari, singuli per titulos suos.*

V. Nec enim primam titulorum, seu paroeciarum diuisionem tribuere debemus Dionysio; quamuis apud ANASTASIVM, & in *Pontificali* legamus, ipsum ecclesias presbyteris diuifisse, coemeteria, paroecias, & dioecesefes constituisse: ob perfecutionem Valeriani imperatoris turbata ecclesia, & eo demum mortuo a Gallieno paci reddita, opus fuit nouas paroecias confignare, vt notat BARONIVS; id munus praestitit Dionysius: nisi dicamus hanc diuisionem paroeciarum factam fuisse in vrbe Roma, vt septem regionibus, & paroeciis distingueretur: vnicuique ergo vico, seu viciniae presbyter vnus adscriptus est, qui cardini, seu curae ecclesiae inferuiens eam temere deserere non poterat, *can. sanctorum. 70. d.* cui sicut episcopo, subditos docere, verbum Dei praedicare, sacramenta ministrare onus incumbit, & animam suam pro ouibus suis ponere debet, estque in sua vicinia oculus episcopi, & primus post episcopum: sicut enim episcopi in locum apostolorum successerunt, ita presbyteri, seu plebani in locum septuaginta discipulorum: hoc aperte demonstrat ANACLETVS loco citato, THEODVLPHVS *Aurelian. epist. 1.* & FVLBERTVS *epist. 2. ad Finardum*, qui plebanos, curae pastoralis vicarios adiutores vocat, MONTANVS *episcopus Tolet. in quadam epist. ad concil. Tolet. II. adiecta: adiutores suos Dominus nostri laboris secundo dignitatis gradu esse voluit*: hoc sensu presbyteros per titulos vrbis Romae distributos secundi ordinis facit synodus Rom. IV. *can. 6.* hinc fit, vt praelati vocentur, *cap. cum ab ecclesiarum. de offic. ordin. cap. 4. de iudic.* & abbatibus anteferantur in concilio Emeritano sub Vitaliano papa *can. 11.*

VI. Eadem vero lex, quae circa fines, & terminos, inuicem episcopos obligat, & paroecos, nempe, ne quis contempta sua paroecia alienam inuadat, *d. can. 14. & 15 apostolorum*; ne clericus alienus ab alio episcopo praeter sententiam proprii episcopi suscipiatur, & ordinetur, & ei *λεϊτέργειν* concedat, sub poena excommunicationis. *can. 16. syn. Nicaenae, & can. clericum. 7. distinct.*

VII. Similiter nec paroecus alienae paroeciae quempiam suscipiat, ei sacramenta administret, & ad missam admittat, sed hunc statim ab ecclesia eiiciat, *cap. vt dominicis. hoc tit.* nisi in itinere plebeianus, id est paroecus fuerit, vel placitum, id est litem habuerit, vt ait *cap. 5. concil. Nannet. relatum a BURCHARDO lib. 2. & lib. 1. Capitul. Can. 15. apostolorum* videtur hanc legem imponere tantum clericis, non laicis, qui etsi insolentia

lencia

lencia, & contumacia absentes a propria paroecia alteri insistant, non propterea a communione sint arcendi, quem intellectum sequitur BALSAMON *syn. Nicaenae d. can. 16.* & *syn. Carthag. can. 68.* & ideo singulare est *d. cap. vt dominicis*, cum ait laicum etiam ab ecclesia arcendum.

VIII. Quod attinet ad clericos, ab alieno episcopo sicut nec ordinari, ita nec iudicari possunt, *cap. 3. hoc tit.* & ordinatio facta nullius est momenti, *can. episcopus. 7. q. 1.* sicut sententia ab incompetenti iudice lata est nulla, *cap. at si. de iudiciis*, *can. nullus alterius. 9. q. 2.* excommunicatio quoque nulla est, *cap. nouit. supra*, *de offic. delegat. cap. a nobis. de sent. excom.* Sed quaeri potest, an sicut episcopus non potest alterius paroeciae, clericos ordinare, excommunicare, iudicare, ita nec metropolitanus possit; dubitatum fuisse scribit BALS. ad *d. can. 14.* propterea quod metropolitano subditi sint omnes, qui sunt eiusdem prouinciae, licet non eiusdem dioecesis, & paroeciae: sed concludit nihil hac in parte differre metropolitanum ab aliis episcopis, nisi per negligentiam, vel appellationem id fiat. Quae ad *cap. primum huius tit.* pertinent, ad ea, quae diximus ad *tit. de clerico aegrot. supra*, referenda sunt.

---



---

T I T V L V S   X X X .

D E

D E C I M I S , P R I M I T I I S , E T  
O B L A T I O N I B V S .

**I.** Ius paroeciarum maxime consistit in decimis, primitiis, & oblationibus; quo fit, vt hic titulus superiorem subsequatur.

II. Imprimis vt ordine totam hanc materiam discutiamus, quaerendum est, quo iure debeantur decimae, & quidem eas a Deo institutas, & originem sumpsisse ex ipsa lege Dei Moyfi data per angelos certum est, *cap. 22. Leuit. Deuter. cap. 12. & 14.* antequam etiam Abraham offerret decimas Melchisedec regi, & sacerdoti, *Gen. cap. 14. & Heb. cap. 7.* per hunc enim sacerdotium fuit designatum, per illum laicorum status. *can. decimas. 16. q. 1. & can. decimas. 16. q. 7.*

M M 3

III. Et

III. Et quamuis sublata fuerit obligatio legis Mosaicae, cessantibus etiam sacrificiis veteris legis, & consequenter obligatio praestandarum decimarum euanuerit; ratio tamen obligationis remansit, vt qui ecclesiis inferuiunt, de oblatiis nutriantur, *cap. 9. 1. ad Corinth. can. ex his. 12. q. 1. cap. cum secundum. sup. de praebend.* & quamuis non praecise in noua lege decima fuerit imperata, consuetudo tamen induxit decimarum solutionem, ius diuinum veteri lege stabilitum imitata, qua ratione etiam decimae censentur iuris diuini, *cap. 3. parochianos. hoc. tit.* cuius etiam sententiae est PHILO Iudaeus, *lib. de praemiis sacerdotum*, qui etiam docet legem sacerdotes aequiparare regibus, & imperare, vt eis tanquam principibus tributa conferantur: confirmat idem AVCTOR *constitutionem apost. lib. 2. c. 34. τέτους ἀρχόντας ὑμῶν καὶ βασιλεῖς ἠγεῖσθαι νομίζετε, καὶ δασμὰς ὡς βασιλεῦσι προσφέρετε: hos existimate vestros praesides, hos putate reges, his quasi regibus vectigalia offerte.* Hinc factum, vt decimae census Dei nuncupentur *in can. 6. concil. Agripp.* apud BURCHARDVM *lib. 3.*

IV. Sed cur potius decima pars constituta est? quia scilicet denarius numerus perfectus est, & vnitatem demonstrat per quam Deus representatur, vt scribit ORIG. *homil. 13. in Leuit.* & Moses a Deo accepit decem praecepta, & ipse iudices decem constituit *18. Exod.* Talis numerus magno apud veteres in honore habitus est. OVID.

*Annus erat decimum cum luna receperat orbem,*

*Qui numerus magno tunc in honore fuit.*

V. Hunc numerum generaliter obseruandum docent omnes leges tam ecclesiasticae, quam politice; ita vt nec plus, nec minus sit praestandum, sed decima pars fideliter praebenda, *can. quicumque. 16. q. 7.* licet hodie consuetudo errorem fecerit; aliquando non decimam, sed duodecimam, quindecimam, ac vicesimam praestare: quod tamen nec leges, nec canones approbarunt, nec illam decimam minorem, vel maiorem fecerunt. Quae tamen partes semper vocantur decimae, quod in decimarum locum successerint. Leges sacrae sunt firmiores, quam ciuiles; apud quas & vicesima hereditatum, & decima litium, & manumissorum ab impropriae, auctae, irrogatae, reductae, & demum abolitae fuerunt, vt videre licet apud DIONEM *lib. 55.* TACITVM *13. annal* SVETON. *in Caligula.*

VI. Nulla tamen consuetudo potest efficere, ut nullae partes solvantur, *cap. in aliquibus. hoc tit. sumpto ex concil. Later. sub Innocentio III.* qui ideo hanc legem dixit, quod essent pleraeque gentes permistae Christianis, quae licet se dicerent Christianas, more tamen suo ecclesiis decimas non persoluebant, ut septentrionales populi, quos sero ad Christum conuersos narrat ALBERT. KRANTZIVS in *metrop.*

VII. Sunt, qui ex priuilegio, & indulgentia summi pontificis a praestatione decimarum excusantur, templarii, hospitalarii Hierosolymitani; *cap. ex parte. hoc tit.* scilicet de terris suis, quas suis manibus excolunt; nec enim hoc priuilegium extenditur ad alia praedia, quae aliis locantur excolenda, *cap. licet. hoc tit.* imo nec ad noualia, nisi id nominatim indulto contineatur. Cum enim tales immunitates destruant ius commune, restringendae sunt, *cap. odia. de reg. iuris in 6.* adeo ut noualium decimae paroeciis debeantur. *cap. commissum. & cap. quoniam. 13. hoc tit.*

VIII. Parua principia saepius larga habent incrementa, immunitates illae exiguae, quae primis tantum temporibus ex cultura propria monachis dabantur, longas radices egerunt, & ad omnem decimarum exemptionem sunt conuersae: exempli gratia in fauorem Carthusiensium, *cap. 2. de decimis, in 6. fratrum praedicatorum, cap. nimis. de excess. prael. & cap. 1. hoc tit. in 6. monachorum S. Benedicti, a IOANNE XXI. in chronico Cassin. lib. 2. cap. 1. eremitarum Camaldulensium ab INNOCENTIO III. lib. 2. epist. 12. Cisterciensium, cap. ad audientiam. hoc tit. contra quos exandescit P. BLESENSIS epist. 82. cum Dominus, inquit, praecipiat decimas solui, quis contra eius praeceptum potuit dispensare? & alibi; quicquid indulgent priuilegia Romanae ecclesiae, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est usurpare.*

IX. Ratio huius immunitatis initium sumpsit ab inopia, & egestate monachorum, qui tamen postea fidelium donis locupletati sunt, quae causa erat, cur terras propriis manibus excolerent ad exemplum apostolorum, actuum *cap. 18. & 20. 1. ad Corinthios, cap. 4. & 9. can. cauendae. 10. q. 8. can. praedicator. 16. q. 1.* quod etiam diffuse exagitat idem PETERVS; *si dominus papa indulgentia speciali priuilegiauit vos, dum ordo vester in paupertate gaudebat, potuit tolerari ad tempus; nunc autem quando*  
*vestrae*

*vestrae possessiones multiplicatae sunt, etiam in immensum priuilegia haec potius ambitionis, quam religionis instrumenta sunt.*

X. Aliam rationem adfert *IVO Carnot. epist. 192.* quod incongruum esset monachos a diuinis auocari, & ab exactoribus perturbari: quae causa mouit episcopos, & etiam summum pontificem haec priuilegia indulgere, *can. peruenit. 16. q. 1.* cum enim presbyteri gradum, & honorem acceperint, & facultatem simul praedicandi euangelium, baptizandi, sepeliendi, & alia sacramenta ministrandi, quod olim erat eis prohibitum, *can. placuit. 16. q. 1.* non immerito eis etiam decimas concedendas iudicauit *AMBROSIVS* in *can. doctos. 16. q. 1.* Videnda elegans *epistola HUGONIS Pontigniacensis* edita a *IVRETO*, ad calcem *epistolarum Iuonis*, in qua Hugo tuetur ius commune, quo decimae praestandae sunt ecclesiis baptismalibus, *cap. cum contingat. 29. & sequenti, hoc tit.* aut ecclesiis maioribus, & conuentualibus, quibus paroeciales sunt annexae. *cap. ad quaestiones. de rerum permut.*

XI. Praeter ius commune, qui percipiunt decimas, aut habent ex priuilegio, vt dixi, aut ex concessione, & donatione ecclesiae, vt pote quae fit laicis, cum in feudum eas accipiunt, vel ad vitam, vel ad certum tempus, vt ecclesiam armis tueantur contra haereticos, & infideles, & tunc laici non proprie decimas, sed decimarum fructus, qui temporales sunt, *cap. 2. de locato*, percipere dicuntur, quia ius decimarum est quid spiritale, *cap. olim. de praescript.* cuius incapaces sunt laici, quod ipsi per se non possunt ad heredes de iure communi transmittere. *cap. nullus. de iure patr. cap. probibemus. 19. hoc. tit. cap. cum apostolica. supra, de bis, quae fiunt a praelat.* Quamuis ab Hugone Capeto huiusmodi feuda decimarum iuris hereditarii facta fuerint, vt quidam existimant; adeo vt etiam in feminas iure dotalitii transferint, nec sine luctu apud scriptores nostros legimus, ita misere sanctuarium Dei hereditario iure possessum fuisse, contra quam est in *can. apostolica. 3. q. 1.*

XII. Et quidem primus auctor huius exactionis fuit Carolus Martellus, post quem & summi pontifices saepe eam exercuerunt, vt Bonifacius VIII. *cap. 10. de decimis. in extranag.* & Martinus IV. Reges & imperatores, vt Philippus Augustus, concilio Paris. apud *GVAGVINVM lib. 6.* Rudolphus imperator, apud *TRITHEMIVM* in *chronico.* Verum non omnes illae decimae eandem sapiunt naturam; nam quaedam deci-

deci-



decimae semel impositae fuerunt, aliae perpetuo remanserunt, maxime quae in feudum nobilibus datae; quod quidem pro bono pacis tolerauit ecclesia, & earum possessionem longi temporis passa est, dummodo essent ante concilium Later. sub. Alex. III. quo postea in futurum prohibitae sunt, & nouae infeudationes nullius censentur esse momenti, nisi a summo pontifice factae, vel confirmatae fuerint. *cap. 2. de feudis.* Nam ab episcopis post dictum concilium tales in feudum dationes non valent, *cap. quamuis hoc. tit.* episcopus non potest infringere legem a concilio, & papa statutam; sed solus papa summus praetor, cui addendi, suppleri, interpretandi competit potestas. *cap. ad haec. hoc tit.*

XIII. Potest quidem episcopus decimas a laicis possessas ecclesiae, cui voluerit, donare, quod enim a laico detinetur, ad vsum ecclesiasticum debet reuocari, *cap. cum apostolica. supra, de his, quae fiunt a praelat, sine consensu:* potest etiam episcopus decimas a longo tempore, id est, ante concilium possessas a laicis in alium laicum transferre, consentiente capitulo, *d. cap. cum apostolica,* quia episcopus est dominus superior feudi, sine cuius licentia vasallus feudum alienare non potest, *toto titulo, de alienat. feudi lib. 2. feudorum:* est principalis dominus, in cuius potestate res ecclesiae sunt, *can. episcopus, & can. praecipimus. 12. q. 1.* his casibus exceptis decimae si possideantur a laicis, iniuste possidentur, etsi a principe vel imperatore datae fuerint, *cap. dudum. hoc. tit.* si vi eas quis teneat: si ultra tempus definitum, si iniuriam fecerit ecclesiae, ob ingratitudinem. *toto tit. quib. mod. feud. amitt. lib. 1. feud.* Soli igitur ecclesiae cathedrali, & paroeciali debentur iure primaeuo decimae.

XIV. A quibus debeantur, sequitur dicendum, qua in re distinguere debemus decimas in *reales, personales, & mistas:* sicut enim fructus alii naturales, siue praediales, alii personales, siue industriales, alii misti, qui sine praediis & industria quaeri non possunt, quales sunt, qui ex armentis & pecoribus percipiuntur, *l. fructus. de usuris. l. bonae fidei. de acquir. rerum dom.* ita quoque decimae sunt praediales, quae soluuntur ex frugibus, fructibus, oleribus, foeno: personales ex industria, & artificio, vt sunt lucra negotiationum, venationis, piscationis, militiae: mistae, quae ex partu animalium, vtpote foetus, lac, agni, lana; quae tria decimarum genera iure exigere debent. *can. omnes. 16. q. 7.*

XV. Reales quidem, & mistas peti vbique videmus, non vero personales, vt in Gallia, & aliis locis, & in concilio Mediol. sub Carolo Borromaeo, cap. 75. nisi consuetudo aliter tulerit, *decimae sine fraude soluantur etiam personales, in quibus eas soluendi consuetudo est*, cui congruit INNOCENT. III. lib. I. regist. epist. 215. vbi mercatores ad decimas cogit, qui ex consuetudine soluebant. Iure communi eas deberi, sicut reliquas, non est dubium, *can. decimae 16. q. 1. de militia, de negotio, de artificio obligantur mercatores, milites, doctores, aduocati, cap. pastoralis. hoc tit. CHRYSOST. homil. 43. in 1. Cor.* Gentiles hac in parte adducere non est operae pretium, qui tam accurate decimas omnium prouentuum falsis Diis obtulerunt, vt refert MAX. TYR. 14. *dissertat.* sed & animalia ipsa ex rapinis, & praediis, vt refert AELIAN. 4. *de histor. animal. cap. 53.* nulla res est tam exigua, de qua iure decimae peti non possint, apud CLEMENT. 2. *constit. cap. 34.* quamuis tamen ad minutas illas exactiones id extendi ex aequo, & bono non debeat, ne nimius auaritia fomes clero, & ecclesiae sit dedecori, vt concludit D. THOMAS 2. 2. q. 87. ALEXANDER III. in epist. ad quendam Cantuariensem archiepiscopum, hanc etiam vel leuissimam exactionem concedit, *vbi priscae consuetudinis auctoritas inualuerit*, inquit.

XVI. Sed & quod maius est, non solum corporalium rerum, sed etiam incorporalium decimam debemus, vtpote temporis, quod in Dei laudes & gloriam impendere debemus, D. AVGVST. *serm. 219.* imo & quod maius est, inquit, *non rerum omnium, & prouentuum, sed & ipsorum dierum decimas Deo dare debemus.* Quadragesimam rite anni decimam nuncupare possumus, vt in concilio Trosleiano, cap. 6. & apud NICOLAVM ad consult. Bulgarorum: *tempore quadragesimae, quo Deo carnis nostrae decimas damus, omni voluptati est renuntiandum.*

XVII. Igitur omnium, quae sub coelo sunt, decimae debentur, & ab omnibus, siue Iudaeis, cap. de terris. hoc tit. & cap. quanto. de usuris: siue haereticis, & infidelibus, quamuis de his cautum non inueniatur; quia noluit ecclesia id statuere aduersus eos, quos omnibus bonis spoliandos censet, *can. si vos. 23. q. 5.* cum falso titulo censeantur bona possidere, ex D. AVGVSTINI sententia, *can. quicumque. 23. q. 7. cap. vergentis. de usuris:* non ita de Iudaeis: quos certis locis morari, & synagogas habere permittit *cap. 3. de Iudaeis.*

XVIII

XVIII. Quibus vero folui debeant decimae, iam dictum; quia tamen habet aliquid scrupuli *cap. 2. hoc tit.* quod altioris, & longioris est indaginis, id separatim memini me tractasse.

XIX. Secunda pars rubricae de primitiis attingenda est, quarum non ita stricta lex vnquam fuit. D. HIERONYMVS ex maiorum traditionibus refert quadragesimam, vel ad minus sexagesimam portionem frugum dandam, quamuis tamen nusquam in lege quantitas sit definita, sed in arbitrio fuerit offerentium, nisi vbi consuetudine aliter fuerit obseruatum, vt refert D. THOMAS 2. 2. q. 86. art. 1. obligatio quidem indefinita pendet a lege. *cap. 20. 24. exodi. cap. 23. leuit. can. ecclesiast. 13. q. 1. can. reuertimini. 16. q. 1.*

XX. Diebus praesertim dominicis solebant praestari primitiae, non singulis, sed quibusdam, pro temporum ratione designatis: P. DAMIANVS *epist. 16. lib. 4. ad V. episcopum.* Post banc, inquit, illa festiuitas sequitur, quae dicitur nouorum, cum primitiae scilicet de nouis frugibus offeruntur. Romani hoc festum dicebant *ambarualia.* VIRGIL. 1. Georg. *Terque nouas circum felix eat hostia fruges.*

Dictae sunt primitiae, quod primae & nouae fruges darentur; sed melius, *praemetia*, cum VERIO FLACCO, quae praelibationis causa ante metebantur: *primetia*, quasi primae messes.

XXI. Primitiis oblationes iungo, quae fere pari passu ambulant, vtraeque quantum ad pretium, & magnitudinem arbitrariae, ex officio pietatis pendentes; ideo GREGORIUS VII. in *can. omnis. de consecrat. dist. 1.* ait; *omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre: verbum, procuret,* demonstrat, non tam esse mandatum, quam suasionem.

XXII. Veteri lege oblationes fiebant in principio mensium, siue die calendarum, prima sabbati apud D. PAVLVM 1. *Corinth. cap. 16.* qui translatus est in diem solis, siue dominicum, TERTVL. *apol. cap. 16.* Primitiae, & oblationes vel in gazophylacium mittebantur, quod arcam vocat. TERTVL. *apol. cap. 39.* secretarium POSSIDIVS in *uita D. Augustini, cap. 24.* vel etiam apud praepositum, id est, episcopum deponebantur, vt est apud IUSTINVM *martyrem apol. 2.* scilicet, vt disquiri posset, an essent, digna munera, vel ob personam offerentium, vel an essent quaesitae ex iusta causa, vt si proficiscerentur ab impiis, reiiicerentur, *can. non est putanda. 1. q. 1. can. miror. 17. q. 4. P. DAMIA-*

NVS *epist. 36. lib. 6.* Enimvero dona ab iniquis suscipere, quid aliud est, quam propriam animam ex dantis squalore foedare? Si dignae reputabantur, per diaconum sacerdoti offerebantur. *can. ult. de consecrat. d. 1.*

XXIII. Et primitiae quidem saepius super altare ponebantur, nusquam oblationes, vt scribit BALSAMON ad *can. 3. apostolorum*, qua de re *constitutionem* edidit EUTYCHIANVS P. 28. quamuis haec lex non fuerit obseruata, *cap. 2. de consuetud. can. sanctorum. 10. q. 1.* saepius ex eminenti loco suspendebantur, vel ex columna, sicut olim Delphis factitatum a gentilibus, teste CLEMENTE ALEXAND. I. *stromat. cap. 1.*

Ἄφρα θεῷ δεκάτην ἀνοσβήνιάτε κρεμάσαιμεν

Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῦ.

*Vt decimamque Deo, primos fructusque dicemus,*

*Sedibus ex sacrosanctis, celsaque columna.*

Haec donaria vocabantur & ἀνοσβήματα a verbo ἀνοσβήναι, quod est *suspendere*; vnde & excommunicatio dicitur anathema. Solebant reges Israel victores, spolia sua consecrare, & in templo suspendere; sic Samuel, Saul, Dauid, vt scribunt doctores in *cap. 26. 1. paralip.* & gentiles apud MAX. TYRIVM, *cap. 14. dissertat.*

XXIV. Porro decimarum, primitiarum, & oblationum erogatio, & distributio non vna, eademque erat; siquidem primitiae & oblationes initio nascentis ecclesiae in episcoporum, presbyterorum, & diaconorum usum vertebantur, *d. can. 3. & 4. apostolorum*: decima vero hypodiaco- nis, & ceteris inferioris ordinis clericis dabantur, vt ex CLEMENTIS *constitutione cap. 40. lib. 8.* constat, quo tempore credendum est primitiarum, & oblationum longe pinguiorem fuisse conditionem, sed refrigerante charitate euanuerunt, solis remanentibus decimis toti clero aequè diuidendis.



TITVLVS XXXI.  
DE  
REGVLARIBVS, ET TRANSEVNTIBVS  
AD RELIGIONEM.

I. **A**ntea de clericis secularibus, & eorum iuribus tractatum; nunc vero de regularibus, & monachis, quos a clericis distinguit strictioris regulae votum, qui & ideo regulares dicti sunt, quamuis tamen generali appellatione, & ex primaeva institutione omnes fuerint regulares, siue canonici, ob canonem, seu regulam, qua continetur omnis ordo ecclesiasticus, *can. 24. syn. Laodic.* quae regula vocatur ecclesiastica in *can. si qui vero, & sequenti 32. dist.* vel quia initio nascentis ecclesiae nullus ordinabatur, aut regulae ecclesiasticae submittebatur, cui non portio aliqua agrī dominici colenda praeberetur, quae vocabatur *canon*, vt D. PAVLVVS de se ipso profitetur, *2. Corinth. cap. 10. ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τῆ κανόνος ἔ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεός &c.*

II. Ab eo canone recte omnes clerici dicebantur, canonici, qui canonem seu portionem suam habebant, *κλήρον*, non quidem decimarum, & primitiarum, vt vult gloss. in *can. clericos. 21. dist.* sed potius administrationis & regiminis, quod per titulos singulis distribuebatur, *can. sanctorum. 70. dist.* vnde dicti clerici. Porro hi sub regula communis vitae degebant maxime, tunc cum crescente numero Christianorum excreuit etiam ipsorum numerus.

III. Vitae canonicae caput statuerunt apostoli in tribus, *in communi substantia, in communi obedientia, & in communi dilectione superuina*, inquit P. BLESEN. *serm. 30.* sed deinde successu temporis sensim communitas illa euanuit, vsque ad tempora D. AVGVSTINI, qui horum maximam partem iterum sub regula redegit; ipse enim vitam canonicam restaurauit, non instaurauit, inquit idem P. BLESENS. qui soli vocati sunt canonici, quod canonem, seu regulam antiquam apostolorum seruarent.

IV. Sed vt est misera hominum conditio, haec canonica vita tandem emarcuit, & illi contempto communitatis voto annuos prouentus inter se distribuere coeperunt, pro regula seculi libertatem amplexi, cano-

nici dicti sunt seculares, vt notant TRITHEMIVS in *chronico Hirsaug.* & BRVRSCHIVS *lib. de monast. German.* ad differentiam aliorum, qui regulam seruantes, vt a secularibus distinguerentur, dicti sunt regulares, *cap. super. infra, de statu monachorum;* nec ideo tamen clericorum nomen amiserunt, *can. necessaria. 12. q. 1. iuxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici ecclesiasticis disciplinis vacent.*

V. Hinc & canonici clerici dicuntur *can. 9. concil. Mogunt.* sub Carolo M. vt distinguantur a monachis, qui clerici non erant, *can. sic viue. 16. q. 1.* hi enim in syluis & recessibus degebant, illi in episcopiis & vrbibus, *can. 23. syn. Turon.* vtrosque, licet viuendi modo & disciplina dispares, votum tamen effecit pares, continentiae, castitatis, silentii, & paupertatis, quamuis diuersimode: vnde & vouentes appellantur ad differentiam clericorum, & canonicorum secularium, qui se talibus regulis non adstringunt, nec inter eos adnumerantur, vt indicat titulus *infra, qui clerici vel vouentes contrah. matrim.*

VI. Ergo totus hic titulus est de regularibus canonicis, & de monachis, inter quos similitudo maxima est ob tria vota, quae peculiariter profitentur, paupertatem, castitatem, & obedientiam; in quibus emittendis duo potissimum considerantur, voluntas, & aetas, sine quibus perfici non possunt, nec inde vlla nasci potest obligatio, *cap. 1. hoc tit. can. illud. 20. q. 1. can. praesens. 20. q. 3.* obligationis natura stipulatoris, & sponsoris personas petit *l. 1. ff. de verbor. obligat.* ita monasticae vitae professio non fit nisi ab abbate, seu praefecto stipulante, coram quo professio fieri debet, *can. 2. synodi VII. Constant.* & a spondente diuinitus exigi ait Nicolaus I. ad consulta Bulg. *cap. 87.*

VII. Nec enim sufficit sola deuotio paterna, vt est in concilio Tolet. IV. *cap. 48.* relato in *can. monachum. 20. q. 1.* nimis enim asperum visum fuit, vt paternae iussioni filius obsequi cogeretur, licet primis temporibus id maxime fuerit vsitatum, solenni enim ritu filius a patre monasterio mancipabatur, AYMONIUS, *cap. 2. de vita sancti Abbonis: monachicum ei tradidit habitum, facta prius per parentes solenni traditione,* sic expressum est in *regula S. Benedicti, cap. de profess.* Sic in *miss. nostrae ecclesiae Tolosanae* Guillelmus de Lauriaco donat Deo, & S. Stephano, & patri Aurelio priori, & cunctis fratribus filium suum Guillelmum, quem canonicum fieri vult, anno 1088. Patribus adhuc patria illa potestas

ex

ex iure Quiritium seruabatur, SERVIVS in illud VIRG. *Aeneid. I I. ipse pater famulam voueo. Bene, ipse pater, inquit, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent.*

VIII. Et e contrario etiam inuitis parentibus olim raro licuisse liberis religionem amplecti, quin etiam, & sine causa legitima, & probata iis, qui sub patria erant potestate, non licebat nisi ex licentia plebani sui, quod INNOCENTIUS III. demonstrat, in *epist. ad decanum, & alios canonicos Cabill. libro 13. registri. Pro eo, inquit, quod iure paroeciali eisdem obligati tenentur.* Hac etiam libertate priuatos aliquando officiales regis Francorum videre licet in synodo Remensi apud FLODOARD. *lib. 2. cap. 5. Hi vero, quos publicus census spectat, sine permissu principis, vel iudicis se ad religionem sociare non audeant.* Quin & monasteria carceres erant, in quae etiam loco poenae, aut exilii plerique detrudebantur, apud GREG. TVRON. *lib. 4. cap. 15. maxime clerici delinquentes, & regradati. cap. 2. de poenitentiis, cap. 4. de excessib. praelat. can. 1. & seq. 12. q. 1.*

IX. Porro aetatis non minus, quam voluntatis defectus votum irritum facit, illam intra pubertatis annos, nempe duodecimum in foeminis, decimum quartum in maribus constituit *can. illud. 20. q. 1.* quod tempus aetatem discretionis appellat COELESTINVS III. in *cap. cum simus. hoc tit. ad exemplum iurisconsultorum in l. impuberem. de furtis, ante quam nemo quantumuis doli capax obligatur, etsi proximus pubertati, vt notat gloss. in d. can. illud, licet tunc demum ratio dubitandi non abfuerit; ideo INNOCENTIUS III. rescribens episcopo Lingon. lib. 12. registri addit, nisi forte prudentia in illis supplenerit aetatem, vt saltem transire debeant ad regulam laxiorem, & in cap. super hoc tit. cap. ult. de cohabit. cleric. quod tamen nusquam probatum, minime concilio Tridentino, quo talia vota vt praecocia, & praematura damnantur, reiectis omnibus, quae expleto decimo sexto anno non fuerint emissa *sess. 25. de regul. cap. 15.* nisi deinde quis maior factus ratum habuerit. *cap. significatum. hoc tit.**

X. Nec vlla est amplius differentia regularium quoad votum, vt olim: in congregationibus enim & monasteriis strictioribus decimus octauus annus exigebatur, *cap. quia in insulis. hoc tit. de insulis loquitur; quia in illis, & locis palustribus multa monasteria aedificabantur, vt in aere minus salubri corpora magis castigarentur, & nimia corporis prosperitas*

ritas

ritas quasi vitis palmitē luxurians amputaretur, vt scribit D. BASILIUS; & congruit, quod de Glastoniensi monasterio refert WILLELMVS MALMESB. lib. I. de gestis regum Angliae.

XI. Si quis ergo in monasterio post decimum octauum annum professus fuerit, nullam posthac recedendi facultatem habet: professio vero non debet fieri nisi post annum, quo quis aetatis fuerit legitimae, qui vocatur annus probationis, *cap. statuimus. hoc tit.* licet antea foret triennium, *can. 5. syn. VII. Constant.* quod firmiter statuitur *concilio Tridentino*, abrogata differentia professionis expressae, vel tacitae, censebatur is anni beneficio renunciaffe, qui profiteri festinauerit, & professio talis valebat *cap. ad apostolicam. hoc tit.* quinimo sine voto professio facta censebatur, si quis habitum professionis per triduum gestasset, *cap. ad nostrum, & sequenti, cap. ex parte. hoc tit.* vel etiam non suscepto habitu professio facta valebat, *cap. porrectum. hoc tit. cap. consuluit. qui clerici vel vouentes:* monachum siquidem non facit habitus, sed professio regularis, in *concilio Aquisgran.* sub Ludouico Pio imperatore *cap. 125.*

XII. Clerici cucullos monachorum induebant, nec ideo tamen profiteri censebantur; *valde indecorum est*, inquit, *canonicum vestem monachicam induere, nisi etiam cum veste voluerit propositum mutare.* Olim vestibus monachorum non induebantur, qui annum probationis agebant, sed tunc demum, cum profitebantur, *cap. super. hoc tit. cap. 35. in addit. Capitul. Caroli M. ipse vero nec tondeatur*, inquit, *nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat:* ait enim BALSAMON in *can. 5. syn. VII.* eum, qui semel induit habitum monachalem, etiam intra tempus probationis non posse eum postea exuere, ideoque tempus probationis in vestibus exigendum ait in *quaest. I. ad interrogationes monachorum, in d. synodo.*

XIII. *Concilium Trident.* huiusmodi professionibus fibulam imposuit, & expressam tantum admisit, ne deinceps nasceretur occasio peccandi, & vota temere arguendi, quae semel iuris ordo, & solennia confirmarunt, a quibus recedere summa est impietas, nisi in duobus casibus; primo, si quis zelo perfectioris religionis trahatur; secundo, si religio a debita perfectione recedat, & remissiores vitam assumat, *cap. sane, & cap. licet. hoc tit.* petita tamen, licet non obtenta licentia superioris, *cap. cum olim. de arbitris.*

XIV. Et



XIV. Et quia inde nascebantur altercationes, & odia inter ordines, saepius sancitum a summis pontificibus, ne ex vno monasterio in aliud migrare liceret; id mnedicantes ordines contra Cistercienses obtinuerunt a Benedicto XII. tum etiam a Martino IV. in *extrauag.* qui vetuit sub praetextu etiam indulti apostolici a mendicantibus ad alios ordines transire, praeter Carthusiensem, in quem omnes alii, ab eo nullus migrare potest. Saepius antea inuenio concessum a fratrum minorum, & praedicatorum ordinibus ad mitiorem regulam transire in *epistola manuscripta* Gregorii X. nominatim praedicatoribus concessum ad regulam Sancti Augustini *propter debilitatem corporis transire*; simili ratione, qua a vita eremitica ad coenobiticam ire licuit, vtpote mitiorem, *can. qui vere. 16. q. 1.* ab hac ad illam non licuit, nisi ex abbatibus licentia ob corporis imbecillitatem, & aduersam valetudinem *can. monachum 20. q. 4.* vel etiam fauore aliquo, & quasi manumissione in solatium praeteritorum laborum, vt ex *epistola 22. D. HIERONYMI* patet: quod tamen vetuit *Trident. concilium*, vt ambitiosis, & inconstantibus via praeccludatur, quos Sarabaitas vocat *CASSIANVS coll. 18. cap. 7.* in quos grauiter animaduertere solitum *D. CHRYSOSTOMVM* refert *SOZOMENVS cap. 2. lib. 8.*

XVII. Et tam in hos, quam in receptatores sententiam excommunicationis depromit *can. 4. syn. Const. I. & II.* eosque ad suum monasterium esse reducendos statuit *ξενουερίτας*, in quo tonsi fuerunt, vt addit *BALSAMO*, vel titulati, vt est in *can. 23. synodi Bituricen.* eosque perinde requirendos statuit *Gregorius IX. in cap. vlt. hoc tit.* ac seruos fugitiuos *Constantinus imp. in l. quicumque. C. de seruis fugit.* Ministri enim Dei, sunt serui, & ideo a Graecis dicuntur *θεραπευται, υπηραιται, δελοι* apud *SOPHOCLEM* in *Oedipo*: *ε γαρ τι σοι ζω δελος, αλλα λοξια*, id est, non tibi seruus viuo, sed *Appollini.* *VIRGIL. II. Aeneid. Ipse pater famulam voueo.* Monachi igitur sunt serui *d. cap. vlt.* in quo fit mentio concilii generalis, quo id actum fuit. *Gloss. intelligit concilium Lateran. sub Innocentio III.* cui non assentior; nec enim in toto hoc concilio de fugitiuis mentio, sed ante ipsum quidem in concilio Eboracensi sub *Coelestino III.* his incommodis prospectum fuerat, & ne occasione negotiorum, administrationum, obedientiarum, quas firmas vocant, ne-

O O

que

que peregrinationis causa iter arriperent, etiam absque socio proficisci vetitum fuit, vt refert ROGERVS in *hifloria Angliae*.

## TITVLVS XXXII.

DE

### CONVERSIONE CONIUGATORVM.

I. **P**ostquam actum fuit de voto, & professione eorum, qui soluti & liberi ab omni nexu facile vitam mutare possunt, aequum est consequenter, vt de his, quibus aliquod est impedimentum, agatur, quales sunt *coniugati*.

II. Et quidem semper hoc fuit obseruatum, vt per *ἀσκησιμ*, quam *nouell. 5. singularem conuersationem* vocat, diuortium inter coniuges rite fieri potuerit: cum enim vitae regularis professio morti comparetur; adeo vt, quod pacti sunt coniuges inter se in casum mortis, locum etiam habeat in casum & euentum monachismi, multo aequius & matrimonium solui dicendum est: quia mori videntur, *ἑτέραν ὠδὴν ἑτέρας βίης πορείαν ἐλόμενος*, id est, *alterum iter vitae cum altero commutans*, inquit MATTHAEVS BLASTARES, quod & legibus imperatorum semper ratum fuit, quibus propter sacerdotium diuortio locum dederunt, *l. vitricus 61. in fine. de donat. inter virum, & vxor. l. sancimus. 53. & l. Deo. 56. C. de episc. & clericis. TERTVL. lib. I. de monog. Cereris sacerdotes viuentibus etiam vivis amica separatione induantur.*

III. Et quod magis est, licebat ad aliud matrimonium currere, & vir, qui monachus fiebat, quod arrharum nomine dederat, amittebat, vxor vero duplum, eius quod acceperat, reddebat, quod IUSTINIANVS correxit in *l. 56. C. de episcop. & cleric.* vt sponsus, quod arrharum nomine dederat, reciperet, sponsa non duplum, sed quod acceperat, tantum redderet, quod aduersum erat legibus sacris, MATTHAEI 19. *qui dimissam acceperit, adulter esto*: ad quem locum D. HIERONYMVS annotat, & si propter adulterium solutum fuerit matrimonium, non ideo ad aliud coniugium recurrere licere: *Homo, inquit, separat, quando propter desiderium secundae vxoris primam dimittit; Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei sic habemus vxores, quasi*

quasi non habentes, cuius tamen erroris fuisse quosdam refert BALSAMON ad can. 48. syn. VI. in Trullo.

IV. Ex hoc notandum huiusmodi separationem ecclesiam non admittere, nisi ex consensu vtriusque, contra iuris ciuilis sanctiones, cap. quidam. hoc tit. matrimonium non sola separatio corporum soluit, sed voluntatis, can. 1. 27. q. 2. & tunc dicimus separationem fieri bona gratia, vt notat BALSAMON ad can. 48. syn. VI. in Trullo: si tamen commixtio carnalis non interuenerit, licet vni citra alterius consensum, vitam monasticam eligere, quia & tunc alias nuptias is, qui remanet, ambire potest, cap. verum. cap. 7. & 14. hoc tit. & in eo congruit ius ciuile cum canonico, & nouella LEONIS 33.

V. Quod si matrimonium consummatum est, vnus citra alterius consensum monasterium ingredi non potest; nulli enim fas est, alterum obligare ad ea, quae sunt perfectionis, quae sunt voti magis, quam praecepti. can. integritas. 32. q. 1. Legimus tamen Theonam abbatem reluctante vxore in solitudinem perrexisse, apud CASSIANVM col. 21. cap. 9. imo debet vterque τὸ χῆμα λαβεῖν, & continentiam vouere, nisi talis sit persona, cui incontinentiae nota, vel suspicio inuri non potest; veluti si grauetur infirmitate, defectu, vel senectute, cap. vxoratus, & cap. ad apostolicam. hoc tit. quo voto emisso nulli postea licet ab alio debitum maritale exigere. cap. quidam, & cap. dudum. hoc tit. can. quod Deo. 33. q. 5.

VI. Aliquando votum citra consensum vnus partis valet, vt si sciente, & dissimulante altera emissum sit: quamuis enim teneatur reddere debitum, si tamen altera pars decedat, is, qui votum emiserat, huic adstringitur, cap. consuluit. hoc tit. pendente vita vtriusque votum non obligat; nemo enim potest se firmiter obligare ad id, quod pendet ex alterius voluntate, cap. charissimus. hoc tit. valet tantum in sui praeiudicium, cap. quidam, & cap. placet. hoc tit. in quibus Alexander III. & Coelestinus III. quamuis non teneatur redire ad monasterium, non tamen posse ad secundas nuptias concedere concludunt: neque huic iuri aduersatur P. BLESENSIS in epist. 19. in qua vxorem, quae mortuum virum existimans falso rumore decepta se contulerat in monasterium, & reuerso marito egredi coacta fuerat, ac deinde mortuo eo non esse cogendam redire ad monasterium, imo alteri nubere posse respondet: quod ve-

rum est, cum reluctante vno ex maritis, aut cum errore votum castitatis emittitur.

---



---

T I T V L V S   X X X I I I .

D E

C O N V E R S I O N E   I N F I D E L I V M .

I. **H**ic titulus optime subsequitur priorem, qui est de coniugatis Christianis vitam religiosam capeffentibus; iste de *coniugatis infidelibus*, cui congruit optime titulus *de diuortiis*, & vterque eundem fere scopum attingit.

II. Hic est de conuerfione infidelium, de his, qui ob infidelitatem matrimonio difcedentes vitam monasticam amplectuntur, agere debuit, nec tamen de voto mentio, sed tantum de diuortio: vnicum locum huic materiae congruum reperio in *cap. vlt.* tituli superioris, quod vt fugitium ad hunc titulum foret reducendum, in quo, si iudicio ecclesiae dirimatur matrimonium, quod vna pars infidelis fit, vel in haeresim delapsa, dirimitur matrimonium, seu potius fit separatio; nec enim de nouis nuptiis cogitare poterit, licebit quidem ad monasterium confugere, quamuis postea is, qui desciuerat, ad bonam frugem redeat, vt scribit GREGORIUS IX. *in eo cap.* quod desumpsit *ex cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* ex quo etiam conflauit *cap. 7. de diuortiis.*

III. E contrario si ex duobus infidelibus, alter fiat Christianus, hic poterit vitam monasticam profiteri, quia & licet ei nouas nuptias ambire; contumelia creatoris soluit ius matrimonii, & ideo non esse peccatum, ei qui dimittitur, si alii se iunxerit, refertur ex GREGORIO in *can. si infidelis. 28. q. 2. & d. cap. 2.* quam tamen sententiam AMBROSIO potius tribuere quidam malunt, *ad cap. 7. Corinth.* cum apud Gregorium non reperiatur: non ita est, quando matrimonium inter fideles erat contractum, quia licet contumelia fit creatoris ob *ἀποσυρίαν*, & vnius discessum, tamen fidei sacramentum, quod semel susceptum est, remanet, vt est in *d. cap. 7.* Consequenter recte quaeritur in *cap. vlt. hoc tit.* si alter infidelium fidem amplectatur, cuius conditionem sequi debeant nati. Generaliter regula locum non habet, vt partus ventrem  
sequa-

sequatur; hoc enim respicit statum & conditionem natalium, *l. partum. C. de rei vind. can. liberi. 32. dist.* hic in fauorem fidei Christianae fidelis parentis ratio habetur ob metum, ne infidelis filios in errorem abducatur; summa ratio est, quae pro religione facit, *l. sunt. ff. de religiof. & sumpt.* quo fit, vt communis proles parenti conuerso assignetur *can. Iudaei. 28. q. 1.*

## TITVLVS XXXIV.

DE

## VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

I. **Q**uia iam actum de voto monasticae religionis, consequenter agendum de aliis *votorum* generibus, & quomodo redimi, vel mutari possint.

II. Hic titulus praecipue agit de peregrinationibus, quae valde in vsu fuere apud Christianos; quarum excellentissima fuit Hierosolymitana, quam laudat, & magni facit D. HIERONYMVS in *epist. ad Paulam 19.* allato D. PAVLI exemplo, qui illuc sepulchri dominici visendi causa concessit, vt patet *ex 20. act. & 2. ad Galat.* quum etiam ex omnibus orbis partibus illuc turba conflueret, vt ipse ait *epist. ad Eustochium 27. cuius enim gentis homines ad sancta loca non veniunt?* Ob tantae peregrinationis dignitatem, votum hoc inter maiora censetur, a quo non possit, nisi a summo pontifice dispensari, vt colligitur *ex cap. 2. & 5. & cap. ex multa. hoc tit. quod & asserit D. THOMAS 2. 2. q. 88. art. fin.*

III. Summi quoque ponderis fuit votum proficiscendi ad limina apostolorum, ad quae ex omnibus terrae finibus fit concursus, vt refert NICOLAUS I. in *epist. ad Michaelem imperatorem:* vnde vulgo omnes peregrini Gallica lingua vocantur, *Romiers*, & nostra occitanica *Romieuus*. Hos ab omnibus exactionibus immunes esse voluit CALIXTVS II. in *concilio Rom. can. si quis Romipetas, & can. illi qui. 24. q. 3. cap. 7. de haeret. in prima compil.* imo & omnia eorum bona, quousque rediissent, in pace & treuga erant, vt loquitur concilium Claromont.

O O 3

sub i

sub Urbano II. & refert WILLEL. TYRIVS *lib. I. de bello sacro, cap. 15.* & IVO CARNOT. *epist. 173.*

IV. Quinimo in recognitionem summae potestatis, & pontificiae auctoritatis, qua eminent sedes apostolica, omnes episcopi semel ad limina apostolorum pergere tenebantur. *can. iuxta. 93. dist.* Siciliae episcopos ad id peculiariter consuetudo adstrinxerat, vt de triennio in triennium Romam irent, postea triennium in quinquennium versum est a S. GREGORIO, vt constat ex eius *epistola 19. lib. 6.*

V. Similiter & visendi loca, in quibus martyrum, reliquiae condebantur, consuetudo viguit. Galli post limina apostolorum, celebriorem locum primis temporibus habuerunt ecclesiam sancti Martini apud Turones, vt ex *concilio Cabillon. sub Carolo M. cap. 44. & 45.* constat. Nunc vero nullus est locus in orbe Christiano, qui aequa veneratione coli possit cum templo D. Saturnini Tolosae, in quod praeter innumera martyrum, & confessorum corpora, quorundam apostolorum a Carolo M. translata esse creduntur: nec mirum si tanta religione id obseruatum, cum innumeris miraculis Deus haec loca illustrarit, & accedentes beneficiis ingentibus compensarit. Saepius ad sanctorum reliquias velut ad oracula confluxerunt Christiani, tum litium & controuerfiarum, cum furtorum & criminum detegendorum causa, vt de B. Felice narrat D. AVGVST. *epist. 137. Elegi, inquit, aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinatuos: multis notissima est sanctitas loci vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui, vt pergerent, quia inde nobis fidelius scribi potest, quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propolatum.*

VI. Vota igitur haec tanti ponderis sunt, vt nec sperni, nec mutari facile possint, eleemosynis quidem redimi cum ecclesiae licentia possunt, *cap. 1. hoc tit. Glos. in cap. ex multa. hoc tit.* ait conuerti posse in vigiliis, orationes, & ieiunia, *cap. magnae. hoc tit.* sicut etiam conuerti possunt in alia longioris, & durioris oneris vota, veluti religionis; quia illa sunt temporaria, & certis terminis reguntur; haec totum vitae tempus diuino mancipant obsequio, *cap. scripturae. hoc tit.* nec potest dici votum frangere, qui in melius id commutat, *cap. peruenit. de iureiur. can. si aliquando. §. bis. de poenitentia. dist. 1.* dummodo id fiat cum licentia abbatis, & superioris; aliter enim ex vno monasterio

in

in aliud licet strictius, migrare non licet, & qui id egerit, vt emanfor puniendus est, nota aliqua inuri ei debet in poenam, quam Innocentius III. proponit, vt in vltimum locum reiiciatur, & ordine suo moueatur, quasi capite minutus; exemplo decuriorum *in l. 3. ff. ad l. Corn. de falsis*: & insuper cucullam memorialem deferendam proponit *epist. 12. lib. 2. regisl.* cucullam memorialem intelligo, quae in signum, & memoriam culpae differat a reliquis: videnda *obsératio*.

VII. Hanc autem voti redemptionem, alii compensationem, siue recompensationem vocant, & in quibusdam exemplaribus hic titulus concipitur, *de voto, & voti compensatione*: ita in *poenitentiali Rom.* quae quidem compensatio fieri debet iuxta poenitentis qualitatem, vt est *in cap. 1. Capitularium ISAACI Lingonens.* & apud TERTVLL. *lib. de poenitentia. compensatione redimenda proponit iniquitatem.* In *versib. METELLI* apud CANISIVM *tom. II.*

*Pannis & caseolis ibi se*

*Pensans distribuebat egenis*

*Lotus clara voce resonat.*

Plura in *observationibus*.

## TITVLVS XXXV.

DE

### STATV MONACHORVM, ET CANONICORVM REGVLARIVM.

**I.** De natura, & qualitate votorum dictum supra, nunc de conditionibus, & statu eorum, qui votum profitentur; est enim status, hoc titulo, vitae modus, seu *κατάσασις*, & forma viuendi peculiaris, quam, vt expendamus, distinctio adhibenda est inter monachos.

II. Quidam enim, vt ait D. HIERONYMVS *epist. 22*, sunt anachoritae, alii coenobitae. Illorum auctor S. Ioannes Baptista, & post eum D. Paulus, *ἡσυχάσας* vocat *nouella S. IUSTINIANI*, quod requiem, & tranquillitatem mentis in solitudinibus, & recessibus quaerant, & proprium latibulum, lauram, seu *κέλλιον* habeant, vnde dicti *κελλιῶται*,

&

& κελλιωτικοί: siquidem laura & ἔρημος, ἡσυχασήριον habitaculum secretum, & reconditum significare, scribunt CEDRENVS, & EVAGRIVS *lib. I. cap. 21.* & in *constitutionibus PHOCAE.*

III. De his materia huius tituli non est, quia non omnino eundem viuendi modum quem alii seruant, nec refectorium, nec dormitorium commune habent, quamuis aliquando eidem praeposito subiiciantur, quem archimandritam vocat *l. 7. C. de summa trinit.* imo nec certum statum, & propositum habent, quo regantur, sed vnusquisque sibi peculiarem viuendi normam quaerit. *can. si cupis. 16. q. 1.*

IV. Coenobitae vero sunt, qui in vastis solitudinum recessibus coniunctim, & communiter degentes a commercio hominum separantur, dicti monachi improprie, eo quod eremitarum vitam sectantes in vnum coetum, & conuentum coalescere coeperunt, vt ex D. HIERONYMO constat in *vita Pauli eremitae*; ideo dicti synoditae in *l. 7. C. de episc. audient.* SOCRATES *lib. 4. cap. 23.* ad exemplum prophetarum, quos Samuel habitare fecit vnus moris in domo, & cuneum prophetarum nuncupauit *1. Reg. 10.* habitaculis tamen vnicuique distributis, quae coenacula vocat ANASTASIVS in *vita Gregorii II.*

V. Hos ex sylvarum latebris primum Athanasium Romam inuexisse refert D. HIERONYMVVS *epist. 28. ad Principiam*, cuius exemplo ceterae ciuitates eos aduocarunt, vt Mediolanensis ciuitas, teste D. AVGVST. *lib. 8. confess. cap. 6.* & *de morib. ecclesiae cap. 33.* D. Martinus in Gallias, Eusebius Vercellensis in multas occidentis partes, teste D. AMBROSIO *epist. 82. lib. 2.* & D. Augustinus per totam Africam, vt refert POSSIDIVS in *eius vita cap. 11.*

VI. Hi diu discreti, & seiuncti a clero remanserant, adeo vt ad clericatus ordinem aspirare non possent, sed vt laici haberentur, *l. generaliter. 40. C. de episc. & clericis*, relata in *can. generaliter. 16. q. 1.* & arcebantur ab altaris ingressu, vt est in *responsione prima* synodi Constant. ex decreto *synodi VI. in Trullo, cap. 69.* quo nulli, qui sit in laicorum numero, altare ingredi conceditur: quae verba denotant monachos, qui licet proprie non sint laici, perinde tamen vt laici habentur, quo fit, vt etiam pro delictis segregatione fidelium, quam ἀφορισμὸν Graeci vocant, sicut laici, puniantur; clerici vero καθαίρεσις, id est *regradatione*, nec minoribus clericis, acolythis, exorcistis, lectoribus aequiparantur, imo  
eis



eis erant inferiores, quamuis essent praefecti monasteriorum, *can. a subdiacono. 93. dist.* & quod magis est, nullus eorum primis temporibus sacerdos fieri poterat, sed omnes contemplationi vacabant, expertes missarum sacrificio, etiam in magnis festiuitatibus paschae, vt docet P. BLESENSIS *epist. 86.* ne tamen tali beneficio, & solatio priuarentur, indultum postea, vt vnus in quolibet monasterio sacerdotii gradum adipisceretur, cui celebranti reliqui possent assistere, & ab eo sacramenta percipere. *can. Eleutherius. 18. q. 2.*

VII. Paulatim deinde eis concessum ad gradum sacerdotii peruenire, quod primum statuisse Siricium papam scribit LVITPRANDVS in *eius vita*, & constat ex eius *epist. relata in can. monachos. 16. q. 1.* quos, si capaces reperti fuerint, ad ordines sacros promoueri posse statuit. Quam legem secuti sunt deinde pontifices alii Innocentius, in *can. si monachus*, Gregorius, *can. moderamine. ead.* cum hac tamen conditione, vt ad clericatum accedentes monasterium relinquerent, & habitandi in eo facultas adimeretur, vt est in *can. 3. concilii Later.* sub Gregorio, quia tunc temporis vnusquisque presbyter alicui ecclesiae ordinabatur, *can. si quis monachus. 16. q. 1.* quod non ita cauebatur aduersus regulares, quibus olim licuit regimina ecclesiarum suscipere *cap. ult. sup. tit. & cap. quod Dei. hoc tit.* Rationem reddit IVO Carnotensis *epist. 69. & 213.* quia in primitiua ecclesia nullus est constitutus rector animarum, nisi de communi vita assumptus. *can. scimus. 12. q. 1.*

VIII. Hoc beneficio donati tandem ab omnia munia ecclesiastica peruenerunt, *can. doctos. ead.* de qua re diu certatum inter monachos, & clericos, his valide contradicentibus, & asserentibus monachos supra votum, & professionem hoc sibi ius arrogare: hac de re conqueritur grauiter HUGO Pontigniacensis in *epist. ad Honorium papam*: simul enim atque ordines sacros assumendi facultas illis data est, etiam episcopalia, & paroecialia iura exercere, praedicare, baptizare, poenitentiam imponere, peccata soluere coeperunt, quod maxime illis B. Gregorius indulfit *d. can. moderamine, & seq.* contra veteres ecclesiasticas sanctiones in *concil. Chalced. can. 4.*

IX. Quod quidem eis licebat foris, & extra monasteria in ecclesiis, in quibus ordinati fuerant: sic etiam intelligendum concilium Later. de quo sumptum *cap. 2. hoc tit.* intra vero septa monasteriorum nusquam olim eis

P P

licuit,

licuit, sed nec episcopis missam celebrare, vt testatur AIMONIVS in *vita Abbonis cap. 12.* hoc tamen etiam ipsis sibi arrogantibus interdictum fuit a Calixto II. & Paschali II. in *can. pervenit. & can. interdiciamus. 16. q. 1.* nec sine magnis contentionibus id potuit sopiri.

X. Cum & confessionum, & sepulturarum ius habuerunt, & missas cantare coeperunt, quod maxime illis erat vetitum, *can. luminoso. 18. q. 2.* quia missa publica olim in paroeciis tantum canebatur, vt diximus supra, *tit. de paroeciis,* quod vt impediretur multis opus fuit constitutionibus, & hac de re exstat ampla constitutio INNOCENTII III. in *epist. ad Antipolitavum episcopum lib. 13. registri,* qua prohibet monachis Lerinensibus aquae benedictae asperisionem, processiones, litanias, baptismum, sepulturam, campanarum pulsationem, antequam in ecclesia paroeciali fuerint pulsatae. Campana iuris paroecialis signum fuit: vnde & presbyteri, qui alicui ecclesiae incardinabantur, per funem campanae inuestiebantur, INNOCENTIUS III. *lib. 1. epist. ad Niuernensem episcopum.*

XI. Tria igitur obtinuerunt monachi; primum, vt ad ordines promouerentur; secundum, vt munia ecclesiastica exercerent; tertium, vt in paroecialibus ecclesiis deseruirent, permittente episcopo, *can. cum pro utilitate. 16. q. 1.* quae omnia iura ab episcopis accipiunt, & clerici facti, eius iurisdictioni subiiciuntur, *can. abbates, & seq. 18. q. 2.* quamuis a lege dioecesana eximantur, *can. 1. 10. q. 1. & can. inter. ead. q. 1.* iurisdictione secum trahit correctionem, & disciplinam, *cap. 1. hoc tit.* quam episcopus exercere potest in delinquentes, maxime negligente abbate, vel praeposito, ad quem primario iure correctio pertinet, *cap. quanto. de officio ordinar.* nisi tunc demum, cum paroeciis inseruiunt, quia tunc tam lege dioecesana, quam iurisdictionis episcopo subsunt. *cap. 14. sess. 25. de regularib. concil. Trident. can. Eleutherius. 18. q. 2.*

XII. Haec autem correctio spectat ad regulae obseruationem, quam potissimum in vestibus, abdicatione proprietatis, cibis, silentio, & officiis consistere constat *ex cap. cum ad monasterium. hoc tit.* vestium quidem & forma, & modus certus est, nec vti eis lineis camisiis licet, sed tantum laneis, quod Gregorius IX. in constitutionibus Benedictinorum strictè prohibet; laneae enim vestes conueniunt poenitentibus, & lugentibus, quales sunt monachi, *cap. 2. inf. de homicid.* vnde est, quod exprobratur quibusdam apud AVENTINVM 5. *annal. Boiorum,* quod ex laneis linei facti essent.

essent. Vstitatus etiam ex camelonum fetis vestitus apud PAVLINVM

2. de vita S. Martini:

*Multis vestis erat fetis contexta cameli.*

Et epist. 7. ad Seuerum, humiles horrentibus ciliciis vocat: & TERTVLL. lib. de pudicitia, conciliatos, seu, conciliciatos, & concineratos.

XIII. Color etiam maxime spectatur in vestibus monachorum, qui pullus olim fuit, vt annotatum est a CARDINALE BARONIO *ad annum 393. cap. fin.* sed successu temporis, & multitudine crescente monachorum, varietas colorum inducta est, vt alii sint nigri, alii albatii, alii variegati, habita certa forma, & mensura vnicuique, ne confusio habitus confusionem inducat ordinum, vt scribit INNOCENTIVS IV. *in epist. ad fratres eremitas S. Augustini.*

XIV. Omnes monachi in eo conueniunt, vt cucullam ferant, vel mafortem CASSIANVS lib. 1. cap. 7. *Capitium* posterior aetas dixit, quod antiquitus significabat tegumentum, quo mamillae foeminarum operiebantur, vt SCALIGER aduertit. Canonici vero regulares birros, pileos, & almutias, Clement. 1. *de statu monach.* coronam in capite gestant, sed monachi ampliorem, totum fere caput radentes, in signum etiam moeroris, & luctus, vt testatur PAVLINVS epist. 7. & SALVIANVS lib. 8. *de prouidentia.*

XV. Tam clerici quam monachi praecinguntur zona, cingulo, vel baltheo, quae sunt signa castitatis, & obedientiae, & eam zonam fuisse pelliceam ad exemplum Eliae, & Ioannis Baptistae docet GERMANVS patriarcha *in theoria rerum ecclesiasticarum*, & GAUDENTIVS Brixienfis *serm. 2.* HIERONYMVS epist. 8. *ad Demetrium.*

XVI. Ciborum etiam qualitas praescribitur, ne carnes comedant in refectorio, nec extra, nisi necessitate cogente; quod nominatim statuitur de monachis S. Benedicti, *in d. cap. 6.* & confirmatum fuit in constitutionibus Cluniacensium a Gregorio IX. Nicolao IV. & Clementia I. *hoc tit.* qua sanctione abutentes monachi libere extra refectorium nulla necessitate cogente edebant, talem licentiam arctauit Benedictus XII. *cap. 26.* prohibendo vsum carniū a prima dominica aduentus, vsque ad natalem Domini; & a septuagesima vsque ad festum paschae, quamuis olim omnibus monachis carniū esus fuisset interdictus, *can. carnem. de consecrat. dist. 5.* monialibus vinum apud D. HIERONYMVM *epistola ad Eust.*

*stocbium: Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno: & in lib. de regulis monachorum* hanc abstinenciam in monachis eo magis desiderari ait, quod apud Aegyptios sacerdotes, & philosophos ethnicos summo pretio habita fuerit.

XVII. Tertium, quod iniungitur, est proprietatis & peculii abdicatio, quae in professione nuncupatur, *can. non dicatis. 12. q. 1.* cuius tam stricta est observatio, ut contra eam non tantum abbas, sed nec summus pontifex possit dispensare, ut est in fine dicti *cap. 6. hoc tit. & in concilio Trident. sess. 25. de regul. cap. 1. & 2.* adeo ut si quis in extremis proprium quid habuisse repertus fuerit, sepultura & fratrum communione priuandus sit, *cap. 2. hoc tit.* & iam sepultus exhumandus, si commode fieri possit *cap. 4.* vel nisi inde scandalum moueatur, *cap. sacris. de sepulturis:* quod si viuis huius criminis reus quis repertus fuerit, excommunicatus est ipso iure, Gregorii IX. constitutione. Nicolaus vero IV. grauius in eum animaduertit, ut per annum in pristinum statum redigatur, & nouus homo fiat, & coram conuentu in terra prostratus comedat. Constitutione denique BENEDICTI XII. *cap. 16.* fit inhabilis ad beneficium, prioratum, officium, & regimen quodlibet.

XVIII. Quarto exigitur in monachis silentium, quod *s. CLIMACVS inanis gloriae hostem* vocat, *gradu 26.* & ipsius scholastes, *custodiam virtutum,* ideoque ipsum quidam maximo vitae suae tempore coluerunt, ut Theonas abbas, quem triginta annis obseruasse refert PALLADIVS in *historia Lausiaca,* & hoc iubet *can. placuit. 16. q. 1. Sedeat solitarius, & taceat.*

XIX. Quinto iniungitur custodia castitatis, quae inter praecipua vota reponitur, & a qua dispensare etiam summus pontifex non potest: haec annexa fuit semper monasticae vitae, & licet digniores fuerint clerici etiam minorum ordinum, tamen in hoc dignior conditio monachorum, quibus, sicut in sacris ordinibus constitutis, matrimonium interdictum est. *can. 16. concilii Turon. II. can. seriatim. 32. dist. nouell. 5. Iustinian.*

XX. Postremo addenda obedientia, de qua licet non fiat mentio in *d. cap. cum ad monasterium:* tamen eam tacite subnotat HONORIVS III. in *cap. fin. dum de contumacium,* & rebellium correctione tractat: eam absolutam, & omnimodam esse debere statuit *can. abbates. 18. q. 2.* Obedientia, citra ullam diiudicationem propriae voluntatis renunciatio, defi-

ni-

nitur ab ANTIOCHO, monacho coenobii S. Sabae, *homil. 39.* qui eam primum locum fortiri ait, & olim eam praecipuam, & primam fuisse virtutem apud orientales monachos scribit SEVERVS *dial. 1.*

XXI. Peruicaces, incontinentes, & voti infractores grauitur puniri debere per abbates carcere, vel exilio, vel aliqua alia poenitentia statuitur *in d. cap. fin.* Regula S. Benedicti huiusmodi transgressores zona ad collum appensa, genibus flexis, fisti iubet ad portam refectorii, vt videre est in eius constitutionibus; cingulo enim honoris, & ordinis priuabantur, *concilio Hispal. II. anno 657.* sumpto more antiquorum, quo virgines corporis dedecus passae, zona suspendebantur; & cum nuptui dabantur, zonam soluebant, quae nodus erat virginitatis, vt notat *interpres APOLLONII TYRII.* Falsi iudices, & milites transfugae per zonae, vel cinguli detractionem exautorabantur, apud CASSIODOR. *in psalmum 29.* & VALERIVM MAXIMVM *lib. II. cap. 7.*

XXII. Quod si abbates, & praepositi in huiusmodi excessibus corrigendis segnes fuerint, visitatores denuntiabunt episcopo, cuius proprium munus regere monasteria, vt ait D. AMBROSIVS *epist. 82. lib. 10.* vel summo pontifici, si exemptum fuerit monasterium, vt est in *cap. 222. lib. 6. Capitul. Caroli M. l. 40. C. de episc. & clericis.*

## TITVLVS XXXVI.

DE

RELIGIOSIS DOMIBVS, VT EPISCOPO  
SINT SVBIECTAE.

I. **N**on solum personae, sed etiam domus religiosae subiici debent episcopo, quae non possunt exstrui absque eius licentia, *can. omnes basilicae. 16. q. 7. secundum antiquos canones,* inquit; propterea quod in *can. apostolorum, 34.* statuitur episcopum vniuscuiusque gentis esse caput; ita vt nihil arduum, & magni momenti praeter illius mentem fieri possit, *can. 4. concil. Chalced.* ob audaciam quorundam id factum, qui oratoria, & monasteria eo inconsulto construebant.

II. Episcopus habet potestatem, & curam totius dioecesis, quam *canon 9. syn. Antioch.* vocat regionem, quae vrbis episcopali subest, *πίσις τῆς*

P P 3

χώρας.

χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτῆ πόλιν. Ciuitas episcopi dicitur, non tantum vrbs moenibus, & pomoeriis cincta, vt in *l. 2. ff. de verb. signif.* siue cum suburbiis, & continentibus aedificiis; *cap. si ciuitas. de sentent. excomm. in 6.* sed etiam omne territorium, & regionis ambitus ei adscriptus, vniuersitas agrorum, vicorum, & coloniarum, prout definitur in *l. fin. de iurisd. omnium iud.* & de praefecto vrbi dicitur in *l. 1. de praef. vrbi*, qui iurisdictionem habet intra centesimum milliare, & hoc spatium vrbi adscribitur: ideo episcopus non tantum dicitur vrbs, sed etiam territorii episcopus, *l. monasteria. 40. C. de episc. & clericis*: simili sensu refert XI-PHILINVS Seuerum imperatorem urbem, omnemque regionem Perinthiis concessisse, vt vicum Byzantium, τὴν πόλιν, καὶ τὴν χώραν ἐχαρίσατο.

III. Intra hoc territorium vltra licentiam episcopi domus religiosa poni non debet; domus religiosae nomine censetur templum, basilica, κυριακὸν a ZONORA in *can. 28. synodi Laod.* non quod, vt quidam censent, a regibus, & principibus dominis esset fundatum, sed ab ipso omnium Domino, vt refert EVSEBIVS in *vita Constantini*, & RVFINVS *1. hist. cap. 3.* hoc autem nomine cenferi tantum cathedrales, & matrices ecclesias, quidam annotarunt; quod omnino non est reiiciendum, tum quod caeterae ecclesiae paroeciales, in quibus episcopi sedem non habebant, eiusdem tamen dioecesis ecclesiae, vel templa proprie dicerentur; quae vero vsui cederent monachorum, neutro vocabulo nuncuparentur, sed oratoria simpliciter, vel domus oratoriae. *cap. 6. supra, de statu monach. can. 4. concilii Chalced.*

IV. Altaria quoque hoc titulo comprehenduntur, quae erigi etiam passim non possunt citra episcopi licentiam, quod a *synod. Carthag.* statutum est, *can. 86. & can. placuit. de consecrat. dist. 1.* propter zelum iniquum, seu potius daemonicum afflatum, quo moti rustici temere in honorem martyrum dicabant, non habentes reliquias, vt scribit BALSAMON, Quae altaria memorias dici, martyria, confessiones, vulgatum est ex *can. ult. syn. Gangren.* & ANASTASIO *bibliothecario.*

V. De coemeteriis idem dicendum est, erant enim aedes, in quibus condebantur ossa martyrum, CASSIOD. *trip. part. hist. cap. 3. lib. 5.* Populus ieiunans est egressus ad coemeterium orationis causa: ab his templorum originem manasse quidam censuerunt; nam & D. HIERONYMVS. *lib. de locis Hebraicis*, scribit sub ipsam Lazari tumbam aedificatam fuisse nobi-

lem

lem ecclesiam: quod verum est de templis tantum in honorem martyrum dicatis, praeter quae Christiani ecclesias tempore D. Petri habuerunt, antequam memoriae martyrum construerentur; nam & Linus praecepisse fertur, vt foeminae velatae essent in ecclesiis apud eundem ANASTASIVM, quae quidem ecclesiae ex priuatorum aedibus confectae sunt, & ideo sacrae aedes vulgo, & religiosae domus dictae fuerunt; reperimus etenim Pudentis senatoris, & discipuli Petri domum ad sacrum cultum fuisse conuersam, & Euphemiam matronam domum suam in titulum erexisse *epist. 1. Pii papae.*

VI. Sunt praeterea alia loca, quae domibus sacris, & religiosis annumerantur, *hoc titulo*, loca nempe ad hospitalitatis usum deputata, *cap. ad haec. hoc. tit.* quae non sunt sacra, sed religiosa: differentiam agnoscimus ex iure ciuili inter rem sacram, & religiosam, *§. sacrae. instit. de rerum diuis.* & ex VARRONE in *Verrio Flacco*: sed diuerso ritu, vt dicetur infra *de ecclesiis aedific.* religiosa loca sunt nosocomia, ptochotrophia, xenodochia, & similia, quae recensentur in *l. sancimus. C. de sacros. eccles.* & in rubrica *C. de episc. & cleric.* quae & dicebantur *κοιμητήρια*, in quibus peregrini, & senes infirmi recipiebantur, & dormiebant, apud *Atbenaenum lib. 1. cap. 5.*

VII. Haec omnia subsunt episcopo, & erigi eo inconsulto non debent, *cap. 3. hoc tit.* licet quidem vnicuique laico priuatim habere oratorium, & hospitale in propriis aedibus, dummodo in eis altaria non erigantur, nec officium missae celebretur, nec formam ecclesiae gerat, *can. clericos. de consecrat. dist. 1. nouel. IUSTINIANI. 58.* Solus episcopus potest facere locum sacrum, consecratione rite, & solenniter facta, & constitutione, vel religiosum destinatione, *d. cap. ad haec.* quae omnia pertinere ad legem dioecesanam, siue iurisdictionis episcopi ex *concilio Ilerden.* refertur in *can. 1. 10. q. 1.* ita vt nullus chorepiscopus, vel presbyter possit iure proprio altaria erigere, & basilicas consecrare, *can. 7. concil. Hispal. II. virgines consecrare, vel benedicere can. 8. concilii Wormat.*

VIII. Olim quidem nec id ius episcopi semper habuerunt, sed solus summus pontifex, qui eis licentiam dabat: hoc episcopis ademit Gelasius I. *can. de locorum, & duobus sequentibus, de consecrat. dist. 1.* rationem reddit LVITPRANDVS in eius vita; quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum constructiones aedificabant; & sacris pro-

ces-

*cessionibus audacter instituebant: quod confirmat etiam SOCRATES lib. 2. cap. 8. eccles. hist. & locum habuit tempore D. Gregorii, a quo etiam facultas consecrandi ecclesias petebatur, vt ex epist. 14. lib. 12. registri, & epist. 18. lib. 11. patet.*

IX. Pertinet quoque ad episcopum cura, & dispensatio prouentuum tam ecclesiarum, quam aedium religiosarum, & venerabilium, & hoc ex antiqua consuetudine ecclesiae, *can. sic quidam, & sequentib. 10. q. 1. de xenodochiorum, & religiosarum domuum distributione, & cura, idem statuitur in concilio Aquisgran. cap. 141. constituendi sunt enim oeconomi, qui negotia, & res gerant, & singulis annis suae administrationis rationes referant episcopo, vt ait IUSTINIANVS in l. omnem. 42. C. de episc. & cleric. regiae quoque sollicitudinis hoc esse constat ex can. 40. concilii Meldens. sunt enim viduae orphani, & minus potentes sub mundeburde, seu tuitione regum cap. 223. lib. 6. Capitul. Caroli M.*

## TITVLVS XXXVII.

DE

### CAPELLIS MONACHORVM, ET ALIORVM RELIGIOSORVM.

I. **S**atis demonstratum fuit, quo pacto monachi, & regulares clerici ad ecclesiastica munera peruenerint, quibus etiam licuit proprias ecclesias, & paroecias habere, dummodo in eis presbyter adhiberetur, qui curam populi fumeret; sed quia id ipsum etiam sibi vindicabant, merito adiectus est titulus, quo ostenditur monachos saepius oratoria, & capellas instituisse, & iure proprio possedisse, in quibus ipsi munia paroecialia obibant; ideo prouisum huic incommodo fuit ab Urbano II. in concilio *Claremont.* & nouiter statutum, vt populus per capellanum hisce capellis praefectum regatur, *cap. 1. hoc tit.* cuius tamen instituendi facultas monachis remaneat, quos praesentare episcopis debeant. *cap. 3. infra, de priuileg. cap. 3. hoc tit. in prima compil.*

II. His consensit Urbanus, licet inuitus, eo quod iure eas capellas tenere monachi non possent, quas eis acquisitas, ratas, & inconcussas permanere vult, propter ineuitabile scandalum: *hoc tamen tenore, ne*  
*incon-*



*inconsultis episcopis in posterum talia praesumant, ut est in integra decretali, in prima compil. quod postea seruatum non fuit, sed in locis ad monachos pertinentibus monachi plebis regimen continuerunt, ideoque in cap. fin. vetat HONORIVS III. ne liceat illic aliquem solitarium morari sine socio, sed eis alius adiungatur, aut vero ecclesiam per clericos seculares deseruiant iuxta Lateranense concilium cap. 2. supra, de statu monachorum, etsi rescripto apostolico id eis concessum fuerit, nisi ab eo derogetur dicto concilio. cap. ex parte. hoc tit.*

III. Sed cur hic titulus, cum in eo fit quaestio de plebium cura, concipiatur de capellis, non vero ecclesiis, cum certum sit, ecclesias dici, in quibus conuentus sit Christianorum *ad Rom. cap. 16.* ideo quod, ut superius dixi, non sine magnis contentionibus monachi ad earum gubernationem admissi olim fuerint, nec illis licuerit vlla templa possidere, sed tantum oratoriola, siue capellas ita dictas ob clericum, siue capellanum, quem in eo instituere tenebantur. Quapropter recte in tertia compilatione hic titulus concipitur *de capellis clericorum, & monachorum.*

IV. Contenti erant monachi hisce aediculis, quae ita humiles erant, ut tabernis, seu pergulis negotiatorum similes essent, dictae capellae, quas *καπιλέια* vocat IULIVS POLLVX, & HESYCHIVS *καπέλλον*, quasi dicas *σικόν*, tentorium, stabulum, templum apud PLVTARCHVM, quo quidem vtuntur ut plurimum mercatores in nudinis, similiter enim erigi solebant facella portatilia, maxime in castris, ut testatur VINCENTIVS *Bellouac. lib. 32. cap. 92.* quibus ad missas celebrandas vtebantur presbyteri, qui principes ad bellum proficiscentes sequebantur, vnde dicti capellani: ea capella portatilis dicitur motorium templum *tripart. bist. lib. 1. cap. 9.* & missae, quae in his tabernaculis celebrabantur, dicebantur missae castrenses, ut refert GENEBRARDVS *in chronicis ad annum 315.*

V. Possumus etiam deriuare capellam a prisco vocabulo Gallico, *chape*, id est, toga: vnde *chapeau*, quia totum hominis caput tegit; & apud Vascones *caperan*, vel, *capelan* sit tegere: *caperade*, vel, *capelle*; sit locus tectus, & coopertus: loca ergo sacra quod tecta sint dicta, *chappelles*; & detracta aspiratione *capelles*. Confirmatur ea opinio ex eo, quod capsa, in qua conditae erant reliquiae, dicebatur capella: MARCVLPHVVS *lib. 1. formula 38.* *Tunc in palatio nostro super capellam domini Martini debeant coniurare.* Non reiicimus tamen sententiam WALA-

QQ

FRIDI

FRIDI STRABONIS, qui capellanos a cappa S. Martini deducit. HONORIVS in *sermone de S. Martino*: *buius, inquit, cappa Francorum regibus ad bella euntibus pro signo anteferebatur, & per eam hostibus victis victoria potiebantur: unde & custodes illius cappae usque hodie capellani appellantur.* Tanta fuit veneratio illius cappae, vt hoc obiter dicam, vt custodes capellani, & locus, vbi seruabatur, inde dictus, fuerit capella. Sic in Hispania, tunica S. Vincentii summo fuit in honore, & in bellis delata, apud ADONEM VIENN. *chronic. aetate 6.*

VI. Sacelli etiam nomine donamus capellam, quia vt refert ISIDORVS templum, seu sacrum est maior ecclesia; sacellum aedicula, seu priuata domus: quod notat etiam PAVLVS in *l. 9. ad l. Iul. pecul. sunt sacrilegi*, inquit, *qui publica sacra compilarint; at qui priuata sacra, vel aedicula incustoditas tentauerint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi; per aedículas intelligit Paulus, lares domesticos, non vt voluit ACCVRS. capellas Christianorum, quod & reperio adnotasse virum doctum MENDOZAM ad concil. Illiberitanum.* TREBATIVS vero sacelli originem non a sacro solum deducit, sed quasi compositum verbum vocat *sacram cellam*, vt ex eo refert MACROBIVS *lib. 3. cap. 4.* quasi dicat locum paruum Deo dicatum; locellum, in quo etiam aptantur statuae, vel aues, teste ARISTOTELE, & hoc ad differentiam templi, quod sacrum dicitur, & magnum *ἱερόν*, quod vtrumque significat; quasi templum dicatur, vbi frequentia populi est, & magnis vsibus sit destinatum; ideo VLPIANVS, & MARTIANVS in *l. 6. & 9. de rerum diuis.* sacrum definiunt, *quod publice consecratum est.*

VII. Sicut ergo superioribus titulis demonstratum, ecclesias & domos religiosas non ab alio, quam episcopo institui, & fundari posse; ita nunc a monachis aedículas, & capellas erigi non posse, *can. sanc. 16. q. 2.* erectas tamen eis conseruari, dummodo in eis capellanos ponant, quos praesentent episcopis, & ita ius eis conseruetur praesentandi presbyteros, quorum sint inuestitores, vt loquitur GREGORIUS in *can. visis. eadem quaest.* & ita ius patronatus acquirant, de quo sequenti titulo.



## TITVLVS XXXVIII.

DE

## I V R E P A T R O N A T V S.

I. **I**us patronatus ignotum fuit primis ecclesiae temporibus, & praerogatiuae, quibus gaudent nunc fundatores ecclesiarum sensim, & sursum irrepserunt, conuenientia scilicet ad excitandos fidelium animos, ut testatur INNOCENTIUS III. in cap. quoniam. hoc tit.

II. Duo praecipue ad id ius habendum plerosque impulerunt, ambitio, & auaritia; qui enim ecclesias construebant olim, praecipue sibi arrogare voluerunt bonorum ecclesiae collatorum dispensationem; tum etiam clericorum ordinationem, seu institutionem, quorum audaciam primum repressam a Pelagio II. comperimus, in can. abbatem. 18. q. 2. & a concilio Toletano III. ipsius temporibus congregato in can. nouerint. 10. q. 1. tunc enim dotem ecclesiae ab ordinatione episcoporum tollebant, imo & redditus sibi proprios faciebant, quod vetitum concilio Bracar. can. 6. relato in can. si quis. de consecrat. dist. 1. sed & multo antea concilio Ilerd. in can. 1. 10. q. 1.

III. Praecipue, quod fundatores habuerunt ex consensu, & constitutionibus ecclesiae, fuit electio, & nominatio clericorum, d. can. abbatem, concilio Toletano IX. in can. discernimus. 16. q. 7. vulgata inscriptio habet ex concilio Toletano IV. sed male. Hoc etiam suis edictis cauit IUSTINIANVS nou. 57. in fine, & 128. cap. 18.

IV. Gelasius postea omnia iura fundatoribus adimere voluit, solo aditu processionum relicto, sicut licet ceteris Christianis, can. piae mentis. & can. Frigentius. 16. q. 7. siquidem multi aedificantes oratoria, & aediculas sacras in martyrum honorem, publicos conuentus, & processiones instituebant, quod Gelasius prohibuit in can. certum. de consecrat. dist. 1. & apud LVITPRANDVM in eius vita: multi, inquit, constructiones aedificabant, & sacris processionibus instituebant; ideo in d. can. piae mentis, statuit, non alias processiones fieri posse, quam publicas, quibus ipsi sicut alii Christiani interessent, quod etiam prohibuit IUSTINIANVS nou. 123.

QQ 2

c. 32.

32. *se laici faciant τὴν λήτην*, quam *ὄρμωσιαν πρὸς ὁδὸν* vocat, id est, publicum processum. *non. 67. c. 1. & IVLIANVS antecessor in nouellis.*

V. Praetendebant ipsi fundatores gradum, auctoritatem, & dignitatem, non tantum in ordinatione & electione clericorum, dispensatione, & perceptione reddituum, vt dixi; sed etiam ius procedendi in conuentibus, & coetibus fidelium, sicut episcopi, & alii praelati habebant; quae causa fuit, cur Gelasius tam acriter cum his egerit. Processionum autem ordinem, tum honorem, qui praelatis deferabatur, agnoscimus ex *TERTVLL. lib. de praescript. aduersus haeret. & D. AVGVST. 22. de ciuit. Dei cap. 8.* processionem erant supplicationes solennes cum hymnis, & canticis apud *D. GREGORIVM lib. 2. epist.* Graeci *λιτανείας* vocant, quibus interesse solebant reges, principes, & magistratus, & ad campos vsque sequi sacerdotes, vt scribit *ZONARAS 3. annal.* primis quidem temporibus erant antelucanae, teste *SIDONIO epist. 17. lib. 5.* & in his omnes Christiani non miscebantur, sed in varios coetus distribuebantur, vt optime demonstrat *GREGORIVS, epist. 2. lib. 11. Erat litania alia clericorum, alia monachorum, alia virorum, alia foeminarum, alia monialium, alia viduarum, alia infantium, & pauperum.*

VII. Patroni, seu fundatores peculiarem litaniam a reliquis seiunctam parabant, quae causa fuit Gelasio eos in litaniam ceterorum fidelium redigendi, quod ita percrebuit vsque ad tempora *ALEXANDRI III.* qui *in cap. nobis. 25. hoc tit.* processionis, seu potius praecessionis honorem patronis indulgit post clericos, qui primi semper sunt, *cap. 1. de vita, & bon. cleric.* laici vero sunt postremi, quos honorem etiam confessus clericis dare debere scribit *TERTVLL. lib. de exhortat. ad castitatem. cap. 7.* *Differentiam, inquit, inter ordinem, & plebem constituit ecclesiae auctoritas, & honor per ordinis confessum sanctificatus à Deo, vt zelus Christianorum excitetur ad ecclesias construendas, & opibus subleuandas.*

VII. Tandem eis quasdam praerogatiuas tacitus magis ecclesiae consensus, quam lex generalis indulgit iis omnibus, qui vel constructione, vel dotatione, vel soli concessione ecclesiam iuuant, vnde versus:

*Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.*

Quibus munificentiae modis ius patronatus acquiritur, & patronus fit quasi dominus, & vocatur dominus in *can. abbateyn. 18. q. 2. l. 1. C. de colonis Thracen. l. vnica C. Theod. ne colonus inscio domino: vnde factum est*

vt

vt reges, & duces omnium ecclesiarum in suis ditionibus sese patronos alle-  
ruerint, ratione soli, seu fundi, quamuis eae sint cathedrales, vel colle-  
giatae, vel monasteria, *cap. cum terra. de electione*, & eo sensu Waldema-  
rum regem Daniae hoc iure vti potuisse, licet noluerit, scribit ALB.  
KRANTZIVS *lib. 6. Daniae*.

VIII. Cum patronatus honore, onus etiam suscipere tenentur pa-  
troni; quippe ad patrocinium, & curam ecclesiarum tenentur, *can. filiis,*  
& *seq. 16. q. 7.* ob quod etiam in locum defensorum, & aduocatorum sae-  
pius successerunt; fuerunt enim primitus in ecclesia defensores, *ἐκδιωσι*  
*in concilio Chalced.* qui per vniuscuiusque ciuitatis incolas eligebantur, vt  
notat BALSAM. *ad can. 78. concil. Carthag.* In ecclesiis vero priuato-  
rum donis constructis, non alii coeperunt assumi defensores, quam ipsi  
fundatores, quos ideo & patronos, & aduocatos vsus appellauit, *cap.*  
*praeterea*, & *cap. cum autem. hoc tit.* & patronatus ipse aduocatia dictus  
est *cap. quia. hoc tit.* & apud MATTHAEVUM PAR.

IX. Fuisse tamen distinctos patronos a defensoribus, postremis  
etiam temporibus, colligendum videtur ex *d. cap. praeterea*, quod non ne-  
gandum pro ratione ecclesiarum: nam in quibusdam erant patroni, in  
aliis erant vicedomini, custodes, vel guardiam habentes; sed hi omnes  
aut erant reuera fundatores, aut fundatorum vicem gerebant, & vario  
nomine pro varietate locorum vocabantur; *aduocati*, & *defensores* apud  
KRANTZIVM *lib. II. cap. 4. Saxoniae*, *lib. 7. cap. 9. metropol. cap. in*  
*quibusdam. de poenis. cap. generali. sup. de elect. custodes*, & *guardiani*, *ἐφοροι*  
apud BALSAM. *ad can. 1. synodi Constantinop.* Custodia dicitur guardia  
a vocabulo Germanico *wart*, quod diligentem corporis custodiam signi-  
ficat: dicti etiam vicedomini, quasi domini locum tenentes, *can. dia-*  
*conum. 89. dist.* Castaldi, qui domini loco praedium seruant *tit. 2.*  
*lib. 11. feud.*

X. Sunt praeterea oeconomi, de quibus *in d. cap. praeterea*, non  
fit mentio, quos tamen comprehendere debemus his verbis, *seu quo-*  
*cumque alio nomine censentur*, *mansionarii*, & *paramonarii*, in *l. 46. C. de*  
*episc. & cleric.* qui sunt villici, seu actores possessionum, *can. 1. con-*  
*cil. Chalced.* Sed inter hos omnes supradictos discrimen semper fuit;  
siquidem aduocatos, defensores, patronos, guardianos licet promiscue  
vsurpatos reperiamus; tamen ab oeconomis, vicedominis, mansiona-

riis, & actoribus longe distare certum est: quandoquidem illorum cura leuior, horum grauior fuit: illi e laicis potuerunt assumi; hi tantum de proprio clero. *can. quia in quibusdam. 89. dist.*

XI. Porro ipsi omnes, licet non essent clerici, tamen clero adnumerabantur, adeo vt eos promouere per pecuniam crimen esset, vt est *in can. 2. concilii Chalced.* vnde consequenter supra reliquos laicos nonnullis honoribus, & praerogatiuis fruebantur. Episcopi enim, chorepiscopi, presbyteri, diaconi ordinabantur; reliqui vero clerici caractere designabantur, defensores, oeconomi, & reliqui officiales promouebantur, & haec promotio illis honor erat, & dignitas, vt scribit BALSAMON. Hinc factum fuit, vt fundatores ad illorum exemplum eadem iura praetenderint, quibus restitit diu ecclesia, donec tandem aequitas suasit, illis aliqua indulgere, ne aliter charitas fidelium refrigeret. Igitur praeter curam, & defensionem ecclesiarum, & clericorum praesentationem patronis datam, vt si quando ad inopiam vergant, de redditibus ecclesiae eis prouideatur *can. contra. & can. quicumque. 16. q. 7. cap. in officiis. supra, de testament.* Ecclesia enim, quantum ad res, & possessiones, quasi liberta est fundatorum, exemplo liberti, qui tenentur alere patronum suum, & manumissorem. *l. si quis a liberis §. solent. de liberis agnosc. l. 5. C. de alendis liberis.*

XII. Creuerunt successu temporis praerogatiuae patronorum; siquidem & hodie sedis eminentioris, & sepulturae locum nobiliorem sibi constituunt. Praeter haec, si quae alia sunt, magis consuetudo, quam ius probauit, vt sunt tributa, census, & exactiones, quarum non potest patronus vllam spem concipere, nisi nominatim initio foundationis referuauerit, quod fit consentiente episcopo ante ecclesiae consecrationem *d. cap. praeterea. & cap. 3. ne praelat. vices suas,* aliter non sufficit patroni referuatio, *cap. cum dilectus. de consuetud.* quia per se onera ecclesiae imponere non potest. *cap. 4. hoc tit.*

XIII. Similiter non potest patronus tempore vacationis fructus suos facere, nisi id ita quoque exceperit, vt notat glossa *in d. c. generali. de elect. in 6.* hinc nata regalia vacantium episcopatum, & abbatiarum, quasi reges, & duces initio referuauerint. Quibus casibus exceptis, non possunt patroni quidpiam exigere sub poena anathematis, vt ALEXANDER III. statuit *in concil. Lateran. d. cap. 4. & cap. praeterea.*

terea. 23. quae constitutio facta fuit praesente Friderico aenobarbo imp. ex consilio cardinalium, vt ostendit initium *cap. ad abolendam. de haeret. in prima collect.*

XIV. Ergo praecipua patronorum praerogatiua in praesentatione consistit, non mera concessione *cap. fin. hoc tit.* Episcopi quidem necessarius est consensus, adeo vt ii excommunicentur, qui a laicis tantum ecclesias capiunt irrequisita episcopi audientia, id est iudicio, & eas statim resignare cogantur, *cap. relatum. hoc tit.* & haec praesentatio non extenditur generaliter ad omnes ecclesias, sed tantum ad capellas, & oratoria, non ad conuentuales, & collegiatas; ita vt si quis ius patronatus in capella habuerit, quae postea populi consensu, & frequentia paroecia facta fuerit, amittet facultatem eligendi, & praesentandi plebanum; sed ne praetermitti per ingratitude videatur, assensus eius requiretur, *cap. nobis. hoc tit.* & latius in *secunda collect.* Quod si hoc initio cauerit priuilegio speciali, non adimetur ei ius praesentandi, *arg. can. Eleutherius. 18. q. 2.* communiter scilicet cum clericis, *can. hinc est. 16. q. 1.* quamuis id contra ius, vt laicus cum clericis eligat, vel praesentet. *cap. sacrosancta, & cap. Messana. sup. de elect.*

XV. Sicut autem patronus sine episcopi institutione neminem ecclesiis praeficere potest; ita nec episcopus sine praesentatione patroni, nisi post negligentiam quatuor mensium, si patronus sit laicus, sex mensium, si ecclesiasticus, *cap. eam te, & cap. cum propter. hoc tit.* quae prima est differentia; alia est, quod primus praesentatus a clerico potior sit in iure, vltimus vero praesentatus a laico. *cap. cum autem. hoc tit.* Patrono ecclesiastico inuito potest legatus a latere conferre, non vero inuito laico, *cap. cum dilectus. hoc tit.* Romanus pontifex ex plenitudine potestatis suae *d. can. cuncta. & can. vlt. 9. q. 3.* potest tam ecclesiastico, quam laico derogare, si hoc specialiter adiectum sit in rescripto; nam aliter non praesumitur velle ius suum cuiquam tollere. *can. ecce. & ibi gloss. 90. dist.* In Gallia tamen derogatio iuris patronatus laici non seruatur.

XVI. Differt etiam patronus laicus ab ecclesiastico, quod ille, si indignum praesentauerit, non ideo priuetur iterum facultate praesentandi, *cap. 4. supra, de offic. ordinar.* variare enim potest, *cap. cum autem. hoc tit.* dummodo scilicet primi praesentatio non iam sit probata episcopo,

po,

po, *cap. quod autem. hoc tit.* si enim liceret a praesentatione effectum fortita recedere, illuderetur saepe dioecesano. *cap. bonae. §. nec obstabat. de postuland.* Ecclesiasticus vero pro ea vice priuatur, *cap. 7. §. fin. supra, de elect. cap. 11. infra, de excessib. praelat.* quae ratio non aliunde petenda est, quam ab eo, quod ius patronatus ecclesiasticum est mere spiritale, imo est beneficium, quod nullo modo vendi, donari, vel alienari potest: laicum vero ius non est spiritale, sed spiritali annexum, & potius religiosum, quam sacrum, & ideo licet separatim vendi non possit, tamen cum vniuersitate alienari potest. *cap. de iure. hoc tit.*

XVII. Communia vero quaedam sunt vtrique patrono, nempe vt in dissensu maioris partis calculo eius stetur, *cap. 1. 2. & 3. hoc tit. cap. 1. de his, quae fiunt a maior. part. cap. vt institutus per nouum patronum non possit inuitus mutari, cap. querimoniam. hoc tit. concil. Trident. sess. 14. cap. 12.* reliqua, quae ad *d. cap. praeterea*, pertinent, in *seq. titulo* expenduntur.

---

## T I T V L V S   X X X I X .

D E

### C E N S I B V S ,   E X A C T I O N I B V S ,   E T P R O C V R A T I O N I B V S .

I. **S**uperiori titulo actum de oneribus, quae ecclesiis incumbunt ob ius patronatus; nunc agitur specialiter de tributis, quibus obnoxiae sunt ecclesiae, non tantum patronis, sed etiam praelatis in signum, & probationem subiectionis. *cap. omnis. hoc tit.*

II. Varia sunt genera tributorum, quorum mentio in *cap. praeterea. superioris tituli*; & tamen eorum tractationem meliori consilio in hunc reiecimus: quia non solum a patronis, sed etiam aliis personis exiguntur. Haec sunt fodrum, albergaria, regium, quae verbis huius rubricae subintelliguntur: quippe fodrum est procurationis, siue euectionis praestatio, *cap. procurationes. hoc tit.* est enim equorum pabulum, & quicquid eis in cibum datur: vox Germanica, significans foenum,



foenum, seu stramen, Gallice, *foine*: quamuis fodrum praeter pabulum equorum ad plenam pastus administrationem trahatur in constitutionibus CONRADI, 5. *feudorum*, & ad annonam, apud AYMONTIVM lib. 5. cap. 3. *hist. Franc.* perinde ac verbo victus, & panis omnia necessaria continentur. l. *verbo victus. de verb. signif.* ita quoque euectio, quae proprie est veredorum, & paraueredorum, l. *euectiones. lib. 12. C. de cursu publico*: tamen & pro omni victus praestatione sumitur apud MARCVLPHV M lib. 1. *formula 11.*

III. Hoc iure canonico utimur vulgo nomine procurationum; quia sicut euectiones sunt diplomata, & codicilli, quibus cursus publici usus conceditur, allata tessera, quam synthema D. HIERONYMVS vocat, Graeca voce, quae significat tesseram, & continet id, quod ex pacto, vel consensu datur, apud SVIDAM, HESYCHIVM, & ATHENAEVM σύνθημα: ita & procurationes erant quaedam litterae, seu tractoriae, γράμματα συστατὰ, in quibus euectionum modus continebatur, pro ratione, & conditione visitantium, ut constat ex *capitul. Caroli M. lib. 4. cap. 69.* & hoc procurationis nomine praeter pabula equorum, cibi etiam necessarii, non epulae solennes praestabantur. *cap. cum apostolus. hoc tit.*

IV. Ideo vero procurationes, & euectiones maxime, in numero, & quantitate equorum constituebantur; tum quia praecipuas impensas pariat equorum cura, cum quod constituto numero equorum, constituitur etiam numerus personarum, & sic euectio proprie denotat viaticum vnius equitis. Haec & alia nomina licet proprium habeant significationem, tamen sumuntur promiscue pro integro viatico. Aliquando debetur solum hospitium, & vulgo appellatur *alberga*, seu *albergaria* in d. cap. *praeterea*, quasi dicas *bebergaria*, a veteri lingua Gallica *beberger*, quod significat hospitio recipere in *capitularib. cap. 68. lib. 3.* Dicitur praeterea mansio, quae sumitur pro diuersorio, pro habitatione, ad quam viatores superueniente nocte, vel aeris intemperie sese recipiunt apud APVLEIVM lib. 4. & SVETON. in *Tito cap. 10.* hinc, *mansus*, vocabulum latius diffusum pro villa, seu hereditate agros, prata, vineas, pascua continente in *capitul. cap. 9. lib. 1. & cap. 1. hoc tit.* quod dicitur etiam mansionaticum.

R R

V.

V. Quamuis autem supra dicta nomina fodri, procurationis, euectionis albergariae, mansionatici peculiarem significationem habuerint; tamen quia vnum sine altero vix esse potuit, ei, qui fodrum, & pabulum equorum habebat, etiam victus dandus erat, ideo fusius accepta sunt: deinde alio vocabulo donata sunt, *paratarum* nempe; quasi scilicet dixerimus *paratas* omne id, quod tam ad equorum pabulum, quam hospitium, & victum transeuntium fuerit necessarium: *glossarium PITHOEI paratas in epist. ad Ludouicum apud Attiniacum c. 14. maiores paratas exquirere HINC-MARVS de archidiaconis; pastus, & repastus appellat SIDONIVS epist. 11. lib. 8. parata hospitia dixit, & concilium Tolosanum sub Victore II. paratam soluere, pro omni genere viatici, quod tantum visitantibus debetur, excepta pecunia numerata, dicto cap. cum apostolus, hinc hodie adhuc nostro idiomate la parade.*

VI. Non debent etiam visitatores ultra duos dies in eodem loco moram facere, nisi euidens cogat necessitas, in constitutionibus Benedictii XII. *cap. 2. trium dierum spatium concessum fuisse scribit CASSIODOR. 12. variarum, epist. 15. vnus vero tantum statutus fuerat in concil. Tolet. can. inter. 10. q. 3.*

VII. Ius istud procurationis omnibus competit, visitationis facultatem habentibus, & nullae ecclesiae ab hoc onere excusantur, quia omnes legi iurisdictionis subiiciuntur, *cap. hospitae. hoc tit. cap. 1. supra, de statu monach. nisi speciali priuilegio sint munitae, gloss. in cap. dilectus, supra, de offic. iud. ordin. cap. dilecti. de priuileg. nec procuratio exigi potest, nisi a visitantibus tantum personaliter, non aliter. cap. procuratores. 23. hoc tit.*

VIII. Praeter paratas, & conuiuia, aliud ius debetur episcopo, quod cathedraticum nuncupatur, ob honorem cathedrae episcopalis, & matricis ecclesiae, & ob consecrationis beneficium; *can. 1. & seq. can. ult. 10. q. 3. atque etiam in signum subiectionis; cap. omnis. hoc tit. hoc cathedraticum plerique cum iure visitationis quasi vnum, & idem fit, confundunt, quod concilium Bracar. in dicto can. 1. suadet, & indicat INNOCENTIUS III. in cap. pastoralis. de donat. in quo si episcopus remiserit omnes prouentus, quos in aliqua ecclesia percipiebat, non ideo censetur remisisse cathedraticum. & ius visitationis. cap. cum venerabilis. hoc tit.*

IX.

IX. Primitus quarta portio, vel quarta decimarum, & oblatio-  
num, quae episcopo dabantur, erat pro cathedratico, & pro visitatio-  
ne, vt patet ex GREGORIO M. *epist. 12. lib. 4.* Confirmat hanc senten-  
tiam *can. decreuimus. 10. q. 1.* in quo statuitur, vt secundum antiquum or-  
dinem, ecclesiae visitentur: *quia, inquit, tertia pars omnibus vt accipia-  
tur ab episcopis, nouimus esse statutum:* & quia hoc vitium desidia haesit  
pluribus visitationis onus fugientibus, eos tamen lucri cupiditas compel-  
lit, vt aliquo censu contenti essent, & mansiones aliquo pretio remitte-  
rent, vt loquitur *can. relata. ead.* pretium illud fuit duorum solidorum:  
verum episcopi, & alii praelati fiscum suum magis locupletarunt seruata  
media, tertia, vel quarta reddituum omnium parte, quae iure antiquo eis  
fuerat assignata, *can. antiquos. can. de bis. can. decreuimus. 10. q. 1.* de  
nouo postea sibi quaesierunt ius procurationis, & ius cathedratici, quod  
sub diuersis nominibus idem erat, vt constat ex concil. Tolosano sub  
Victore II. *Statuimus, inquit, vt ecclesia solum tertium, aut paratum,  
vel synodum, solito more persoluant episcopo, vel clericis:* atque ita triplex,  
vel quartum ius diuersum ex vno fabricarunt.

X. Cathedraticum aliquando sumitur non tam pro eo, quod episco-  
po praestatur, quam quod ipse episcopus pro sua ordinatione, & inthro-  
nizatione praestat, quod IVSTINIAN. *nou. 56. entbroniaflicon* vocat,  
MALAXVS in *historia patriarcharum, ἐμβρατίκιον, aditiale*, quod reliqui  
clerici pro sua aditione, & introitu *ἐμφανισικόν* soluunt, *nou. 123.* sicut  
olim moris erat, vt qui promouerentur ad aliquem gradum, & ordinem,  
pro introitu sportulas darent; senatores nempe, decuriones, & quicum-  
que in aliquam militiam, vel tribum vrbs Romae referebantur, *l. pen.  
§. pen. & vlt. de legat. 3. l. 3. C. de proximis sacrorum scriniorum:* ve-  
rum huiusmodi xenia vetita fuerunt *concil. Aurel. I. cap. 10.* apud BUR-  
CHARDVM *lib. 3. cap. 117.* IVLLIANVS antecessor, *nou. 50.* praeser-  
tim illud cathedraticum, quod alibi dicitur synodaticum, *cap. olim. hoc  
tit.* quia a clericis venientibus ad synodum soluebatur, cui interesse tenen-  
tur omnes, *cap. quod super. de maiorit. & obedient.* & quia synodus post  
pascha solet conuocari, vocatur etiam paschalis praestatio *cap. 15. in  
prima collect. de simonia.*

XI. Aliquando auaritia effecit, vt idem ius in varias tributorum  
formas, & species exierit, vt ex vno plura vectigalia extorta sint, quod

saepius vetitum fuit, *cap. prohibemus. hoc tit. can. quia cognouimus. 10. q. 3.* cum enim nihil certum, & definitum pro his fuerit priscis ecclesiae constitutionibus, quisque praelatus, quantum poterat, sibi arrogabat; adeo ut non aliud ius seruatum fuerit, quam ipsa consuetudo, & ob id huiusmodi tributa, vocata fuerunt vnico vocabulo, *consuetudines, cap. scientes. hoc tit. & dicta nouell. IVSTINIANI 123. cap. 3.* & consuetudines episcopales *d. cap. 15. de simonia. in 1. collect.*

XII. Quin autem cathedraticum diuersum fuerit tam a procurationis, quam enthroniafici modo, nulla est dubitatio; siquidem, ut diximus, procurationes in viatico consistebant, cathedraticum in pecunia numerata, duobus nempe solidis, ex decreto Honorii III. *in cap. conquirente. de off. iud. ord.* quod antea conciliis Hispaniae statutum fuerat: emphastica continebant solidos ducentos, vel trecentos, qui erant praecipui fructus vnus anni, & id tantum Constantinopoli, non alibi concessum *d. nou. 123. cap. 35.* quod ius summi pontifices exegerunt pro introitu a praefulibus, & adhuc aliquatenus pro bullarum expeditionibus capiunt, licet annatae exoleuerint transactione Francisci I. cum Leone X.

XIII. Effecit etiam consuetudo in quibusdam locis, ut fructus beneficiorum vacantium ab episcopo, abbate, archidiacono, & aliis exigantur, quod ius deportus vocant, licet nihil pro collatione, vel inuestitura praestandum sit, *can. nullus. 1. q. 2. cap. etsi. infra, de simonia, & concil. Trident.* pro redemptione altarium, quoties monachis ecclesiae ea lege permittebantur sub certae pecuniae datione, ut est in *epist. 12. lib. 3. GOFFRIDI Vindocinensis*, ad quam SIRMONDVS refert epistolam, & decretum synodi Aruern.

XIV. Haec sunt praecipue tributa, quae iure communi exigere consueuerunt, praeter quae nulla, aut certe rara exigere licuit. *cap. scientes. hoc tit.* Vetantur quoque omnes aliae exactiones insolitae, quae noui census dicuntur *in cap. prohibemus. hoc tit.* qualis est illa, de qua *cap. ea quae. hoc tit.* denariorum collectio, quae fit per singulos archidiaconatus propter visitationem S. Petri, ut addidit Raymundus, contra mentem Alexandri III. nec enim illa collectio fiebat ob visitationem liminum apostolicorum; sed quia tota Anglia censualis erat ecclesiae Romanae, ut ut ex MATTHAEO PARIDE, & WILLELMO MALMESBURIENSI  
notum

notum est, qui *lib. 6. de gestis regum Angliae* Etelnulphum regem, tributum S. Petro coram Leone IV. obtulisse refert.

XV. Reprobantur praeterea omnes talliae, gabellae, spallae, indictiones, quae iure communi non debentur; quippe sunt proprie tributa regia, quae non debentur ratione domini ecclesiastici, sed temporalis, & dicuntur vnico vocabulo, regia in *d. cap. praeterea*, regalia, in *lib. feudorum*; regiae inquisitiones in *can. vnico. 10. q. 3.*

XVI. Tallia est collecta, collatio, symbola in *cap. licet*, & *cap. cum apostolus. hoc tit.* ἔρανον apud POLLUCEM *lib. 8. cap. ult.* non dissimilis a capitatione; quippe tallia, seu capitatio fit non tantum ratione corporum, sed etiam possessionum, APPIANVS in *Lybicis*, ἐπὶ τῆ γῆ, καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασι.

XVIII. Gabella dicitur ab Hebraica voce *gabbia*, quod est stipe collatitia, vel a *gab*, quod apud Germanos est munus, vt annotauit WASSERVS *lib. 1. cap. 14. de numis Hebraeorum*, vel ab Hebraica dictione *ghael*, quae significat legem iniquam, vt scribit VILLALPANDVS in *Ezechielem*, *dist. 1. c. 2. lib. 2.*

XVIII. Spalla vero videtur proprie aliquod genus seruitii denotare, in *cap. cum venerabilis. hoc tit.* vocabulum plane barbarum, de quo in *observationib.* Sunt & alia nomina exotica censum significantia, quae iure communi, id est iure ordinario ab ecclesia peti non possunt, veluti quaecumque temeraria tributa, id est insperata, repentina, & extraordinaria apud FESTVM dicuntur.

## TITVLVS XL.

DE

CONSECRATIONE ECCLESIAE,  
VEL ALTARIS.

I. **P**ertinere ad legem dioecesanam, & iurisdictionem episcopi, constructionem ecclesiarum, dedicationem, consecrationem, censuum impositionem, supra dictum est; nunc ritus consecrationis tangendus, & quaecumque ad religionem, & ceremonias dedicandarum ecclesiarum spectant.

RR 3

II. Ti-

II. Titulus hift est de consecratione ecclesiae, vel altaris: altare differt ab ecclesia. Altaria primis temporibus aedificata fuerunt, cum nondum basilicas, & ecclesias habere liceret ob tyrannorum faeuitiam, quae vsque ad Maximini imperatoris obitum durauerat, postea enim ecclesiae pace reddita aedificari templa, & ecclesiae paroeciales, baptisteria beneficio Constantini imperatoris coeperunt, vt est apud *EVSEBIUM lib. 10. cap. 2. & 5.* & adhuc Romae ipsius baptisterium videtur, *NICEPH. lib. 7. cap. 35.*

III. Inter consecrationem autem, & dedicationem parum interest: siquidem dedicatio fiebat semper in consecratione; dedicatio respicit memoriam illius, cuius nomini, & honori templum deuouebatur; consecratio ceremonias, & ritus obseruandos. Frequentia martyria causam dedicationis praebebant; sic enim B. Petro altare dicatum, quod confessio, & martyrium dicebatur, *can. si quis super. 2. q. 7.* Cornelius in praedio Lucinae martyrium D. Paulo dicauit, vt refert Damafus: & hanc dedicationem, martyrum triumphum vocat D. *HIERONYMVS epist. 34. ad Iulianum.*

IV. In dedicandis vero, & consecrandis ecclesiis hic ordo seruatur: primo, vt oratio in fundamentis iaciendis fiat; processio solennis celebretur, deinde crux figatur, *BALSAMON ad canonem 86. synodi Carthag. & nou. IVST. 67.* statuit, vt nullus audeat aedificare ecclesiam, vel oratorium, *πρὶν ἂν ὁ τῆς πόλεως ἐπίσκοπος παραγεγόμενος εὐχὴν ἐν τῷ τόπῳ ποιήσαιο, καὶ σταυρὸν πῆξαιτο, δημοσίαν ἐκείσε πρόσοδον ποιήσάμενος. Id est, antequam episcopus ibi vota faciens, sanctissimam crucem infixerit in eodem loco, publice procedens, & rem omnibus manifestam faciens. Adde nou. 5. & 123. IVSTINIANI;* & hoc vocatur a Graecis *σταυροπήγιον* in *Basil. ecloga 4.* Celebrari etiam debet missa, *can. omnes. de consecrat. dist. 1.* tum altaria vnctione chrisimatis perunguntur, *can. altaria. ead.* ex praecepto nempe legis diuinae, exemplo Iacob, qui oleum super lapidem in signum consecrationis fudit, *cap. 28. Genes.* atque ex consuetudine, exemplo S. Syluestri, vt scribit *INNOCENTIVS III. cap. unico. §. ult. supra, de sacra vnct.*

V. Quibus altaribus, vt dedicatio perficiatur, apponendae sunt reliquiae, teste *GREGORIO M. epist. 12. lib. 1. & ep. 19. l. 2.* aliisque locis innumeris. Olim quidem haec erat obseruatio, vt non solum maiori altari reconde-

ren-

rentur, sed aliis quoque omnibus apud eundem GREGORIVM *epist. 50. lib. 5.* quin & sine reliquiis ecclesia consecrata non censetur. *can. 7. syn. VII.* Reliquiarum condendarum in altaribus, seu aris processit mos ex eo; quod olim tumuli, & sepulchra martyrum altaris ministerium praebebant, constitutione Felicis I. apud DAMASVM: & haec altaria vocabantur tituli, ob nomen martyrum, qui in eis conditi erant: demum Christiani omnes ecclesias suas vocare coeperunt titulos, ad exemplum Iacob, qui erexerat lapidem in titulum, vt esset ei monumentum visionis suae; *Lapis iste, inquit, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei:* quae ratio forsitan est, cur altaria lapidea esse debeant. *can. altaria. 31. de consecrat. dist. 1.*

VI. Porro ita solliciti erant veteres consecrandarum ecclesiarum, & altarium, vt ante consecrationem missas in eis celebrare nefas ducerent, *can. hic ergo. can. sicut non alii. ead.* Imo & dubitatum fuit, num episcopus non deponendus esset, qui in ecclesia non dedicata sacrificium missae celebrasset: ex decreto enim Lucae patriarchae Constantinop. statutum fuit, hunc non esse deponendum, sed synodi arbitrio alio modo puniendum, vt scribit BALSAMO *ad can. 8. syn. Constantinop. VII.* Sed successu temporis, grassantibus ecclesiae hostibus, qui templa incenderunt, & deustarunt, visum interim fuit tabulas quasdam lapideas consecrare, quae superponerentur aris, & altaribus nouiter erectis, *can. concedimus. ead.* quo factum, vt in dedicandis, & consecrandis altaribus remissiores hodie sint episcopi.

VII. Hoc autem operatur consecratio, vt ex profano & impuro, locus fiat sanctus & purus, daemones inde pellantur: refert enim SIGEB. *in chron. anno 870.* Coloniae celebrata synodo ad dedicationem ecclesiae S. Petri voces malignorum spirituum auditas, conquerentium se a possessis diu sedibus expelli. Fit etiam locus publicus e priuato, *l. 6. § 9. de rerum diuis.* & extra commercium ponitur, *§. sacrae. instit. eod.* quam quidem mutationem encaeniorum solennia denotant, a vocabulo ἐγκαινίω, quod est *innouo, dedico, ἐγκαινισμός, innouatio, dedicatio,* apud FESTVM, quia aliquid innouatur, vt refert SVIDAS. Id etiam dicebatur initiari, quemadmodum qui ad ordines promouentur, & consecrantur, dicuntur sacris initiari, quia noui hoines aliquatenus fiunt, *can. 77. syn. VI. in Trullo.* S. C. TVLLIVS I. *de nat. Deorum,* initiari dixit gentes,  
id

id est facris imbui. Initia quoque & initiorum dies dicuntur festa sacrorum, VARRO 3. *de re rust. cap. 1. Sacra Cereris initia* dixit CATVLLVS de Aty: *Tympanum tubam Cybele tua mater initia.*

VIII. Igitur initia ecclesiarum, sunt consecrationes, & innouationes, quas vt significarent veteres, lugubres vestes in candidas laetitiae causa mutabant, vt refert D. HIERONYM. *epist. 34. ad Iulianum*: & quia res consecratae mutant pristinam naturam, vendi, vel alienari nullo pacto possunt, *l. sancimus. C. de sacros. eccles.* quamuis tamen sacrae non remaneant, desinunt enim incendio, violenta sanguinis effusione, & aliis modis, *can. ecclesiis. de consecrat. dist. 1.* si adulterio violentur, & polluantur, *can. ecclesiis. de consecrat. dist. 1.* si adulterio violentur, & polluantur, *can. ecclesiae. ead.* si in eis excommunicati sepeliantur, *cap. consulisti. hoc. tit.* si hostes, & infideles eas inuaserint, *arg. l. cum loca. ff. de relig. & sumpt.* si moueantur ea, quae rem sacram faciebant, *l. sacra. §. illud. ff. de rerum diuis.* vt si motum fuerit omnino altare, si fractum, si imminutum, pristinam formam amiserit; sic enim intelligendus *can. si motum. de consecrat. d. 1. & c. 1. hoc tit.*

IX. Quod si modice laesa fuerit tabula, demuo ecclesia non est consecranda, *cap. ligneis. hoc tit.* qua tamen in re dubium fuisse indicat IVO *epist. 72. & 80.* sed conclusum fuit, sufficere reconciliationem per aquam cum vino, & cinere benedictam, *cap. proposuisti. hoc tit.* & hoc ex veteri ecclesiae instituto: Alexander enim I. ex praecepto apostolorum aquam asperfusionis benedici cum sale iussit, qua fieret consecratio rerum ecclesiae, id est, reconciliatio, *epist. 1. cap. 5.* quae reconciliatio per episcopum, non vero simplicem presbyterum fieri debuit. *cap. aqua. hoc tit.*

X. Nec solum ecclesia polluitur modis supra dictis, sed etiam omnia, quae illi adhaerent, vt coemeterium, non e contrario: si coemeterium, vel quid aliud accessorium profanatur, non ideo ecclesia labefactatur. *cap. si ciuitas. inf. de sentent. excommunicat. & cap. unico. hoc tit. in 6.*





## TITVLVS XLI.

DE

## CELEBRATIONE MISSARVM, ET SACRAMENTO EVCHARISTIAE, ET DIVINIS OFFICIIS.

I. **I**n ecclesiis consecratis celebrantur missae, & diuina officia peraguntur, recte igitur de his agendum. Tria sunt, quae ex hac rubrica eliciuntur, celebratio missae, ipsum sacramentum, & diuinum officium.

II. Missa est ritus peragendi incruenti sacrificii a Christo instituti, & ab apostolis primum, tum deinde ab eorum successoribus obseruatus: liturgiae D. Iacobi, Marci, Basilii, & Chrysofomi fidem faciunt, tum constitutiones apostolorum, & pontificum, qui D. Petri sedem tenuerunt: ALEX. I. *in epist. ad orthodoxos* aperte id se a patribus accepisse scribit: & de missa loquitur, de qua etiam cogitauit ANASTASIVS *in vita Clementis*, dum ad ministerium sacerdotale Cletum, & Linum primum a D. Petro ordinatos fuisse tradit. Telesphorus postea papa IX. constituit, vt nocte natalis Domini missae celebrarentur, aliis vero diebus ante auroram, & horae tertiae cursum numquam. Pius vndecima sacrificium Domino offerre solebat: Zephyrinus statuit, vt episcopo missam celebrante patenas vitreas ministri sacerdotes portarent: Felix vt supra sepulchra martyrum missae celebrarentur; S. Syluester, vt missae sacrificium non in serico, neque panno tincto, sed in linteo celebraretur.

III. Haec sunt prima tempora, in quibus licet vix ecclesia respirare posset a vi & tyrannide ethnicorum principum, tamen hoc iuge sacrificium tam sollicitè procuratum fuit: auxerunt vero sequentes pontifices missarum solennia, & plurimum variis tum orationum, tum caeremoniarum ritibus illustrarunt, vt Anastasius, Coelestinus, Leo, Gregorius III. Leo III. & omnes hi fere intra quadringentos a Christo annos, vt nouatorum fronti calumnia inuratur.

IV. Cur vero hoc sacrificium dicatur missa, plerique a vocabulo Hebraico, quod spontaneam oblationem significat, deducunt *ex cap.*

S S

16.

16. *Deuter.* alii Latinum nomen esse asserunt, vt missa dicatur, quasi missio, sicut remissa, remissio apud D. CYPRIANVM *epist.* 70. ZENONEM *Veron.* & alios: est etenim missa, siue missio, absolutio, ἀπόλυσις: quia erat finis; sicut dies vltimus cuiusque festi, quia tunc populus soluebatur, ἀπόλυσις dicitur apud CODINVM *de offic. aulae Const.* BASILIVM *Seleuciaep. de S. Tecla lib. 2. cap. 18.*

V. Denique missa fumitur pro quocunq; officio ecclesiae, vt optime scripsit SICARDVS *Cremonensis, cap. 1. lib. 3.* quem ex penu literaria reuerendissimi nostri antistitis Tolosani CAROLI, & eius munificetia videre licuit. Hanc autem absolutionem diaconus pronuntians, catechumenos post euangelii lectionem mittebat foras, quibus sacris mysteriis interesse non dabatur, vt scribit FLORVS *magister, in expositione missae,* & BEATVS REMIGIVS *tractatu de celebratione missae.* Illorum erat missa post lectiones, & euangelia ante munerum oblationem, ait *canon 1. concilii Valent.* missa vero fidelium post confectionem, & participationem sacramentorum, quibus non licebat egredi ante absolutionem, seu dimissionem, teste CAESARIO *Arelat. homil. 12.* antequam populus benedictionem accepisset sacerdotis, ait *canon, conuenit. de consecrat. dist. 5.* abusus enim irrepsit, vt cum catechumenis fideles etiam exirent, de quo conqueritur IVO *Carnot. epist. 219.* Qui audiebat, inquit, *missam catechumenorum, subterfugiebat missam sacramentorum.*

VI. Antequam abirent fideles, post peractam missam solebat cani canticum trium puerorum ex constitutione Toletani concilii, vt idem SICARDVS annotauit, *cap. 8. eiusdem lib.* & ita factum fuit, vt nomen missae, quod denotabat finem mysteriorum, pro ipsis mysteriis fuerit acceptum. Hae duae missae erant partes praecipuae totius officii; nam praeter has, alias quinque statuit idem Sicardus, vt ita septem partes totius missae efficiat.

VII. Fuit porro olim duplex missa, seu oblatio matutina, & vespertina, *d. can. conuenit.* CYPRIANVS *epist. 63.* Solebant enim quidam bis in die offerre mane, & vespere, quod pro regionum diuersitate factum D. AVGVST. refert *epist. 118.* Quin & S. Leonem octo & nouem vicibus celebrasse missam vna die scribit WALAFRIDVS STRABO *cap. 21.* & plerumque multi post esum sacrificabant, quidam ieiuni mane, tum deinde post coenam, & hoc sacrificium dicebatur vespertinum, quod licet

licet defierit, tamen feria quinta in coena Domini vulgo fiebat; quapropter vetitum fuit, ne amplius nisi a ieiunis fieret missa, *can. 29. syn. VI. in Trullo*, quod ex more receptum in ecclesia, videtur innuere **D. AVGVST.** *Placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intret, quam ceteri cibi, nam ideo per uniuersum orbem mos iste seruetur.* Vide **BAR. tom. I. anal.** Die vero coenae Domini pomeridiano tempore, si aliquorum commendatio esset facienda, id a pransis solis orationibus fieret, *can. 29. concil. Carthag. III. sub Leone IV. & ieiunus existimatur etiam, qui nulla praecedenti dormitione missam cantasset, ut est in epist. 15. ALEXANDRI III. edita a SIRMONDO.*

**VIII.** Ideo etiam cautum, ut sacerdos semel tantum in die celebraret, excepto festo natiuitatis Domini, *cap. consuluisti. cap. te referente. hoc. tit.* atque etiam in festo paschae, quibus diebus olim licuisse bis, aut ter celebrare, & praeter hos dies, quotidie bis licuit vnam missam scilicet de die, alteram pro defunctis, temporibus **Honorii III.** ut constat concilio Oxoniensi; causa necessitatis hoc exegit, nempe pro defunctis, vel in locis semotis, in quibus sacerdotum copia non est, *can. sufficit. de consecrat. dist. 1. & tunc debet sacerdos manere ieiunus, & sumendo corpus Christi non perfundere vinum, vel aquam ad ablutionem, cuius haustus celebrationem secundam impediret cap. ex parte. hoc tit.*

**IX.** Primis temporibus longe aberat ut quilibet sacerdos bis sacrificaret, quia & diu mos fuit, ut in vna ecclesia vna tantum missa celebraretur, ut notat **Ivo 2. parte, cap. 87.** quod Graeci maxime obseruarunt: crescente vero multitudine Christianorum celebrari coeperunt missae, quae priuatae dicuntur in *can. & hoc. ead. dist. & cap. quidam. hoc tit.* quod in priuatis oratoriis fierent, ne a publicis solennitatibus populus auocaretur, ut scribit **THEODVLPHVS ad presbyteros Auvel. cap. 46.** Primus Deusdedit potifex binas cantari missas, & publice fieri permisit, sic enim intelligenda sunt verba **ANASTASII** in eius vita: *hic constituit secundam missam in clero: ad id pertinet epistola 79. c. 2. LEONIS ad Dioscorum, & cap. cum creatura. hoc. tit.*

**X.** Porro tota missae celebratio principaliter consistit in sacrificio panis, vini, & aquae, quorum substantia vertitur in substantiam corporis, & sanguinis Iesu Christi, *cap. cum Marthae. hoc tit.* plus autem vini, quam aquae apponendum est; quia aqua debet in vinum conuerti, quae

mutatio fieri bene non posset, & deinde vinum mutatur in sanguinem, *cap. perniciosus. hoc tit.* damnata hac in parte eorum opinione, qui aquam in vinum conuerti non putabant, sed in phlegma, & humorem aquosum, quem de latere saluatoris nostri, non vero aquam fluxisse dicebant, *cap. in quadam. hoc tit.* qua de causa grauitur plectitur sacerdos, & ab officio, & beneficio est deponendus, qui sine aqua sacrificat, vt de pessima Armeniorum religione refert S. Nicon, quod damnatur in *cap. fin. hoc tit.* in quo Honorius quatuor praecipua requirit in confectione sacramenti, aquam cum vino, panem absque fermento, ignem, & calicem.

XI. Panem fermentatum ecclesia Romana non recepit; Christus enim hoc sacramentum instituit primo die azymorum, *MATTH. 26. MARCI 14. & LVCAE 22.* azyma enim demonstrant fidelium sinceritatem *1. Corinth. 5.* Graeci contra in fermentato sacrificabant, & hoc in detestationem Nazaraeorum, qui veterem legem euangelio miscebant, & vsus azymorum fuit legalis ceremonia; vtroque autem pane confici sacramentum D. GREGORIUS in  *suis epistolis* demonstrat; sed tamen Graecorum pertinaciam fugillat hac in parte GREGORIUS VII. *epist. 1. lib. 8.*

XII. Ideo vero ignem desiderat summus pontifex, quia, vt ait, D. HIERON. in *Marcum, cap. 11.* ignis denotat spiritus sancti gratiam; & hoc est ex veteri instituto ecclesiae, vt referunt scriptores ecclesiastici, tum quod primum Christianis sacrificantibus & conuenientibus, in cryptis, & locis tenebrosissimis, cum etiam peruigiliis nocturnis faces accendere necesse erat; ideoque de oleo sacro mentio fit in plerisque auctoribus; vnde laudatur liberalitas Eudoxiae Augustae apud NICEPH. *lib. 14. cap. 50.* In signum quoque laetitiae, & honoris lychnuchi appendebantur, ex instituto apostolorum, *can. 72.* qui mos creber fuit apud gentes, teste SVE-  
TONIO in *Iulio*, & AESCHILO, in *choro Agamemnonis.*

XIII. Calix etiam in consecratione desideratur, quem ligneum amplius fieri noluit Zepherinus, sed vitreum; tum deinde propter fragilitatem Urbanus I. ex argento, vel auro, vel saltem ex stanno fieri iussit. *can. vasa. & seq. de consecrat. dist. 1.*

XIV. De diuinis officiis est vltima pars rubricae, ad quam pertinet *caput 1.* quo sacerdos antequam ad missae sacrificium veniat, pensum seruitutis suae debet persolvere: *pensum seruitutis* dixit, eodem sensu, quo IVO Carnot. *epist. 19.* pensum canonicum: translatione enim sumpta  
a fufis

a fufis mulierum, omne officium, fiue onus, dicitur pensum, vt apud COLVMELLAM *lib. 3. cap. 10. unumque est ei propositum, operis sui pensum peragere*: alii cursum canonicum vocant, quem matutinali officio, prima, tertia, sexta, nona, & vespertina horis fieri debere tradit CLEMENS in *constitutionibus apostolicis*, & diuisim expendi debere D. HIERON. *epist. 22. ad Eustochium*, stas scilicet temporibus, quibus signa pulsari debent. *cap. 168. lib. 6. Capitul.*

XV. Erant olim septem horae ad officium peragendum, quatuor diurnae, tertia, sexta, nona, & vespera; nocturnae tres reliquae, testibus D. BASILIO, & IOANNE CHRYSOSTOMO, *homilia 49. ad populum Antioch.* quam diuisionem septenariam postea aliter factam esse constat ex *d. cap. 1.* in matutinum, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperam, & completorium: quapropter grauiter errant chronographi, qui Sabiniano papae primam horarum canonicarum diuisionem tribuunt, quam ab apostolis manasse eorum acta testantur.

XVI. His horis hymnos, rythmos, & orationes, tum etiam psalmos decantabant, vt ex D. BASILIO constat *epist. 69. ad Neocaesarienses*: ideoque falluntur etiam, qui putant Damasum psalmos primum in ecclesiam inuexisse: nam quod refert ex eius vitae scriptoribus WALAF. STRABO *cap. 21.* eum constituisse, vt diu, noctuque psalmi canerentur, vel ad cantilenam referendum est, vel verius ad curam, quam in augenda celebritate canendi, & psallendi adhibuit: quo etiam sensu Hormisdam, & Gregorium M. clerum composuisse, & psalmis erudisse referunt ANASTASIVS, & LVITPRANDVS.

XVII. Diuum quidem Hieronymum, & S. Benedictum exemplo S. Ambrosii induxisse, vt singulis septimanis totum psalterium perfolueretur, non negabimus, vnde & officium illud septimanae dicitur in concilio Tarraconensi sub Hormisda; sicut cantum psalmorum alternis vicibus in Antiochena ecclesia statuisse Flauianum, & Diodorum temporibus Constantii imperatoris, testatur RADVLPHVS TVNG. *1. lib. de canonum obseruantia cap. 8. & 10.* D. quoque Gregorium constat initio precationum induxisse dicendum versiculum: *Deus in adiutorium meum intende*; & D. Hieronymum: *gloria patri*, &c. in fine vnus cuiusque psalmi: Pelagium vero II. singulis diebus pensum illud, seu cursum canonicum a presbyteris perfolui iussisse.

XVIII. Antequam ita composita, & distincta essent officia inter psalmos, lectiones non recitabantur, quod fuit statutum *can. 17. synodi Laodicensae*, vbi BALSAMON scribit, ideo in varias sessiones psalterium fuisse distributum, & lectiones interponi coeptas, vt aliquantulum quiesceret populus, & rursus postea caneret. In vesperis olim quatuor tantum psalmi dicebantur, vt ex *regula D. BENEDICTI cap. 17.* liquet, & adhuc apud Carthusianos obseruatur, qui antiquam regulae puritatem illaefam custodierunt.

XIX. Qua vero lingua tum missae sacrificium, cum diuina officia peragi debeant, non est dubium; ob principatum enim Rom. sedis Latina lingua ab omnibus gentibus vsurpari debuit, & licet Graeci propria lingua vsi fuerint, tamen festis solennibus, quibus Christianae & catholicae fidei imperium demonstrabatur, Latina lingua res sacras faciebant, vt patet ex *synodo VI. in Trullo.* Macario haeretico damnato tantam fuisse laetitia populi, & concilii, vt missae publice Latino sermone fuerint celebratae, & omnis populus Latinis vocibus acclamarit, refert ANASTASIUS in *vita S. Agathonis.* Quin & libertatem huius linguae Constanti-nopoli concessam a Zenone imp. scribit VICTOR *Vticensis, lib. 2. de persecut. Wandal.* Haec sola est, quae Christianae religioni congruit, licet variae sint linguae, quarum quisque populus peculiarem habet, MACARIUS *homil. 32. Christiani, inquit, unam linguam ediscunt, cunctique sub una sapientia erudiuntur.*

XX. De silentio, & attentione officiorum, vnicum *cap. est ex concil. Lateran.* sub Innoc III. cui adde *cap. si diligenti. in 5. compil.* & ne sacerdos solus celebret, est *cap. 7. in capitulis* incertae editionis, *tom. I. concil. Angliae, cap. proposuit. sup. de filiis presbyt. & epistola THEODVLPHI Aurelian. c. 7.*

---

## TITVLVS XLII.

DE

### BAPTISMO, ET EIVS EFFECTV.

I. **D**e sacrificio missae dictum: sed quia baptismus ianua est sacramentorum omnium, sine quo nemo ad illa admitti potest; ideo de baptismo agendum fuit, qui fit per trinam immersionem in aquis, his verbis:

bis:

bis: *ego te baptizo in nomine patris, & filii, & spiritus sancti*, sine quibus sacramentum nihil operatur, *cap. 1. hoc tit.* trinam hanc demersionem olim necessariam fuisse notum est, quam ad triduanæ Christi sepulturae imaginem institutam fuisse scribit DIONYSIVS *lib. de ecclesiast. hierarch. cap. 2.* & D. GREGORIUS *epist. 41. lib. 1.* alii vero ob trinitatis mysterium in *can. eodem modo. de consecrat. dist. 4.* vtraque ratio probatur in *can. de trina. ead. d.* tandem tamen ad vitandos varios errores, & schismata fopienda vnicam demersionem sufficere constitutum est in *can. propter. ead.*

II. Ex quibus constat, duo semper in baptismo requiri, verbum & aquam: sine verbo nullum est sacramentum, sed aqua. *can. detrabe. 1. q. 1. cap. 5. hoc tit.* Locus etiam requiritur, vt nempe fiat in ecclesia, *can. in nomine. dist. 23.* non vero in priuatis aedibus, nisi ad baptizandos filios regum, & principum, *Clement. vnica. hoc tit.* vel necessitate tali exigente, quod periculum mortis incutiat. *can. aegrotantes. de consecrat. dist. 4.*

III. Similiter nec omnis aqua ad baptismum assumi debet, sed consecrata, nisi cogente necessitate: tunc enim aqua fontis, fluminis, stagni, vel paludis sufficit ex constitutione VICTORIS P. *epist. 1.* non omnis quæque persona ad baptizandum idonea est, sed episcopus tantum, vel presbyter, nisi in eorum defectu; nam tunc & diaconis, imo & laicis conceditur, *can. constat. ead.* dummodo bigami non sint, ait concilium Valenti. & Eliberitanum: non quidem mulieribus, *can. mulier. 23. dist. can. mulier. de consecrat. d. 4.* contra haeresim Marcionitarum, teste EPIPHANIO *haeresi 42.* nisi absentibus viris; quia tum demum eis licere docent theologi.

IV. Praeter haec, tempus consideratur, quod olim duplex fuit, in festo paschae, & pentecostes, *can. duo tempora, & sequentib. de consecrat. dist. 4.* aliis vero non licuit, nisi ob infirmitatem, & aliquod ingens periculum, *can. baptizari. dist. 5. & can. de catechumenis, & seq. de consecrat. dist. 4.* donec propter frequentia pericula prouisum fuit, vt quandocumque libuerit, baptismus concedatur, vt scribit RUPERTVS *lib. 4. de diuinis officiis, cap. 18.* iuxta canonem, *celebritatem. de consecrat. dist. 3.* Illud magis institutum fuerat ad solenniorem celebrationem, quam sacramenti necessitatem: nam, vt ait TERTVLL. *lib. de baptis. cap. 19.* diem baptismi solenniorem pascha praestat, ceterum omnis dies Domini est, omnis hora,

hora,

bora, omne tempus habile est baptismo, si de solemnitate interest, de gratia nil refert, quod confirmat D. AMBROS. ad cap. 4. Pauli ad Ephet. quo tempore id defierit, pro certo non habetur, cum duorum illorum temporum obseruatio sensim, & defuetudine potius, quam lege euanuerit, vt colligere est ex concilio Matisc. sub Pelagio II. can. 3. quo reprehenduntur Christiani ob contemptum legitimorum dierum, ita vt duo, vel tres in sancto paschate non reperirentur baptizandi.

V. Desiit quoque solennis, & stricta illa obseruatio in recipiendis baptizandis, quam tamen scire non ingratum erit, imo perutile, cum eam non plane cognitam existimem. Duplex erat ordo eorum, qui baptizandi erant, quos communi vocabulo catechumenos dici certum est, scilicet tam eos, qui instruendi erant, quam instructi. Instruendi peculiari nomine dicebantur catechumeni ἀπὸ τῆς κατηχέειν, qui quidem aut erant poenitentes, aut audientes; siquidem inter poenitentes, non solum fideles referebantur, qui ob crimen aliquod ab ecclesia deiectioni erant, sed etiam gentiles, qui baptismum optabant, quos primum poenitentiam agere necessum erat, can. omnis, & can. agunt. de consecrat. dist. 4. can. tres sunt. de poenitentia. dist. 1. Dicebantur vero audientes, quia in auditorium, & tyrocinium veniebant, vt ibi audirent rudimenta, & principia fidei, can. ante baptismum. ead. dist. 4. de consecrat. his enim catechistae sacram paginam exponebant, incipientes a creatione mundi, & libris geneleos vsque ad praesentis ecclesiae tempora, vt refert D. AVGVSTINVS lib. de catechizandis rudibus; rudes vocat, quos canon 14. syn. Nicaenae ἀρχοωμένους, TERTVLL. lib. de poenitentia, nouitiolos, & catulos infantiae recentis renouandos; D. LEO I. epist. 80. qui autem eis legebant diuinas scripturas, erant lectores, ἐπὶ κοινῇ ἀρχοάσει, id est, in communi auditione, ait BALSAMON ad can. 22. synod. Laod. can. 90. syn. Carthag.

VI. Aliud genus catechumenorum constituebant competentes, sic dicti, quasi simul gratiam Christi petentes, teste D. AVGVST. sermone 116. in dominica palmarum; & ISIDORO lib. 2. de eccles. officiis cap. 21. electos vocat SIRICIVS epist. 1. ad Himerium, & ALBINVS FLACCVS lib. de diuinis off. cap. de baptis. quia solebant nomina sua dare sacerdotibus, qui ea in tabulas referebant, vt est apud GREGORIVM NYSS. oratione aduersus eos, qui differunt baptis. CLEMENS epist. 3. de officio sacerdot. accedat autem, qui vult ad sacerdotem suum, & ipsi det nomen, quod fiebat,

vt



vt plurimum initio quadragesimae, vt totis quadraginta diebus ieiunarent, teste D. HIERON. *in epist. ad Pammachium*; adeo vt qui post duas hebdomadas recipi peteret, non audiretur, *can. 45. syn. Laod.* qua in re falluntur, qui totum tempus ad catechismum complendum aliquando fuisse 40. dierum, aliquando 18. dicunt, quod est intelligendum de competentibus tantum, quibus post nomina data, & petitionem baptismi factam supradictum tempus exigendum erat; primitus etiam ultra, nempe per tres menses, vt ex CLEMENTE constat loco citato, *vt tribus mensibus iam consummatis in die festo possit baptizari*, quod de competentibus tantum locum habuit, nam audientibus tres anni constituebantur, *can. 2. syn. Nicaenae, can. 95. syn. VI.* quod IVSTINIANVS ad biennium contraxit *non. 145.* & aliquando longius productum fuisse, aliquando coarctatum, non est ambigendum.

VII. Intra vero tempus competentium septem fiebant scrutinia, id est, interrogationes, siue inquisitiones: D. AVGVST. vocat *examina, cap. 1. ad catechumenos*, & SIRICIVS *epist. 1. ad Himerium*: horum sex a tertia potissimum hebdomada quadragesimae fiebant: septimum vero die sabbati, quo baptismus impendebatur, ante resurrectionis festum, vel pentecostes. *cap. 2. de capell. monach. cap. bis quae. de maior. & obedient.* In eo vero consistebant scrutinia, vt a competentibus tum fidei articuli, cum etiam oratio dominica, & symbolum apostolorum exigenter publice in ecclesia. *can. baptizandos, de consecrat. dist. 4. D. AVGVST. homil. 42. de exposit. orat. dominicae.* Licet quoque, vt alibi, ipse testatur, tenerentur tantum necessario reddere symbolum, quod fidei fundamentum est, & idcirco *πισμ* vocat *syn. Laod. can. 45.* vt plurimum die dominica palmarum, & sequentibus deinde feriis, *cap. 13. concilii Agath.* qui dies dicebantur etiam capitilauium, quod moris esset capita vngendorum lauare, apud TERTVLL. *lib. de baptismo cap. 14.*

VIII. Constat ergo ex supra dictis diuisionem rite factum fuisse, vt baptizandi primo dicerentur poenitentes, tum audientes, postremo competentes: nec eam debet turbare confusio & promiscua acceptio catechumenorum, quo nomine omnes crebro acceptos fuisse non est dubium. His diuersae mansiones in ecclesia dabantur, vt praeter alios videre est apud authorem *lib. de septem gradibus ecclesiae*, qui vulgo D. HIERONYMO tribuitur. Vna poenitentes, & audientes continebantur in ferula scilicet, seu auditorio, id est in ve-

TT

stibulo,

stibulo, & atriis, quibus patebat ingressus ad ecclesiam. In altera mansione erant, qui proprie dicebantur catechumeni tam competentes, quam non competentes, qui locus protendebatur vsque ad ambones duos, seu pulpita, in quibus epistolae canonicae, & euangelia Christi decantabantur, vt docet BALSAMON *ad can. 12. syn. Nicaenae. & can. 4. syn. Ancyrae.* ad quos ambones ascendebatur gradibus, vt ab his in eminenti & edito loco constitutis facile quilibet audiret, vt docet CLEMENS II. *constit. cap. 57. & can. 15. syn. Laodic.* *Non oportere praeter cantores, qui suggestum ascendunt, aliquos canere, μή δέιν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων,* id est, & ex membrana legunt, hinc antiphonae & responsoria, quae ab epistolis ad euangelia canuntur, graduales, & tractus dicti fuerunt, & hodie adhuc nomen retinuerunt.

IX. Ab ambonibus versus altare erat mansio fidelium, quam *σύσασιν*, congregationem, seu consistentiam vocabant, in qua fideles vsque ad finem missae persistebant: tum deinde erat altare, seu participatio sacramentorum, quod cancellis claudebatur, intra quos clerici tam maiores, quam minores stabant, nec vllus ingressus laicis patebat, nisi communicaturis, *cap. 1. sup. de vita, & honest.* & illae mansiones dicebantur etiam stationes primi chori, *can. nonnulli. 93. dist.* stationes secundi chori erant, vbi populus stabat. *cap. 3. concil. Turon. II.* Hanc etiam diuisionem mansionum notat D. BASILIUS *epist. ad Amphiloebium 3. can. 56.* & ita proprie catechumeni, fideles, & clerici erant intra ecclesiam, poenitentes & audientes extra: nec enim porticus, & vestibula ecclesiae censebantur, quia in his gentiles, & pagani stabant, vt ait D. HIERONYMUS *epist. 17. ad Marcellam.* *Atrium autem, inquit, quod est foris templum, nec metiaris, quoniam datum est gentibus.* Statio siquidem catechumenorum ecclesiae pars erat, vt docet BALSAMON *ad d. can. 12. syn. Nicaenae, & ad d. can. 4. syn. Ancyrae.* quamuis & aliquamdiu dubitatum, an pars illa, quae subtractio dicebatur, in qua erant catechumeni, ecclesiae adscriberetur, vt idem notat *ad can. 99. syn. VI. in Trullo.*

X. Completo igitur baptismi tempore baptizatos indui vestibus albis tritum est ex AYMONIO, & GREGORIO TVRONEN. *lib. 5. cap. 11.* *Albicabat tota ciuitas de grege candido:* rationem reddit D. AMBRO-

SIVS

SIVS in *can. accepisti. de consecrat. dist. 4. quod exuerint involucria peccatorum, & induerint innocentiae casta velamina.* Haec innocentia denotatur per infantiam, quae propria baptismo, non tantum ex numero annorum infra septennium concluditur, *can. paruuli. ead. d.* apud D. AVGVST. in *epist. ad Renatum*: sed etiam supra septennium, tales enim infantes dicuntur: omnis siquidem aetas imperfecta, quae Graecis *κείρα*, infantia est, notante BALSAMONE ad *can. 85. syn. VI. in Trullo. in can. 28. syn. Carthagin. κείρα προβεβηκία*, sumitur pro *ἡλικία*, hoc est aetate prouecta.

XI. Quin & omnes cuiuslibet prouectae aetatis per baptismum existimantur paruuli, & infantes; iuxta illud MARCI 10. *siquis non receperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud*: quod confirmat D. AVGVSTIN. in *psalmum 112.* qui ita intelligit haec prophetae verba, *laudate pueri Dominum.* S. GAUDENTIVS *sermon. 8. regeneratos vos esse per baptismum, & renatos nuncupatione ipsa, qua infantes vocamini, potestis aduertere.* Fuit equidem error, infantibus baptismum non esse dandum, eo quod, vt ait INNOCENTIVS III. in *cap. maiores. hoc tit. paruuli nec sentiant, nec consentiant, nec charitatem habeant; quam rationem ipse nullius momenti facit, & iuris regulis destruit*: ait enim duplex esse peccatum, originale, & actuale, illud sine consensu contractum, etiam sine consensu per baptismum tolli; hoc consensu contractum, consensu etiam abolendum, *can. non ex quo. & can. regenerante. ead. d.* quod & de mutis, surdis, & amentibus dicitur in *d. cap. maiores*, dummodo ante morbum tale propositum habuisse noscantur, quia voluntas praesumitur durare. *cap. 1. sup. de his, quae vi met. cau.*

XII. Quapropter cum tales ob infantiam, vel alium defectum obloqui, & respondere non valent, fideiussores solent habere, qui pro eis respondeant, quorum fides ipsis prodest, teste D. AVGVST. *ead. dist.* sunt etenim noui patres baptizatorum, sicut manumissores, & adoptiui, ideoque & compatres, quasi simul patres, sicut competentes simul petentes, apud D. AVGVST. *σύντεκνοι* apud CEDRENUM, & CONSTANTINVM CABASILAM, fidei ductores apud TERTVLL. *lib. de baptis. cap. 18. patrini, can. in catechismo. ead. dist.* sed & aliis nominibus, quae hic recensere nimis esset otiosum.

XIII. Initio nascentis ecclesiae non erat receptum, vt patrini illi, & sponfores adhiberentur, quia, vt dixi, nulli infantes ad baptismum admittebantur, vt ex D. HIERONYMO *lib. 3. ad Pelagium* constat, quod cum graue, & damnosum esset, sublatum fuisse refert D. AVGVST. *I. de ciuit. Dei, cap. 27.* nec diu id stetit, cum & in *d. can. in catechismo*, Hyginus iam receptos patrilinos ostendat, tum auctor constitutionum apostolicarum, & D. DIONYSIVS *lib. de coelesti hierarch. cap. de baptis.*

XIV. Fuit praeterea error, ne ante diem octauum infantes baptizarentur, quod D. CYPRIANVS adhibito consilio se improbasse refert, *epist. 69.* & D. GREG. *in responsionibus ad August. epist. 31. lib. 12.* & statim ei, qui editus est, baptismum conferri posse ait. Haec opinio processerat ex circumcisionis lege, qua dies octauus exspectabatur, *Gen. 17.* qui dicebatur lustricus, vel sanctificationis lustratio, *can. 75. concil. Carthag.* quem morem etiam obseruarunt ethnici; aliquando vero etiam septimum, nonum, vel decimum apud PLVTARCH. ARISTOTELEM, & alios: M. Aurelius imp. tertium diem statuit teste IVLIO CAPITOLINO.

XV. Solebant autem patri, die baptismi, baptizatorum nomina in tabulas professionis referre, teste D. DIONYSIO loco citato, vt ita sponfionis ab eis factae fides haberetur, si quando pueri facti adulti a fide aberrarent, vt ait TERTVLL. *lib. de baptis. cap. 18.* ab his tabulis non omnino alienae professionum tabulae, de quibus in *l. 1. C. si saepius in integ. rest. παιδογραφίας l. 2. de excusat. tut.* quas ad obseruandas aetates hodie custodiri praeceptum est *concilio Trident.* sicut olim in templo Saturni, vel apud praefectos aerarii, teste CAPITOLINO in *Marco, & Gordianis.* Quae ad vnctionem pertinent *tit. de sacra vnct. supra* attigimus.

---

TITVLVS XLIII.

DE

PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

I. **H**ic titulus aperte pendet ex superiori, in quo agitur peculiariter de eo, qui sine baptismis ordines suscipit, cum baptismus sit ianua aliorum sacramentorum, ordines conferri non possunt, aut

aut collati nullius sunt effectus, *cap. veniens. hoc tit.* nisi per ignorantiam id factum fuerit.

II. Quamdiu enim ordinatus putat se baptizatum, non periclitatur, *cap. 1. hoc tit.* imo & si sciat se carere baptismo, si tamen impeditur ad baptismum accedere, votum ei sufficit; per fidem enim tanquam per radicem, initium, & principium Deus hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur apud D. AVGVST. *q. 84. in Leuit.* Hic enim est baptismus flaminis, qui non minus iuuat, quam fluminis, aut sanguinis, *can. nullus exspectet. de poenit. dist. 7. can. baptisimi, & can. catechumenum. de consecrat. dist. 4.*

III. Debet vero purgari ignorantia, quandocunque fieri potest, & tunc, cum innotuit presbytero, se non fuisse baptizatum, laicus fit, & nouus homo, ita vt baptizari, & omnes denuo ordines recipere teneatur *cap. 1. hoc tit. can. si quis per ignorantiam. 1. q. 1.* imo, quod putauerunt quidam, ab eo baptizatos iterum baptizandos, propter verba, quae leguntur apud BURCHARD. *lib. 4. cap. 74. IVONEM parte 1. cap. 268. Baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizauit:* quae posteriora verba absunt a *cap. 1. hoc tit.* & in prima *compil.* & merito; nec enim baptizatus gratiam accipit a baptizante tantum, sed a sacramento, adeo vt a quocunque impendatur baptismus, seruata ecclesiae, & fidei Christianae norma, valeat, *can. hanc regulam, & sequentibus. 1. q. 1. & iterari non debeat, l. nulli. C. ne sanctum baptismum reit.* cui tamen sententiae aduersantur *can. 45. & 46. apostolorum,* in quibus deponendum esse episcopum asseritur, qui baptismum haereticorum admiserit, & baptizatum non iterum baptizauerit: qui loci intelligendi sunt de ficto, & imperfecto baptismo, qui non est vere baptismus, quod indicant verba illa, quibus e contrario deponi iubet baptizantem eum, qui secundum veritatem habet baptismum, κατ' ἀλήθειαν βάπτισμα. Nouatiani hac insania acti fuerunt, vt iterari saepius posse, & debere crederent, quos redarguit D. PAVLVS *ad Rom. cap. 6. quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus;* si enim plures essent baptismi, oportuisset etiam saepius Christum passum fuisse, scribit EVLOGIVS *Alexand. lib. 2. contra Nouatianos.*

## TITVLVS XLIV.

DE

## CVSTODIA EVCHARISTIAE, CHRISMATIS, ET ALIORVM SACRAMENTORVM.

I. **Q**ui baptizantur, oleo chrismatis vngi, tum deinde ad communionem corporis Christi admitti solebant; ideo recte subiungitur hic titulus, quo prospicitur sacramentorum custodiae, & curae, ne temere a profanis, & sacrilegis manibus polluantur, praesertim sacrosancta eucharistia, quam in vsum aegrotantium a presbyteris referuari veteres voluerunt, *can. presbyter. de consecrat. dist. 2. cap. officium. sup. de offic. archipresb.* Imo & eam primis temporibus domum asportare licuit, & linteis mundis, & pretiosis inuolutam in arculis suis recondere, vt de sorore sua Gorgonia testatur GREG. NAZIANZEN. *orat. funeb.* & CYPRIANVS *lib. de lapsis*, TERTVL. *lib. de oratione.*

II. In altaribus solebant e columna arculae quaedam, vel cistae suspendi, in quibus sacrum Domini corpus asseruabatur, ideoque toties videmus apud authores, qui vitas pontificum scripserunt, DAMASVM, ANASTASIVM, LVITPRANDVM, summos pontifices ciboria donasse; vt nominatim Sergium II. & Leonem III. qui ciboria cum columnis suis super altare mirae magnitudinis fecisse narrant. Ciborium erat arcula illa, Graeca vox, sicut *κιβώρια*, seu *κιβώτια*, pocula significant, apud ATHENAEVM; cistam vel arcam, in qua reponuntur vestes, apud POLLVCEM. Hinc D. PAVLVS *ad Hebraeos cap. 9.* arcam foederis appellat *τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης.*

III. Peculiariter tamen ciborium vsurpari coepit pro vasculo illo, quo eucharistia seruatur, vocatur sacra pyxis apud ODONEM *Parisiensem in statutis synodalibus, cap. 35.* & alibi passim; sicut & columba; eo quod saepius in formam columbae aureae, vel argenteae facta esset, vt notum est ex *petitionibus cleri, & monachorum in concilio V. Constantinop.* aduersus Seuerum, qui columbas altaris abstulerat. Quod vero licuit aliquando domi asseruare, originem habuit a nascente ecclesia liberam diuini cultus facultatem non habente, adeo vt in cryptis, & foueis conuenire missarum causa oporteret; sed recuperata paulisper

li-

libertate, is mos euanuit propter fraudes impiorum, & haereticorum, qui ne detegerentur in ecclesiis non communicasse, sacrum corpus secum auferentes polluebant, & profanabant; contra Priscillianistas legem tulit concilium Caesaraugust. I. can. 3. sub Damaso: *Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam in ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum.*

IV. Fuit quidem error non tantum domi, sed & in ecclesia corpus Dominicum non debuisse asseruari in *epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini*, quae nomine Clementis scripta est, relata in *can. tribus. de consecrat. dist. 2.* vetatur omnino seruari, vbi gloss. id ita interpretari voluit, sed male, ne sacerdotibus liceat ad opus suum asseruare, nominatim enim loquitur de eucharistia populo eroganda, quam ideo seruari opus fuit. Hanc constitutionem vim non habuisse dicendum est, sicut supra, *de baptismo infantium* diximus, aequiori sane, & sanctiori ratione, ne fideles subitis & spontaneis morbis affecti sine sacro viatico decederent. *d. 1. can. presbyter.*

V. Fuit sane iniunctum presbyteris frequenter hoc sacramentum renouare, octauo quoque die ab ODONE Parisien. *can. 21. ne vetustate*, inquit, *aliqui ad indeuotionem moueri valeant, aut errorem*; ab HVBERTO Cantuar. archiepiscopo in suis decretis, apud ROGERVM de Houeden in *Ioanne rege: renouetur*, inquit, *hostia ipsa singulis diebus dominicis.*

VI. Igitur in his scriniis, & ciboriis reponi debere corpus dominicum constat, & ita concludi, ut contra sacrilegas manus sint firma, & sub clauibus posita, ait INNOCENT. III. in *cap. 1. hoc tit.* & idem ODO *d. can. 35.* quod non tantum de eucharistiae custodia, sed etiam olei, chrismatis, & fontium decreuit, & nuper Trident. *synodus sess. 13. cap. 6.* tutius stabiliuit; adeo vt presbyter, cui cura commissa est, ob negligentiam, & culpam graui poena mulctetur, *can. qui bene. de consecrat. dist. 2.* tenetur enim non solum ob dolum, & latam culpam, verum etiam ob negligentiam arg. *can. si per negligentiam. ead.*

VII. Sub fideli custodia commendantur quoque sacra vasa, & vestimenta, ne a profanis laicorum manibus contingantur, *can. in sancta. de consecrat. dist. 1.* & vt sint honesta, & munda, *can. seq. cap. sane, sup. de celebrat. miss.* & si quando fordida fuerint, intra sacrarium abluui debent a diaconis, & ministris, *can. nemo. ead.* oportet ea nitida, & integra esse, corrupta vero igne consumenda sunt, ait GREGORIUS VII. in *concil. Roman. capite 27.*

VIII.

VIII. Haec prohibitio tangendi vasa sacra respicit omnes, praeter eos, qui ad sacros ordines sunt promoti, vt sunt presbyteri, diaconi, & hypodiaconi; imo & olim subdiaconis id non licuit, *can. 21. syn. Laod. can. non oportet. 21. d.* quia ordinibus sacris subdiaconatus non erat adscriptus: sed tamen in *can. 28. syn. Carthag.* contrarium definitur.

IX. BALSAMO enim respondet, adhibita differentia inter  $\psi\eta\lambda\acute{\alpha}\phi\epsilon\iota\nu$ , quod est *contrectare*, *transferre*, & loco mutare, &  $\acute{\alpha}\pi\tau\epsilon\theta\alpha\iota$ , quod est *tangere*, qui nec tamen constans est in sua distinctione, sed aliam fingit ad *d. can. 21.* vtrum vasa sacra sint inania, & vacua  $\nu\epsilon\acute{\omega}\nu \iota\nu\tau\omega\nu$ , inquit, & tunc liceat eis tangere, non vero, si infit corpus dominicum; motus fortitan ea ratione, quod hypodiaconus in sua ordinatione calicem vacuum, & patenam vacuum recipiat *can. 1. subdiaconus. 23. d.* qui desumptus est ex concilio perantiquo *Carthagin. IV. can. 5.* quod fuit celebratum iuxta sententiam BARONII, anno 398. Sed facessit negotium *d. can. 21. synodi Laodic.* qui prohibet  $\acute{\upsilon}\pi\eta\rho\acute{\epsilon}\tau\alpha\varsigma$ , id est, *ministros*, siue subdiaconos ingredi diaconicum, & sacra vasa tangere, contra mentem *d. can. 28.* Ideo recurrit ad aliam distinctionem, temporis nempe, quo tractantur sacra mysteria  $\acute{\epsilon}\nu\ \tau\eta\ \theta\upsilon\sigma\iota\alpha$ , vt tunc tantum vasa sacra tangere non possit, sed tantum transferre, & alibi asportare, quae mens est etiam ZONARAE, qui quidem mox ab hac opinione recedit, & hoc ex more Carthaginis, & regionis Africae suspicatur: quod, si verum amamus, magis placet; quippe tota Africa usum Romanae ecclesiae sequebatur, vt demonstrat in praefatione dicti concilii, & *commonitorium Zosimi ad idem concilium.*

X. Fuit autem vetus consuetudo Rom. ecclesiae, vt quamuis subdiaconatus non esset adhuc ordo sacer, a coniugio tamen esset alienus, & ideo sacra vasa tangere posset: haec probatur ex *can. ante triennium. 31. dist. vt more Romanae ecclesiae subdiaconi nullatenus suis vxoribus miscerentur*, quem morem antiquissimum esse dubium non est: nec existimare debemus, vt vulgo creditur, Gregorium I. hoc decreuisse in *can. nullum. 28. dist.* cum antea & Pelagium praedecessorem suum idem statuuisse profiteatur in *can. multorum. 32. dist.* Frustra enim dixisset Gregorius morem hunc fuisse Rom. ecclesiae, si Pelagius, vel ipsemet auctor fuisset, vt latius tractavi sup. *ad titulum de clericis coniugat.* morem non allegasset, quem usum multis seculis habitum cum ISIDORO in *can. 4. dist. 1.* debemus accipere, *secundum consuetudinem praeteritorum temporum*, vt loquitur PAVLINVS *epist. 299.*

XI.



XI. Quam tantam fuisse colligere fas est, vt initio nascentis ecclesiae nata sit, & hypodiaconi sacra vasa tangere potuerint: probatur illud ex *cap. 21. lib. 8. constitutionum apostolicarum*, quae licet dubiae sint, quantum ad auctorem, quem Clementem vulgo esse existimant, ius tamen vetustissimum demonstrant; agit in eo D. THOMAS *apostolus de ordinatione subdiaconi*: καὶ δὲς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐφάπτεσθαι τῶν λειτουργικῶν σκευῶν, id est, *tribue ei spiritum sanctum, vt vasa ad ministrandum tibi facta digne attrectet*; ita TVRRIANVS vocem, ἐφάπτεσθαι, vertit, quasi nullam differentiam ponat cum voce ψηλάφειν. Et frustra BALSAMO laborat in ponenda differentia, Graecus homo non poterat probare sententiam Latinorum, qui vxores hypodiaconis tollebant, quae tamen lex non omnino improbata erat, vt dixi, a Graecis, praesertim tempore sacrificii, id est, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐφημερίας αὐτῶν, ἤγερν καθ' ἑς καιρὸς μεταχειρίζοντας τὰ ἅγια, id est, *tempore vicis suae, scilicet quando tractant sacra*. Et hic est sensus dicti *can. 28.* Quantum attinet ad *can. 21. synodi Laodic.* vel mos Romanus locum tunc habuit, vel subaudienda dicta distinctio *d. can. 28.*

XII. Quod vero spectat id, quod dicitur de diaconico, seu sacratio in eo *can. 2.* aliquid tangam in *observationibus meis*. Postremo in hoc titulo decor, & reuerentia ecclesiarum procurantur, ne ex ecclesiis horrea fiant, in quibus aliena suppellectilia recondantur, praeterquam in summa necessitate, veluti ob incendia repentina, & hostium incurfus, *cap. 2. hoc tit. arg. can. sicut. de consecrat. dist. 1.* antiquitus ingrauescentibus bellis hoc fuit obseruatum, vt rustici in ecclesiis res suas tutarentur: ANONYMVS *Floriacensis 4. de miraculis S. Benedicti, cap. 24.* Vt vero moris agrestium est, inquit, *in aduentu militum formidare, rustici omnia sua ad ecclesiam conuehant, tam annonam, quam suppellectilem variam.*

---

T I T V L V S X L V .

D E

RELIQVIIS, ET VENERATIONE SANCTORVM

I. **H**ic titulus optime quadrat superioribus, tum quod ecclesiae sine reliquiis consecrari, & dedicari non possint; cum quod olim missa tantum celebraretur super memorias, & sepulchra martyrum.

V V

II. Quam-

II. Quamobrem reliquiae summa in veneratione sunt, quibus Christiani reuocant sibi in mentem virtutes, & merita sanctorum, vt horum suffragiis & meritis adiuuentur, vt de SS. apostolis Petro, & Paulo CORNELIVS papa *epist. 1.* scribit, quorum corpora in summo honore habita, pretiosis loculis recondita fuerunt, aedificatis illis ecclesiis, & sumptuosis monumentis, quae D. HIERONYMVS *aduersus Vigilantium, & quaest. 11. ad Elpidiam*, *trophaea* nominat, quia eorum passio, & pro Christi nomine sanguinis effusio, fuit celebris triumphus, & gloria; & quamuis vbicumque locorum inuocari sanctorum animae possint, maxime tamen, vbi eorum habentur memoriae, vbi sepulchra, vbi reliquiae, D. AVGVST. *lib. de cura pro mortuis gerenda, & D. CYPRIANVS in epist. ad Cornelium.*

III. Ex quibus constat, fundamenta ecclesiae fuisse martyria, basilicas, & aras ipsorum honori dicatas, ideo Anacletus V. pontifex a D. Petro, & ipsius discipulus memoriam ipsi exstruxit, quod deinde semper in ecclesia receptum fuit, vt eorum, qui pro Christo mortem subiissent, corpora summo in pretio haberentur, ita vt initio etiam nascentis ecclesiae imagines eis positaе, & erectae fuerint, teste EVSEBIO *lib. 7. hist. cap. 18.* exemplum praebuit nobis D. Lucas, quem proprio penicillo virginem Mariam depinxisse narrat, quod vltra non est probandum; innumera enim testimonia satis *εικονοπλάσας* tam priscos, quam neotericos conuincunt, quod nostri non est instituti.

IV. Hoc tantum addimus, ideo iconas, & imagines martyrum depictas in ecclesiis fuisse, vt oculis Christianorum repraesentaretur passio, quorum celebrabantur *γενέθλια*, seu natalitia; erat enim satius in templis talia depingi, quam inanes, & lasciuas picturas, *ἀγάλματα* adhiberi, quas synodus VI. in Trullo damnauit, vt refert HADRIANVS *in can. vlt. de consecrat. dist. 3. Sanctorum siquidem imagines ad memoriam & recordationem prosunt, tum etiam ignorantes instruunt, & gentibus lectionem praebent*, vt ait Gregorius *in can. perlatum, & seq. ead. dist.*

V. Natalitia vero cum dicimus, saepius intelligimus diem depositionis, quem *τελείωσιν* Graeci vocant, vt scribit D. AMBROS. *serm. 70. EVSEBIVS lib. 4. cap. 14.* agens de reliquiis S. Polycarpi: *παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τῷ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἰς τε τῶν προηδ- ληκότων μνήμην: Dominus praestabit, vt celebrem eius martyrii diem instar natalis festi recolamus.* HENRICVS *monachus, de vita S. Germani, lib. 4.*

Hoc

*Hoc scitote prius mundo clarescere nomen*

*Quattuor ante dies, haec sunt natalia sancti,*

*His martyr factus felici sorte calendis.*

Martyrium natalem diem vocant, quod vsu, & consuetudine ecclesiae factum referunt RVDVLPHVS in *Leuit.* & HAYMO in *suis homiliis.*

VI. Quod si dies hi maxime celebres Christianis, multo magis, reliquiae, & ossa, vt TERTVLL. docet *lib. de corona milit.* damnatis aduersariis in Graecia Aetio, & Eunomio, in Italia Iouiniano, in Gallia Vigilantio, qui hunc honorem soli Deo debitum iure patriae afferentes *δειάν*, damnabant, quae a creatura praestatur creaturae, nec differentiam ponebant inter *άνθρωπολατρείαν*, & *άνθρωποδειάν*. Porro reliquiarum veneratio ab ecclesia accepta fuit, veteris testamenti exemplo, quo patrum, & prophetarum corpora summo cultu excipiebantur.

VII. Et vt ultra progrediamur, ipsi gentiles idem obseruarunt: refert enim HERODIANVS senatum, populumque Rom. vnam feralem, & reliquias Seueri adorasse, & salutasse: meliori consilio Christiani elegerunt sibi patronos, tum apostolos, tum alios, qui sancte, pieque in suis conditionibus floruerunt, vel martyrium passi sunt: nec hoc est nouum, sed antiquissimum; Graeci siquidem saepius noctu irruentes Romanis auferre, & suffurari corpora apostolorum Petri, & Pauli, quasi ciuium suorum, & patronorum conati sunt, vt scribit GREGORIUS M. *epist. 30. lib. 3.* quae causa fuit, cur Leo M. super sepulchra eorum custodes, & cubicularios ex clero Rom. constituerit, qui nunc capellani dicuntur, teste ANASTASIO, a capella nempe, seu capsula, quibus reliquiae recondebantur: MARCVLPHVVS *lib. 1. formul. 38.* *Tunc in palatio nostro super capellam domini Martini debeant coniuuare:* quae ratio eadem est, cur adhuc in plerisque ecclesiis antiquioribus excubitores sint, ad custodienda nempe corpora, & reliquias sanctorum constituti, vt in ecclesia Carnotensi antiquissimo templo, intra quod visitur puteus, in quem olim immerfa fuere innumera martyrum corpora.

VIII. Nec solum ossa, & cineres tanti fuere apud nos, sed etiam vestes, sudaria, calceamenta, refert enim D. LVCAS *act. 19.* sudaria, & semicinctia D. Pauli languores aegrotantium curauisse: idem de vinculis D. Petri narrat TERTVLL. *2. ad uxorem:* quin & vela eis admota eandem virtutem habuisse notum est.

IX. Solebant Christiani non audentes, nisi raro sacra illa pignora tangere, velis quibusdam, & linteis obuoluere, quibus deinde se iuuari experiebantur: huiusmodi vela vocabantur sanctuaria, & brandea apud GREGORIVM *epist. 30. lib. 3.* & GREG. TYRONENSEM *de gloria martyr. cap. 28.* & cum in altaribus recondebantur, solebat relinqui foramen, quod, *fenestella*, dicebatur, per quam fideles diebus natalitiis reliquias inspiciabant, tangebant, vel funiculos, & velamina immittebant, vt testatur SOZOMENVS *lib. 9. cap. 2.* EVODIVS *lib. 1. cap. 2.* FLODOARDVS *hist. Rem. lib. 3. cap. 9.* *Fenestra inibi unde sancti sepulchrum videri fecit: inspectio illa, & contactus reliquiarum ad venerationem spectat, & ritum antiquorum inferias celebrandi, vt de Adriano imp. narratur, eum digressum Antiochia fuisse ad inspiciendas reliquias Traiani, quas Tatianus, Plotina, & Matidia deferebant, apud AELIVM SPARTIANVM.* Praeter haec mos erat etiam vino immergere reliquias, cuius haustus multum ducebat ad fanitatem; *Anonymus lib. de mirac. S. Benedicti cap. 44.* in fine, & *author vitae S. Genulphi cap. 33.* hoc vinum vocabatur sanctum vinagium.

X. Vetitum vero fuerat, tangere reliquias, & frequenter ostendere; tum quod populus facile in contemptum duceretur, cum quod res sacrae, & religiosae a prophanis manibus contrectari non debent; imo nec a clericis minorum ordinum, sed a solis presbyteris, ex constit. Bonifacii V. apud ANASTASIVM: multo minus igitur & vendi possunt, *cap. vlt. hoc. tit. l. nemo. C. de sacros. eccles. HARMENOP. lib. 3. tit. tit. 3.*

XI. Per reliquias intelligit Gregorius hoc tit. corpora sanctorum, *λέψανα τῶν ἁγίων*: non omnium, qui pro Christiana fide obierunt, sed quae autoritas ecclesiae comprobavit, *cap. 1. § 2. hoc. tit.* & hoc ex veteri instituto ecclesiae in *can. 14. concil. Carthag. V. in can. placuit. de consecrat. dist. 1. Quaecunque per somnia, & vanorum hominum reuelationes fiunt, omnino reprobentur.*

XII. Ius hoc fuit episcoporum, vt ab his tantum examinarentur reliquiae, & non nisi ab his approbatae populo exhiberentur: de quo tamen non inuenio constitutionem antiquiorem, quam Caesaraugustanae synodi II. sub Gregorio I. *can. 2.* statuit synodus, *vt reliquiae in quibuscumque locis inuentae fuerint, prolatae a sacerdotibus, pontificibus, praesententur, igne probentur.* Ea examinatio saepius fiebat in conuentu episcopo-

fco-

scoporum suffraganeorum, *accerfitis episcopis in gyro degentibus*, ait RODVLPHVS GLABER *lib. 4. cap. 2.* SOZOMENVS, SOCRATES, THEODORETVS, & alii, idem notant. Primus Innocentius III. constitutionem edidit in concil. Later *can. 62.* ne reliquiae venerationi essent, nisi a summo pontifice approbatae, quod deinde episcopis omnibus licuit; sicut antea, *can. 5. synodi Rauennatis II.* Et demum generali constitutione cautum est, nulla habita ratione locorum, quantumlibet exemptorum *concilio Trid. sess. 25.*

## TITVLVS XLVI.

DE

## OBSERVATIONE IEIUNIORVM.

I. IN consecrationibus ecclesiarum missae sacrificio, vigiliis, & solennitatibus sanctorum praeuia debent esse ieiunia, quo fit, vt hic titulus optime sequatur. Ieiunia enim in lege veteri solennia fuisse docet D. HIERONYMVS *in cap. 58. Isaiæ & 45. Ezechielis.*; tres enim erant praecipuae solennitates paschae, pentecostes, & scenopegiae, seu fixionis tabernaculi, ante quas ieiunium fiebat, vt idem in *psalmum 80.* scribit.

II. Apud Christianos statuta, determinataque fuerunt ieiunia, & ab ipso Christo Domino instituta, postmodum ab apostolis, & eorum successoribus pie custodita, dicebantur stationes, tum quod statis, & certis diebus iuberentur, tum quod conuentus, & synaxes fierent ad exemplum stationum militarium, vt scribit TERTVLL. *libro de corona milit. in fine:* vel potius ad exemplum stationum, quas Hebraei fecerunt in deserto, vt ait CASSIANVS *coll. 21. cap. 28. & 29.* quarum exemplo communiter in ecclesia fiebant ieiunia, *quae syn. Gang. can. 29.* vocat τὰς παραδεδωμένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, vestigia supersunt adhuc Romae, vbi in ecclesiis videmus dispositas stationes.

III. Licet autem synaxes illae paulatim exoleuerint, tamen solennia illa ieiunia durarunt, imprimis quadragesima, quae septem hebdomadas complectitur, quam apostoli obseruarunt Christi exemplo, Moyfis, & Eliae, qui primi quadraginta dies ieiunarunt, vt expressum est sub poena anathematis *in can. 69. apostolorum:* quam traditionem Telesphorus decreto confirmavit, vtpote praeceptum Domini, sic enim

VV 3

appel-

appellat S. AMBROSIVS *serm.* 38. & LEOM. *diuinam institutionem, serm.* 4. *de quadrag.*

IV. Praeter quadragesimam ex instituto apostolorum quatuor temporum ieiunia recepta fuisse constat ex LEONE *serm.* 7. Vernalis in quadragesima, aestivum in pentecoste, autumnale in mense septembri, hybernium decembri, vt idem ait *serm.* 8. ad exemplum Iudaeorum, qui quatuor ieiunia obseruarunt, ZACHAR. *cap.* 8. *can.* igitur, & *seq. dist.* 76. nec institutio huius quaterni temporis Calixto I. danda est, vt ex *pontificali in eius vita* colligi potest, sed potius id confirmasse, quam condidisse credendum est, vel vt theologi quidam putant, id ipsum locupletasse: quod non primum esset ternum, ab eo quaternum factum fuisse dicunt, quod apparet tam ex *pontificali*, quam ex ANASTASIO, vbi CARDINALIS BARON. legendum non *ter*, sed *quater* existimat, quam sententiam firmat ex eo, quod quatuor illa ieiunia secundum quatuor anni tempestates diuisa fuerint, teste MICROLOGO *lib. de ecclesiasticis obseruationibus.*

V. Sed non ita omnino sentiendum, alii existimarunt, imo primitus tria ieiunia fuisse ab apostolis obseruata contendunt: etenim ea ieiunia ad exemplum Iudaicorum fuisse instituta, quae tria tantum fuisse diximus, vt constat ex *cap.* 23. *Exodi: Et dixit Dominus Moysi; loquere filiis Israel, tria anni tempora mihi custodite: quam sententiam videtur amplecti D. ANASTASIVS Nicaenus, quaestionib. in scripturas, & confirmat canon I. d. 76. sumptus ex epist. I. Calixti, in qua nominatim profitetur se hactenus obseruatum triplex ieiunium, quaternum efficere, iuxta sermonem ZACHARIAE cap. 8.*

VI. Est aliud quoque solenne ieiunium apostolica traditione institutum *can.* 69. *apostol.* εἰ τις ἐ νηστεύσῃ, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καὶ οὐκ ἔστω: *si quis non ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuen, deponatur, ratio redditur in can. ieiunia. de consecrat. dist.* 3. quod quarta feria Iudas traditionem molitus, & sexta in cruce dominus positus sit, vt refert PETRVS ALEX. in *can. ult. epist. canonicae.* Porro sabbato primitus non ieiunari solitum, imo vetitum ostendit *epistola 8. D. IGNATHI*, qui eo die ieiunantes Christi interfectores appellat, quae sententia non paruas excitauit lites, eo quod Romani pontifices ieiunare eodem die praeceperint: rationem reddit INNOCENTIVS I. in *can. sabbato. de consecrat. dist.* 3. *sabbatum praetermittere non debemus, quoniam inter tristitiam, & laetitiam temporis illius videtur inclusum.*

VII.

VII. Nec solum Romae fuit peculiaris hic mos, sed plerisque aliis tum vicinis, cum remotis regionibus teste D. AVGVSTINO *epist. 19. ad Hieronymum*; vt in Hispania teste HIERONYMO *epist. 28.* licet multae orientis ciuitates, & multo maior Christiani orbis pars aliud senserit, etiam in Africa, vt coniiicitur ex eo, quod mater D. Augustini Mediolanum profecta contrarium seruari a D. Ambrosio videns, fluctuare coepit, vt ipse refert *epist. 118. ad Ianuarium*, relata in *can. illa. 12. dist.* Graeci hac in parte nimia pertinacia suae sententiae adhaeserunt, ita vt Romanos damnare ausi fuerint *can. 55. syn. VI. in Trullo*, ad quem BALSAMO temere partes Graecorum tuetur. Latini remissiores in accusandis legibus paternis, & traditionibus antiquis fuerunt. Sequuti quod D. AVGVSTINVS, HIERONYMVS, AMBROSIVS, & alii constanter asseruerunt, qui nec Graecos damnantes, nec Latinos accusantes, regionum consuetudini detulerunt; sanctiori tamen consilio ieiunium sabbati commendarunt, cum non amplius sit sabbatizandum, vt ait TERTVL. *aduersus Iudaeos*: imo omnis honor olim sabbato debitus in diem dominicum transfusus fuerit propter resurrectionem Domini, *d. can. sabbato*, saniori inquam, consilio, ne cum Iudaeis commune quidquam nostri habeant, & solennitates iam sublata renouent, *cap. 1. ISAIAE. & cap. vlt. D. PAULI ad Hebraeos*: sed Graeci peiori consilio, qui tam enixe hoc festum tuebantur in odium haereticorum, qui originem sui erroris a Simone mago duxerunt, vt contumeliam sabbato inurerent ieiunantes, teste D. IRENAEO *lib. 1. & EPIPHANIO haeresi 42.*

VIII. Praeter supra dicta ieiunia aliud est, quod fit in vigiliis assumptionis B. Mariae, & SS. apostolorum *cap. 1. & 2. hoc tit.* hae enim vigiliae fuerunt ieiunia, quia vt plurimum vigiliae sine ieiunio non fiebant, & in his solebant Christiani ter noctu conuenire, teste D. HIERONYMO *epist. 7. ad vesperam, media nocte, & mane dum deinde ad solis ortum*, & ita quatuor erant vnius vigiliae stationes, quas ARNOBIVS quatuor vigiliis vocat in *psalmum 129.* Fuerunt & alia ieiunia, quae ob necessitatem in locis diuersis indicebantur, dicta ieiunia bannita, de quibus *obseruat. 17. lib. 1.*

IX. Videndum nunc de modo, & qualitate ieiuniorum, in quibus feruiores fuere antiqui, qui vsque ad vesperum nihil edere solebant, D. HIERONYMO teste in *psalm. 80.* & id fuisse verum ieiunium docet PAV-

LINVS *epist.* 7. *ad Seuerum*, & *epist.* 24. *ad Amandum*: Cum in diebus *quadragesima* aduenisset, quotidiana ieiunia non refugit, & pauperem mensulam *vespertinus conuiuia* non horruit. Hora autem soluendi ieiunii fuit nona potissimum, *cap.* 86. *lib.* 6. *Capitul.* & *cap.* 34. *concilii Mogunt.* PRUDENTIVS hymno S. Fructuosi:

*Ieiunamus ait, recusò potum.*

*Nondum nona diem resignat hora.*

Aliquando sub noctis crepusculum, quo tempore antiqui coenare solebant. VIRGIL. *Nunc eadem labente die conuiuia quaerunt.* Vbi SERVIUS refert prandia in usu non fuisse, sed tantum tenues cibos, veluti ad medicamentum apud PLVTARCHVM, 4. *sympos.* Christiani vero impransi, & omnino ieiuni ad solis occasum diem protrahebant, & tunc in coena non lautioribus epulis ventrem reficiebant, sed vilibus, & rusticis tantum cibis, vt ait SALVIANVS *lib.* 1. *de prouid.*

X. Carnium quidem esus primis temporibus fuit prohibitus, vt constat ex *Telephori epist.* 1. *can. statuimus.* 4. *dist.* non solum clericis, sed etiam laicis, teste D. AVGVSTINO *serm.* 64. & PRVDENT. *hym.* no 3. Graeci tam rigide id obseruarunt, vt propter corporis imbecillitatem, etiam si quis extremum spiritum ageret, carnibus vesci non posset, nisi licentia synodice petita, vt refert BALSAMON in *can.* 69. *apostolorum*: quae lex maxime facit ad vitam Carthusianorum, qui etiam in extremis a carnium esu abstinent.

XI. Imo & a vino abstinere solitum liquet ex ipso PRVDENTIO, & THEOPHILO *Alex.* qui vixit circa annum CCC. in *epist. de pasuae celebratione.* Denique solebant ieiunantes *ἔργοφαγία* obseruare, & ab omnibus escis iurulentis, & pinguibus, caseo, & lacticiniis abstinere, *can. denique. ead. dist.* TERTVL. *lib. de ieiuniis aduersus Physicos*, & alibi saepius; imo quod maius est, solebant, veteres sine vilo cibo & potu plures dies transigere, quod maxime fecisse monachos Ponti, & eos viginti dies, & noctes exegisse scribit GREGORIUS NANZIANZ. *ad Hellenium*, D. AVGVST. *epist.* 86. *ad Casulanum*: alios integras hebdomadas peregisse teste LVCIANO in *Philopatro*; quod ita intelligendum putem; vt non ab omni cibo penitus abstinerent.

XII. Per cibum, & potum intelligimus omne edulium, & escam praeter panem & aquam: vnde est, apud DONATVM in *Terent.* cibus sumi-

mi-



mitur pro eo, quod delicatis praeberi solet, victus vero de aridis & inanibus alimoniis, reiecto etiam si lubet pane, & sumptis tantum oleribus, & herbis agrestibus, sicut de Iustiniano imp. narrat PROCOP. *lib. 1. de aedificiis*, quem transactis duobus diebus solidis, agrestas herbas, sale & aceto conditas, reiecto pane, & vino comedisse tradit. Nil prorsus edisse per integram hebdomadam, vel viginti dies, absurdum esset omnino, nec ultra tres dies potuisse fieri, quisquam affirmare audeat, licet D. AVGVST. *lib. 1. de moribus Manich.* quosdam ultra tres dies omnimodo abstinuisse recenset, sed vt rem miram; *ieiunia prorsus incredibilia*, inquit, *exercere didici, non quotidie semel, sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sine cibo, ac potu ducere.*

XIII. Nec vero ieiunia solum attendebantur in potu, & cibo, sed etiam in aliis; ita vt negotia vlla non exercerentur diebus statis, *cap. 12. concil. Aquisgran. II. NICOL. ad consulta Bulgar. cap. 45. THEODVLPHVS ad presbyteros Aurelian. cap. 42.* sed omne tempus piis occupationibus impenderetur, vt in visitandis pauperibus, & captiuis, quod munus proprium est episcoporum diebus esurialibus cuiusque hebdomadae, quarta nempe, & sexta olim feria, *l. neminem. C. de episcopal. audient.* sed nec licuit festos dies celebrare, *παραγορίζειν*; imo quod est maius, sacrificium Deo offerre, praeterquam diebus sabbato, & dominico, & annunciationis B. Mariae festo, *can. 52. syn. sextae in Trullo*: nec martyrum natales peragere, *can. 51. syn. Laod.* quod, vt docet BALSAMON, hi dies festi gaudium adferrent, & incongruum moerore simul, & gaudio diffundi; sed hic excessus fuit Graecorum, non Latinorum.

---

TITVLVS XLVII  
DE  
PURIFICATIONE POST PARTVM.

I. **A**d mysteria diuina audienda, & sacramenta percipienda qui, & quomodo admittendi sint, diximus; sed quia nemo ad ea accedere potest, nisi dignus sit ecclesiam ingredi, ideo agitur de purificatione, sine qua mulieres post partum non admittebantur ex lege Mosis *cap. 12. Leuit.*

II. Certi enim dies erant, quibus mulieres post partum a templi ingressu arcebantur, si masculum peperissent 40. si faeminam 60. septem

XX

qui-

quidem diebus mariti cum vxoribus versari prohibebantur, qui vocabantur dies separationis, reliquis vsque ad 40. vel 60. cum eis loqui, & veci, non tamen debitum exigere fas erat, *can. cum enixa, & can. ad eius. d. 5.* sed quia omnia illa ceremonialia praecepta sublata sunt, respondet INNOCENT. III. in *cap. unico. hoc tit.* statim a partu mulieres, vt Deo gratias agant ecclesiam ingredi posse, nec poenam in culpam vertendam esse ait *can. si mulier. ead. dist.* nisi ex veneratione, & reuerentia id libenter agant.

III. Quod non solum obseruarunt primitus mulieres, sed etiam mariti, qui post copulam coniugalem lauacri purificationem quaerebant, & ab ingressu ecclesiae paululum abstinebant; vt scribit GREGORIUS M. *lib. 12. epist. in resposione ad August. 10. Vir,* inquit, *cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet, can. vir. can. propria. 33. q. 4.* Refert & ipse matronam quandam, quae cum carnis aestu a viri sui complexibus abstinere non potuisset, & subsequente die ad dedicationem oratorii S. Sebastiani accessisset; a malignis spiritibus correptam fuisse. *lib. 1. dialog. cap. 10.*

IV. In more fuit & hoc antiquis Aegyptiis, & Graecis, vt numquam nisi loti templum adirent, & Iouem precarentur, apud HERODOTVM in *Euterpe*, eo quod, vt ait TULLIVS I. *de legib.* labes corporis aquae abstersione tollatur. Christiani primitus hoc obseruarunt, vnde ad fores ecclesiarum erant fontes, quibus ingressuri lauarentur, teste EUSEBIO *lib. 10. cap. 4.* PAVLINVS *epist. 12. ad Seuerum:*

*Sancta nitens famulis interluit atria lymphis*

*Cantbarus, intrantumque manus lauat amne ministro.*

Non quod crederent, aqua vitia purgari, sed vt ea lotionem ad mentem purgandam excitarentur: TERTVLL. *lib. de orat.* *Hae sunt verae munditiae, non quas plerique superstitiose curant ad omnem orationem, tum etiam cum lauacro totius corporis, quod agnouit OVID. 2. fastorum:*

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina mentis*

*Flumine a pelli posse putatis aqua!*

V. Apud nos in mulieribus enixis purgatio necessaria non est, licet hoc statuerit purificationis lex; cum propter fluxum sanguinis, qui eas facit immundas, tum propter secundas, seu secundinas, quae sunt membranae, quibus in vtero partus obuoluitur, de quibus PLIN. *lib. 20. cap. 9.* In hac purificatione propter periculi, & doloris euasi gaudium  
sole.

solebant foeminae conuiuia cum placentis, & ferculis facere, quae dicebantur, festa secundarum, qui ritus eo deuenerat, vt etiam in honorem virginis Mariae, secundinae fierent, quod damnauit *synodus VI. in Trullo, can. 80.* eo quod absque vllis secundis, absque fluxu sanguinis, absque dolore mundi Saluatorem pepererit.

VI. Error procefferat ex eo, quod in ecclesia festum praesentationis, seu purificationis celebrabatur; licet enim huic legi adstricta non foret, eam tamen voluit adimplere, vt tradit D. AVGVST. *haeresi 5. & S. CYPRIANVS serm. de natiuitate Christi.* Hoc autem purificationis festum primum institutum fuisse a Iustiniano sub Vigilio papa, refert CARDINALIS BARONIVS *ad annum 544.* quod confirmatur ex LANDVLPHO in *eius vita*, cui etiam suffragatur SIFFRIDVS *lib. I. epist.* nisi in eo, quod sub Pelagio, non Vigilio factum asserit, idque Constantinopoli: *Sub Pelagio, inquit, papa, & Iustiniano imp. sumpsit initium apud Constantinopolim, vt ὑπαρχὸν Domini celebraretur:* causam fuisse ingentem mortalitatem refert SIGEBERTVS in *chronico ad annum 542.* ALBINVS FLACCVS *lib. de diuinis officiis*, in detestationem lupercaliorum statutum fuisse dicit, & errat CEDRENVS, qui non sub Iustiniano, sed Iustino vltimo imperii anno factum narrat. Hoc festum deinde litanis auxisse Sergium scribit praefatus ALBINVS FLACCVS *d. lib. de diuinis officiis.*

---



---

## TITVLVS XLVIII.

DE

### ECCLESIIIS AEDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

I. **C**um de consecratione altarium, de sacramentis in ecclesia ministrandis, & de ipso ingressu templi dictum sit, merito agendum de aedificatione, & reparatione ecclesiarum hoc tit. in quo duo potissimum tractantur; aedificatio, & reparatio.

II. Aedificari quidem ecclesiae, nisi causa cognita, & probata ab episcopo non debent, *can. quidam. 18. q. 2.* & vbi necessitas populi id requirit per congrua, & vtilia loca, vt ait *can. ecclesias. 16. q. 7.* veluti si talis sit distantia, quae incommodum plebibus adferat, quo minus diuinis officiis interesse possint, *cap. 3. hoc tit. can. cum longe. dist. 63.* licet noua haec constructio vergat in perniciem antiquae ecclesiae, ait Co-

XX 2

lestinus

lestinus in *cap. fin. hoc tit.* quod est contrarium vniuerso iuri in *can. ecclesiae*, & *seq. 16. q. 1.* in quibus veteres ecclesias nouarum erectione possessionibus, decimis, iustitiis, non esse defraudandas asseritur; quod intelligendum est, quoties adhibetur consensus episcopi, & rectoris, in cuius dioecesi, vel paroecia noua fit ecclesia, *can. multis. ead.* adeo vt is, qui nouiter instituitur, sit proprie vicarius perpetuus, cuius praesentatio pertineat ad rectorem primarium. *cap. 3. hoc tit.*

III. Similiter de episcopatu dicendum est, hic enim titulus huc spectat; nomine enim ecclesiae frequenter episcopalem intelligimus; & totam congregationem fidelium dioecesis vocabulo, *can. scire. 7. q. 1. cap. relatum. sup. de testament.* Si excreuerit in immensum populus, & tales sint ciuitates, quae dignae censeantur eo priuilegio, tunc constitui potest episcopus, *can. 6. syn. Sardic. & in cap. fin. 65. dist.* non vero in pagis, & vicis, ne vilescat nomen episcopi, ait Anacletus *epist. 3. can. episcopi*, & *seq. dist. 80.* sed in his *χωρεπίσκοποι*, aut *περιοδευταί* ponendi sunt, licet aliquando & episcopi positi fuerint, quos tamen non vt episcopos habendos censuit *can. 57. syn. Laodic.* imo eos ditionem, & potestatem episcoporum, qui in ciuitatibus sunt, agnoscere debere, *καὶ μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τῶ ἐπισκόπου ἐν τῇ πόλει*: vbi BALSAMON scribit talem episcopum vicanum, & rusticum sine mente metropolitani nil agere posse, contra ipsorum verborum significationem, & mentem ipsius synodi; quod apparet ex eo, quod nouum non esset decernere, vt episcopi metropolitano subsint, quod de iure communi fit; sed id fuit nouum, vt tales vicani episcopi subsint episcopo ciuitatis; quia scilicet proprie non sunt episcopi, sed exarchi, circumcurfatores ad animarum curam destinati.

IV. Pari ratione nec metropolitani noui, nec primates institui debent, nisi gens aliqua deinceps ad fidem fuerit conuersa, *can. nulli. 99. dist.* licet aliquando in gratiam principum id effectum fuerit, vt de Toletana vrbe, quam primatus honore ornauit summus pontifex, ad instantiam Chindasuinti Gotthorum regis, vt scribit RODERICVS *lib. 2. cap. 21.* Nostra vrbs Tolosa olim Narbonensi subdita prouinciae, metropolis effecta beneficio Ioannis XXII. *cap. nuper certis. extrauag. de praebend. & dignitatib.* Nec id absque ratione, eo quod regia vrbs quondam, imo & metropolis fuerit: iure definitum fuit, vt primatus, metropoles, archi-  
episco-

episcopatus, & episcopatus constituentur pro ratione, & dignitate prouinciarum & ciuitatum. *can. prouinciae. 99. dist. 1.*

V. Sed forsan longius progressus sum, quam debui, & hunc sermonem melius, & conuenientius titulo *de praebendis, & dignitatibus* tribuissem, ad semitam redeo. Non solum paroeciales ecclesiae condi possunt cum supra dicto temperamento, sed etiam monasteria, *cap. penult. & ult. hoc tit.* adhibito episcopi consensu, vel sola summi pontificis autoritate, inficiis episcopis, & plebanis: quod tamen raro olim fiebat, eaque dumtaxat lege, vt paroecianos ad quotidiana officia, aut ad sepulturam non reciperent. *cap. hoc tit. in 2. compil.*

VI. Praeterea inspicienda est opportunitas locorum, in quibus ecclesiae aedificari debeant, & doti earum sufficienter prouideatur, non solum ad facta tecta, ad ornamenta, & luminaria, sed etiam ad custodum, & deseruientium, τῶν προσεδρεύόντων alimenta, vt loquitur *nou. IVST. 67. can. nemo. de consecrat. dist. 1.* quam dotem pro ratione dignitatis ecclesiae, vel oratorii assignari debere, scribit GREGORIUS in *epist. 6. lib. 7. epist. 18. lib. 11.* & aedificator intra quinquennium complere debet aedificium, & si ante decesserit, heredes eius tenentur. *nou. 123. cap. 18. & nou. 131. cap. 10.*

VII. Formam ecclesiarum si quaeras, ea potissimum fuit, quae crucis formam referret, vt de ecclesia in Narnio narrat BARONIUS ex *Marco Diacono ad annum 401.* vel in modum nauis; ex praecepto CLEMENTIS *lib. 2. constit. cap. 57.* quod praefigurata fuisset in arca Noe, vt tradit GAUDENTIUS *serm. 8.* PAULINVS *epist. 34.* vnde hodie dicimus nauem ecclesiae Gallice *la nef.*

VIII. Fuit vero ex primaeuo ordine, vt aedificium esset versus orientem, *can. ecclesiasticarum. dist. 11.* apud TERTULL. in *apolog. προσευχέτω δὲ κατὰ ἀνατολὰς:* id est, *praecetur vero versus orientem, constit. apostolicarum 46. lib. 7.* tum quod oriens sit Christi figura, vt idem ait *lib. aduersus Valentinian. cap. 3.* tum quod aliis mundi partibus sit praestantior: quam consuetudinem ab apostolis manasse scribit IVSTINVS MARTYR *resp. 118. ad orthodoxos.* Alii dicunt id ideo fieri, quod paradisus in oriente esse credatur, & sol supra paradisum oriatur, vt refert MOSES BARCEPHA *commentario de paradiso, parte 1. tom. 1. bibl. SS. P. P.*

IX. Gentiles quoque ad orientem precabantur, sed longe diuerso sensu; siquidem solem orientem adorantes spectabant, APVL. *lib. 2.*

Tunc orientem obuersus, & incrementa solis Augusti tacitus imprecatus. Iudaei contra occidentem spectabant 3. Reg. 8. ne sicut gentiles viderentur solem adorare, vt scribit ANASTASIVS *Sinaita q. 48. in scripturam*: qua ratione intelligendus est IOSEPHVS, qui *lib. 8. antiq. cap. 2.* dixit templum Salomonis ad orientem versum fuisse, quia scilicet facies, & ingressus orientem prospiciebat; sicut e contrario Christianorum templorum portae solem occiduum respiciunt, vt orantes in eis vultum dirigant ad ortum, vt de templis paganorum refert VITRUVIVS *lib. 4. cap. 5.*

X. Olim veterum templorum apud Christianos introitus erat ad ortum, vt sol aequinoctialis radios suos contra medietatem templi protenderet, vt iis, quibus ingressu interdictum erat, saltem prospectum praeberent, vt tradit WALAFRIDVS STRABO *lib. de ecclesiast. offic. cap. 4.* quod confirmat SIDONIVS *epist. 10. lib. 2.*

*Aedes celsa nitet, nec in sinistrum,*

*Aut dextrum trahitur, sed arce frontis,*

*Ortum prospicit aequinoctialem.*

EVSEBIVS quoque describens templa a Christianis erecta ingressum, & aditum ad ortum ponit *lib. 10. hist.* Qui ergo fieri potuit, vt supplices orarent versus orientem, si ab ortu ibant ad templum? Secundum figuram templorum nostri temporis necessario precari versus occasum debuissent.

XI. Res est non exiguae disquisitionis, nec huic difficultati facile potest satisfieri, nisi dicamus ecclesias patuisse olim ad ortum, & fideles intus preces suas ad ortum etiam fecisse, nec id incongruum erat, quia altare positum erat in introitu templi, vbi & sacrificia fiebant, vt idem STRABO docet, & ARISTEAS *lib. de LXX. interpretibus*: PROCOPIVS *lib. de aedificiis*, describens templum sanctae Sophiae innuit sanctuarium fuisse versus templi frontem & solem orientem: καὶ τὸ μὲν τῆ νεῶ πρόσωπον (εἴη δ' ἂν αὐτῆ τὰ πρὸς ἀνίχοντα ἥλιον, ἵνα δὴ τῷ Θεῷ ἱερουργῆσι τὰ ἄρρητα) τρόπῳ τοιῶδε δεδημιέργηται. Id est: & frons quidem templi (est autem pars vbi sacra arcana Deo faciunt versus orientem solem) ratione huiusmodi fabricata est. Hoc vt clarius constet, sciendum, ita dispositum fuisse templum, vt facies ipsius, seu frons tres portas haberet, quarum media longe amplior, & praestantior obicibus & repagulis clausa a custodibus seruabatur, per quam sacerdotes,

& mi-

& ministri ad altare, & sanctuarium ingrediebantur. Aliis duabus portis minoribus patebat aditus ingressuris, qui per porticus ex vtraque parte dispositas ducebantur in interiora templi loca, in quibus mansiones pro ratione personarum distinctae, & dispositae erant, ita vt non pateret aditus ad sanctuarium, quod cancellis vndique circumseptum erat; quae omnia perspicue demonstrat EVSEBIUS *dicto loco*.

XII. Ingressus ergo erat ad orientem tam apud Christianos, quam gentiles, qui templorum extremitatem per anticam, & posticam partem denotabant; antica erat ad ortum, postica ad occasum: per anticae nomen intellexerunt veteres ianuam, autore VERRIO FLACCO, *in verbo, anticum*; quo sensu etiam ISIDORVS *lib. orig.* partes templi quatuor ponit anticam ad ortum aequinoctialem, posticam ad occasum, sinistram ad septentrionem, dexteram ad meridiem. Apud Iudaeos licet antica pars, siue aditus pateret ad solis ortum; tamen orantes ad posticam, siue occasum conuersi erant, ideoque grauitur arguuntur gentiles, qui solem adoraturi terga vertebant Domini templo & facies orienti, ZACHARIAE *cap. 8*. Christiani imitari voluerunt formam templi Salomonici, quod faciem habebat versus ortum; attamen ne more Iudaeorum ad occidentem precarentur, sanctuarium, & altare ad orientem locarunt in introitu, in antica, non in occidente, siue in postica: & ita templum D. Petri Romae constructum refert LEO M. *lib. 7. de natiuitate*, & WALAFRIDVS STRABO *dicto loco*.

XIII. Et hanc formam prioribus seculis seruatam fuisse credendum est; sed successu temporis immutata est, constituta facie templorum ad occasum, vt interiora penetralia, vbi est altare, ad orientem vergerent, quod ostendit satis PAVLINVS *epist. 12. Prospektus*, inquit, *basilicae non, vt vsitator mos est, orientem spectat, vbi per prospectum, faciem templi, vbi atrium est, denotat.* Gentiles quoque, vt hoc addam, licet templa sua ad ortum paterent, preces etiam huc fundebant, testibus PORPHYRIO, & LUCIANO *lib. de domo*, & CLEMENTE ALEX. *strom. 7*. Hic autem mos non ad superstitionem vsque seruatus est, sed aliquando ad occasum, & alias mundi partes templa sua, & preces verterunt; vnde est, quod IUSTINVS MARTYR *q. 118*. ait, in omni loco esse orientem precantibus, *ἐν παντὶ γὰρ τόπῳ ὑπάρχει ἡ ἀνατολὴ τοῖς εὐχομένοις.*

XIII.

XIV. De magnitudine ecclesiarum nonnihil addendum est: siquidem non concessum erat pro arbitrio amplitudinem constituere, sed solebat in eis aedificandis episcopus loci aduocari, qui locum consignabat, & linea circumscribebat, teste D. HIERONYMO in *vita Hilarii*: *mira Domini gratia, inquit, non prius abire passi sunt, quam futurae ecclesiae lineam mitteret*: & hoc est, quod consignationem vocat GREGOR. in *cap. 1. supra, de religios. domib.* Sic & linea missa condebantur vrbes, teste EVSTACHIO, vbi Dido bouis corio Carthaginem designauit, apud HEROD. *lib. 5.* & VIRGIL I. *Aeneid.*

*Taurino quantum possent circundare tergo.*

Vt plurimum ecclesiarum amplitudo, seu circuitus ex veteri ecclesiae instituto non fuit vltra 40. passus, capellarum & oratoriorum 30. vt refert Nicolaus in *can. sicut. 17. q. 4.* Quapropter EVSEBIUS Constantinum ingens, & memorandum aedificium in animo habentem, locum amplioribus terminis circumscripsisse refert: frequentius ambitus ecclesiarum triginta passibus concludebatur. *can. quisquis. 17. q. 4.*

XV. Alterum huius tit. membrum reparationem ecclesiarum respicit, ad quam tenentur, quicumque prouentus ecclesiarum percipiunt, *cap. 1. § 4. hoc tit.* secundum antiquam diuisionem, qua partes quatuor fiebant, quarum vna fabricis deputabatur, *can. vobis. con. concessio, § seq. 12. q. 2.* fartis tectis apud GREGOR. *epist. 42. lib. 4.* & haec portio decima fabricalis dicebatur, quae separatim exigi solebat, nec alio diuerti poterat sine expressa episcopi, vel summi pontificis licentia, vnde & videmus CLEMENTEM IV. in *epist. 24. § 103.* ad archiepiscopum Hispal. decimas fabriles regibus Castellae, & Legionis concessisse, vt ecclesiam aduersus Sarracenos tuerentur.

XVI. Hae decimae, sicut aliae, pertinent ad ipsorum cognitionem, quorum auctoritate dispensari a presbyteris, & diaconis debent, *can. praecipimus. 12. q. 1. can. de redditibus. 12. q. 2.* nec solum quarta fabricalis in reparationem ecclesiae conuerti debet, sed etiam, quod superest ex portionibus clericorum, *cap. 1. § 4. hoc tit.* & ne minus solcite id fiat, episcopo visitationis munus iniungitur, vt exquirat diligenter, quibus vnaquaeque basilica reparationibus indigeat, *can. decreuimus, § seq. 10. q. 1.* & si quae fuerit diruta, vel clericorum solatio, & populi frequentia desti-

desti-



destituta, vt nulla reparationis spes remanserit, tunc eam proximiori vnire debet episcopus, vt rescribit GREGOR. *in epist. 8. lib. 1 & e-  
pist. 35. lib. 2.*

---



---

T I T V L V S XLIX.

DE

IMMUNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII,  
ET RERVM AD EAS PERTINENTIVM.

**I.** Parum fuisset dixisse de consecratione, dedicatione, & aedificiis ecclesiarum, & de ritibus, qui obseruantur, nisi & priuilegia earum, & immunitates proponantur.

**II.** Immunitas, est vacatio, & exemptio munerum, onerum, & officiorum, quae libertas vocatur a TVLLIO, *orat. de Fonteio*; sicut immunis dicitur, qui nullo fungitur officio, munis, qui adstrictus oneri est; officiosus ideo dictus a FESTO, vectigalis a TVLLIO *3. offic.* Graecis *λειτερός*, sicut *ἀλειτερός* immunis, & *ἀλειτεργησία* immunitas.

**III.** Consideratur dupliciter immunitas, ratione templorum, & ratione personarum, quae in eis deseruiunt. Primum, quod in *cap. 1.* statuitur, tangit immunitatem ecclesiarum, ne in eis placita & iudicia secularia exercentur, non tantum intra ipsas, sed nec in earum atriis, & porticibus. *can. 22. syn. Arelat. sub Carolo M. cap. 91. lib. 5. Capitul.*

**IV.** Moris erat olim sub dio causas agere, atque in portis ciuitatum, sed plerumque ob ingruentes pluuias, aut solis ardores, in templum iuris dicundi causa sese recipiebant comites, quod prohibuit Carolus, iubens vt ipsi domos sibi constituerent, in quibus mallum tenerent, non vero in ecclesiis, *cap. 28. lib. 4. Capitul. Mallus tamen neque in ecclesia, neque in atrio eius babeatur*: extant formulae talium immunitatum apud FLODOARDVM *hist. Rem. lib. 11. cap. 29.* Et apud MARCVLPH. *lib. 1. cap. 3.*

**V.** Processerat hic abusus a gentilibus; nam apud Romanos senatus, postquam sacrificatum fuerat, in templo ius dicebat, teste GELLIO: nec solum in ciuilibus causis, sed etiam iis, quae corporalem poenam ingerunt; nec enim iudicium sanguinis exerceri debet, vbi est tutela refugii. *cap. 5. hoc tit*

Y Y

VI.

VI. Habuit praeterea hanc immunitatem ecclesia, vt ab ea extrahi fontes non possint, *cap. seq. & can. definiuit. 17. q. 4.* quod sancti canones exemplo legum Romanarum effecerunt, *can. id constituimus. 17. quaest. 4.* nec solum templa, sed etiam statuae asylum praebebant, *l. 2. de his, qui sunt sui vel alien. l. 1. de offic. praef. vrbi,* contra facientibus crimen maiestatis inditum est a Theodosio *l. 2. C. de his, qui ad eccl. confug. l. 4. C. Theod. eod.* quod diu non est passus Arcadius; imo omnes debitores, & rationibus obstrictos ab aris & templorum septis auelli posse statuit, *l. 3. C. Theod. de his qui ad eccles. idque* suafu Eutropii, quem ob id diuinam ultionem expertum fuisse narrat CHRYSOSTOMVS *homil. in Eutropium.* Contra Leo sub poena capitali Theodosii sanctionem renouauit, cum tanta religione, vt talia audentes solius etiam cogitationis poenam non effugerent. *l. praesenti. C. eod.*

VII. Hinc obseruatum fuit semper, vt pro omni debito, vel crimine, ecclesia praesidio esset confugis, *can. eos qui. 87. d.* adeo vt nec laesae maiestatis rei inde extruderentur, *syn. Matisc. II.* Cum enim Eberulphus Chilperico regi necem intulisset, & eum ab ecclesiae atrio extraxissent satellites, ultio diuina secuta est interfectores, teste GREG. TVRONENSI *lib. 6. hist. Franc. cap. 21. & 22.* posteriores tamen pontifices cum licentia episcopi reos extrahi posse censuerunt; homicidis quoque, & adulteris, & virginum raptoribus terminos ecclesiarum non prodesse, imo nec aliis, sed tantum iis, qui vim, iniuriam, & faeuitiam potentiorum, & dominorum pertimescerent statuit IVSTINIAN. *nou. 17. cap. 7. & nou. 117. cap. ult.*

VIII. Ius canonicum hac in parte criminosis fauere voluisse non est credendum, quum & publicos latrones, & depopulatores agrorum ab ecclesiae asylo expellat *cap. inter alia. hoc tit.* homicidas quoque eiiciendos esse, & eis victum denegari debere ait, *cap. 23. lib. 9. Capitul.* sed & omnibus atrocium criminum reis finem suum claudit ecclesia, cum aliquo tamen temperamento suae benignitatis, nempe vt confugis, mortis, & poenae corporalis reis immunitatem praestet, tactis prius a vindicibus sacrosanctis euangeliis coram clericis. *d. cap. inter, & can. de raptoribus. 26. q. 1. can. id constituimus. 17. q. 4.*

IX. Idem est de coemeteriis, ex quibus fontes abstrahi non debent, ex decreto INNOCENTII II. *in syn. Rom. cap. 22.* in his collocatae erant  
cruces

cruces, quibus septa & ambitus designabantur, ne quis terminos auderet transgredi: *Anonymus 4. de mirac. S. Benedicti: Denique cruces aliquantum excelsas per gyrum coemeterii posuerunt, quas nemo suum persequens inimicum transgredi audeat.*

X. Imo quod sanctius, & laudabilius olim fuit, cruces in triuiis, & itineribus positae securitatem praebebant, ex decreto Urbani II. in syn. Claromont. *cap. 29. & 30.* Non est hoc loco omittenda pulchra constitutio Bonifacii archiepiscopi Cantuarien. *tit. de immunitate ecclesiae*, quae impediens ministrari alimenta confugis, poena sacrilegii plectendos decernit: & in eo notanda consuetudo Angliae, vt qui abiurabant regnum, non possent ab ecclesia, vel coemeterio abstrahi, sed deducebantur ad proximum portum vt exirent e terra, saluis sibi vita & membris, vt scribit *GVILLELMVS LYNDEWODE ad prouinciale, seu constitutiones Angliae*: qui & addit, quod notatu dignum est, confugientem ad ecclesiam, se clericum esse asserendo, tutum esse a iurisdictione regia etsi non abiurasset regnum.

XI. Praeter has immunitates, & priuilegia prohibetur etiam, ne ecclesiae, & earum septa, hospitio sint laicorum, nec tabernae, aut cauponae in eis fiant ad cibos vendendos, *can. 77. syn. VI. in Trullo*, nec vlli accubitus, *κατασκευάσματα*, vel lectuli in medio templi sternerantur, *can. 74. ead. can. 4. d. 42.* nisi summae necessitatis causa, *can. nulli. 41. d.* quae necessitas efficit aliquando, vt & iumenta in ecclesiam introducere liceat, omni alio diuersorio deficiente, *can. 89. eiusd. syn.* ad quam *BALSAMO* etiam volucres, perdices, passeris, & columbas introduci posse putat, sed raro, ne sanctum per excrementa contaminetur. Sed eo deuentum hodie est, vt ex templis fiant horrea, messes, & foenum in his recondantur, quod acriter reprehendit *THEODVLPHVS ad presbyteros Aurelian. can. 8.* mensas, & arcas illic inferri etiam vetat *GREGOR. VII. concil. Rom. cap. 32.* nisi belli tempore *can. 19. concil. Later.* vt supra *tit. de custodia eucharistiae* diximus.

XII. Altera immunitas respicit personas ecclesiae, quas ab omnibus muneribus, & oneribus eximi voluit *CONSTANTINVS in l. 1. & 2. C. de episcop. & cleric.* Quod *IUSTINIANVS* renouauit in *l. generaliter eod. relata. in can. generaliter. 16. q. 1.* & vilibus praesertim ministeriis, vtpote calcis coquendae, arenae fodiendae, & similibus, quae enumerantur

in *l. maximarum. de excusat. mun. lib. 10. Cod.* a procurationibus, & ratiociniis; nec enim clerici fieri debent procuratores, actores, villici. *l. officiales C. eod. cap. unico. sup. de obligat. ad ratiocin.* tunc enim iniuriam fieri clero ait *IUSTIN. nou. 123. cap. 15.* Denique liberi esse debent ab omnibus adscriptitiis conditionibus, *cap. 116. lib. 6. Capitul.* ab extraordinariis vero muneribus non excusari debere, sanxerunt constitutiones imperatorum; extraordinaria dicuntur, quae ad tempus, & ex improviso indicuntur, veluti angariae, & parangariae belli tempore, *l. neminem. C. de sacros. eccles. instructiones itinerum, pontium, portuumque, l. 7. C. eod. reparationes, & custodiae murorum, & portarum vrbs, cap. peruenit. hoc tit. can. si nulla. 23. q. 8. CONSTANT HARMENOP. lib. 2. tit. 5.*

XIII. Benignior fuit Carolus M. qui clericos ab omnibus personilibus, & extraordinariis oneribus liberos fecit, *cap. 190. lib. 7. Capitul.* ratio ab ipso imperatore redditur, ob consecrationem, quae eos iuris diuini facit, vt praesent tantum diuina seruitia, *cap. 116. lib. 6. Capit.* & vt ait *EVSEBIUS, lib. 10. hist. cap. 7. μάλλον ἄνευ τινὸς ἐνοχλήσεως τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται,* id est, *absque ulla molestia propriae legi obsequium praesent.*

XIV. Non ita de oneribus patrimonialibus, seu possessionum, quae *HARMENOP. λειτουργία κτηματικὰ* vocat, *BALSAMON* in *can. 4. syn. VII. ζευγολόγιον*, iugationem, iugum, vt *CONSTANTINVS* imp. in *l. 3. C. de episc. & cleric.* vocat: ab his immunitatem non praebuit ipse in *d. l. 3. eod.* nec *THEODOSIVS* in *l. 15. C. Theod. eod.* *EMANVEL* bulla aurea per totam Romaniam sacerdotibus omnibus non solum omnis muneris publici, sed etiam *ζευγολογίᾳ ἀτελείαν* concessit, vt idem *BALSAMON* refert: quod tamen veteres aequum non existimarunt, vt *D. AMBROS.* ostendit in *can. conuenior, & can. tributum. 23. q. 8.*

XV. De eo tamen conuestio maxima fuit, eo quod apud ethnicos sacerdotes a tributis omnibus, exactiōibus, & oneribus, immunes legi censoriae adstricti non essent; quod cum temperamento accipiendum est, vt scilicet agri, & possessiones clericorum censum praesent, non vero agri, & possessiones ipsius ecclesiae, quae sacrae, & nullius sunt, *can. nulli. 12. q. 2.* quas vero clerici iure suo & peculiari nomine, non vero ecclesiae possident, immunitas sequi non debet, in quibus principis dominatum agnoscere debent, *can. magnum. 11. q. 1.* vel potius ne in immensum excrescant patrimonia clericorum in ceterorum perniciem, quibus licet possi-

possidere mansum integrum, sine vlllo seruitio, vt est in *cap. 1. sup. de censib.* & ita intelligenda praecepta tam regia, quam imperialia, quae olim immunitatem clericis dederunt, quorum formulae sunt apud MAR. CVLPHVM passim, & apud FLODOARDVM, & *can. 7. synodi Aurel. I.*

---



---

T I T V L V S L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SECVLARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

**I.** Immunitas non tantum vtilitatem, & commodum ecclesiae respicit, sed etiam honestatem, & ideo sicut suarum praerogatiuarum, ita dignitatis suae, & decoris leges habere debet, quas ministri ipsius obseruent, vt a laicis, & profanis hominibus in vtroque dissimiles sint vitae modo.

**II.** Igitur non debent se negotiis seculi implicare, *se seculari*, vt loquitur *Anonymus* maioris monasterii, *archiepiscopus Tutinensis monachos accusauit, vbi indecente petulantia lasciuire solent, & seculari, quod dictu nefas est, & ad hoc dedecus maius redigere monasterium.* Nec quidquam cum secularibus commune debent habere clerici, cum sua stipendia separatim capiant, *can. bi qui. 21. q. 3.* quod ex institutis apostolorum processit, *can. 6. apostol.* Imprimis iudicium sanguinis interdicitur clericis, *ex concil. Tolet. in cap. 5. hoc tit.* adeo vt contra facientes gradus clericalis honore priuentur, *can. saepe, & seq. 23. q. 8.* quod & Innocent. III. in concil. Later. renouauit, *cap. sententiam. hoc tit. Reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere censura curiae est, non ecclesiae disciplina* ait HILDEBRAND. *epist. 30.*

**III.** Multo minus & placitis secularibus interesse, vel praeesse possunt, vt illic praepositi sint, vel missi comitum, vel vicecomites, *d. cap. 5.* vel principum iustitiarum, *cap. sed nec. 4. hoc tit.* vt fuse tractatur in *cap. 2. sententiarum synodaliu Lucae patriarchae;* qua tamen in re Innocentii III. temporibus abusus maxime inualuerat, praesertim in Anglia; refert etenim MATTHAEVS PARIS, monachos S. Trinitatis conquestos fuisse apud Innocent. III. quod Hubertus Cantuariensis archiepiscopus contra ordinem dignitatis suae, se iustitiarum Angliae, & sanguinis iudicem gereret, quod sub poena interdicti Richardo I. Innocentius vetuit, & huic praecepto rex obtemperauit.

Y Y 3

IV. In-

IV. Inhibetur etiam clericis negotiatio, siue mercatura turpis lucri causa, *cap. secundum. hoc tit. can. quoniam, & seq. 14. q. 4.* iusta enim, & honesta negotiatio licita est, *cap. 1. hoc tit.* quia & apostoli necessitatis causa id egerunt, & B. PAVLVS de se profitetur *act. 20. can. 1. 21. q. 1.* licet clericis & monachis mercaturam exercere, vt quaestus in vsum pauperum conuertatur, ait CONSTANTIN. in *l. 2. C. de episc. & clericis*: quod ita intelligendum est, vt quidem *καπηλικὸν ἐργασίον ἔχειν* liceat ad aliis elocandum, non vero vt intelligimus *ἔχειν*, habere, id est, exercere; non enim hoc licet *can. nulli. 44. dist.* sicque interpretatur BALSAMON in *can. 9. syn. VI.* Longissima porro differentia est inter mercaturae, siue negociationis, & laboris, industriaeque proprie quaestum; si quidem quod propriis manibus faciunt, & operantur clerici, iustum est; sic enim ex praecepto fecerunt olim monachi ad vitandum otium: lucra vero, quae ex foenore captantur, damnat *can. 17. syn. Nicaenae*, vnde conqueritur SIDONIVS *epist. 8. lib. 1.* clericos foenerari, syros pfallere ordine praepostero, quod & arguit quoddam genus idololatriae *TER. TVLL. lib. de idololat. cap. 12.*

V. Idem de procurationibus, & conductionibus statuitur in *d. cap. 1.* nec enim officiales fieri debent, & aliis ratiociniis occupari, *cap. unico. sup. de obligat. ad ratiocinia. l. officiales. C. de episcop. & clericis*: non villici, non insularii, id est exactores pensionum ex insulis locatis, *l. imperatores. de offic. praef. vigil.* Tutelis quoque, & curationibus sese implicare non debent; hoc prohibitum episcoporum concilio scribit CYPRIANVS *epist. 9. lib. 1.* & vetat Leo imp. *non. 68. & Iustinianus non. 123. cap. 5.* quae omnia nominatim cauentur in *can. pervenit. 86. d. & can. 3. syn. Chalced.* ad quem BALSAMO refert, clericos posse fieri executores testamentorum, imo & ad tutelam vocari legitimam, non testamentariam, adducta nouella Leonis sapientis, quod tamen ius canonicum non admisit, nisi eo casu, quo quaestio est de miserabilium personarum tuitione, vel cura. *cap. 1. & can. episcopus. 88. dist.*

VI. Non possunt etiam clerici suscipere tabellionatus officium, *cap. sicut. hoc tit.* in quo Innocentius III. abusum coërcet, quo passim in Esculana ciuitate presbyteri, diaconi, & subdiaconi tabellionatus officio fungebantur, vt est in *epist. integra registri nuper editi.* Indignum enim esset,

eos.

eos seruos fieri, qui pro dominis agnoscuntur; tabelliones sunt serui publici *l. non aliter. ff. de adopt.*

VII. Aliud est, quod alienum a proposito monachorum vult ALEX. III. *in concilio Turon.* scientiam legum, & medicinae, *cap. non magnopere. hoc tit.* quod decretum HONORIVS III. ad omnes clericos dignitate aliqua praeditos, & quoslibet presbyteros traduxit, *in cap. vlt. hoc tit.* Quantum attinet ad iuris ciuilibus cognitionem, inhihet INNOCENT. III. *epist. 144. lib. 1.* qua electum Brixiensem reprehendit, quod cum ei concessisset in scholis morari, legibus secularibus incubuisset: non abs re monachis id vetitum, ne eo praetextu a contemplationis, & silentii terminis auocentur, vt ait *d. cap. 3.* quod non est extendendum ad ius canonicum, cuius studium nobile, purum, & plane diuinum, licet aliquando a Benedicto XII. sub poena excommunicationis monachis nigris, & Cisterciensibus fuerit interdictum, expensis scilicet, & sumptibus ordinis, vt refert *Anonymus in eius vita;* quod & retractauit in suis constitutionibus regularibus, *cap. 7. de mittendis ad studia,* vbi nominatim theologiae, vel iuris canonici scientiam praescribit. Quantum vero est de clericis secularibus, durum nimis, & asperum videtur a ciuilibus iuris scientia arcere, quod veram philosophiam veteres nuncuparunt, *iudicare, promere, & exercere iustitiam,* PLINIUS *lib. 1. cap. 10.* ideoque Bonifacius VIII. decreta haec temperauit, prohibens plebanis, & dignitatem habentibus scholas huius scientiae aperire, & publice id ius profiteri: habebant illi in paroecijs suis scholas, vt constat ex *can. 56. lib. 2.* apud BURCHARDUM, *can. 5. in addit. capitul.* & THEODVLP. AVREL. *cap. 20.* non vetando, quin priuatim huic studio incumbant, *cap. 1. hoc tit. in 6.* non vt forensium disceptationum periti fiant, vt est in *l. repetita. C. de episc. & cleric.* sed vt vtilitatibus suis, & alienis prospiciant. *cap. unico. 39. dist.*

VIII. Physices vero scientia omnibus interdicitur; physica nihil aliud est, quam medicina, sicut physici dicuntur medici, quorum alii theoricis sunt; alii practici, vtraque horum doctrina improbatur; cum enim nimium autoritatis naturae tribuunt, in autorem naturae saepius impingunt, vt loquitur IOANNES SARISBERIENS. *cap. 29. lib. 2.* hanc scientiam parum proficere Christiano scribit D. AVGVST. *enchiridio ad Laurentium,* arguens eos, qui pro sua sententia adducunt hunc versiculum:

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas.*


Practi-

Practicam medicinam olim presbyteris vsitatam fuisse docet THEODORET. in epist. 115. ad Apellam: *ἕως τῶν ἐσὶν ἡ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος Πέτρος, λογικῶς μὲν μεταχειρίζων τὴν τέχνην, κοσμῶν δὲ ταύτην τοῖς ἄθεσιν*: id est: *vnus horum est religiosissimus presbyter Petrus: qui rationaliter artem exercet, ac illam moribus exornat, quam tamen postea damnarunt nostrae constitutiones, tum propter frequens mortis periculum l. illicitas. ff. de offic. praesid. discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, inquit PLINIUS lib. 29. cap. 1. cum quod chirurgicam artem exercent, vrunt, secant, cucurbitas admouent, l. lege. ad l. Cornel. de sicar. l. 53. ad l. Aquil. PAVLVS 3. sent. tit. 6. can. 1. concil. Nicaeni: & ad hanc chirurgicam artem medicinae partem restrinxit INNOCENT. III. supradictas constitutiones, in cap. sententiam. hoc tit. & in epist. ad Gebennensem episcopum lib. 14. registri, in qua cum monachus quidam ferro tumorem gutturis mulieri cuidam aperuisset, ipsa postmodum cum se vento & aëri exposuisset, e viuis excessit; vnde consultus summus pontifex, an sacris interdicendus monachus; respondet, non ideo, cum non sua culpa mulier obierit, ab altari arcendum, satisfactionem tamen condignam ab eo praestandam, quod alienum officium vsurpasset, sibi minus congruum.*

## FINIS LIBRI TERTII.







**T H E S E S**  
EX  
**V N I V E R S O I V R E .**

---

EX  
**I V R I S P R V D E N T I A N A T V R A L I .**

---



I.

uemadmodum fines Diuinae voluntatis , rectaque ratio, ita leges Naturales, nulli mutationi obnoxiae esse possunt.

II.

**C**onseruatio sui, ad animum , corpus, & statum externum spectat : Hinc patet ei maxime aduersari Autochyriam.

X

III. Si

## III.

**S**i obligamur ad finem, media quoque ad eum ducentia erunt necessaria: Licita itaque sui ipsius defensio, cum aggressoris etiam nece; si aliud medium non superfit.

## IV.

**P**rohibitum contra ad famam, & honorem conseruandum est duellum; quod duae personae determinato tempore, & loco, animo vindictae suscipiunt.

## V.

**O**mne mendacium, seu locutio contra mentem, animo fallendi adhibita, repugnat legi naturali.

## VI.

**C**um finis societatis Coniugalis Iure Naturae fit procreatio, & educatio sobolis, & hic in Polyandria impediatur; itaque ea Iure Naturae prohibita, non vero Polygenaecia.

## EX

IVRISPRVDENTIA PVBLICA  
VNIVERSALI.

## VII.

**H**omines metu malorum, & incommodorum, quibus status naturalis obnoxius est, naturaliter appetunt societatem civilem.

## VIII.

**S**ocietas civilis sine summo Imperio, quod a DEO venit, & Maiestas vocari solet, concipi nequit, cuius nota characteristica in eo consistit, vt actus illius, alterius Iuri non subsint, ita, vt alterius voluntatis humanae arbitrio irriti reddi nequeant.

## IX.

**S**ummum Imperium semper manet vnum, & idem, qualiscunque sit habendi modus, vel forma Reipublicae.

X. Re-

X.

**R**enunciatio futurae successionis in Regno, pro se & liberis nullo modo existentibus facta, valet, accedente consensu populi.

XI.

**C**um summus Imperans, vere talis, habeat Imperium summum, & independens a nemine, praeterquam a DEO iudicari, multo minus a populo deponi, vel poenis affici potest.

XII.

**D**efinit Imperium sublato subiecto, in quo est Imperium; hinc mortuo Rege, in regno Electio, vel extincta familia regnatrice, in haereditario, imperium redit ad populum, quia succedit in obligationes a rege, qua tali, contractas.

EX

## IVRISPRVDENTIA CANONICA.

XIII.

**S**umma potestas ciuilis, neque directe, neque indirecte ecclesiasticae subest.

XIV.

**I**n Romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguit principatus.

XV.

**E**piscopi a Christo suam potestatem habent.

XVI.

**E**cclēsia Christi est certo infallibilis.

XVII.

**L**ex Ecclesiastica, Romae tantum promulgata non obligat fideles alios, nisi sequatur promulgatio in singulis Dioecibus.

) ( 2

XVIII.

XVIII.

**C**lausula, motu proprio rescripto inserta, sanat vitium, sub- & obreptionis.

XIX.

**E**xemptio Clericorum, a iurisdictione saeculari, in causis ciuilibus, & criminalibus, venit ex priuilegio Principis saecularis.

XX.

**V**sucazio, seu praescriptio, tam in foro interno, quam externo, reddit tutum.

XXI.

**P**rinceps saecularis potest impedimenta Matrimonii statuere.

XXII.

**M**atrimonium ratum, per duos menses manet conditionatum.

XXIII.

**E**x priuilegio principum promanat ius asyli.

XXIV.

**P**romissio ficta matrimonii obligat promittentem, pro utroque foro.

XXV.

**N**ihil obstat, quin Laici praescribere possint, ius, & iuri decimandi.

XXVI.

**P**raelatus, Legatum Ecclesiae relictum, valide non repudiat.

EX

## IVRISPRVDENTIA CIVILI.

XXVII.

**I**n quouis reipublicae statu, non implicat, dari consuetudinem contra legem.

XXVIII.

## XXVIII.

**L**egitimatus per subsequens matrimonium, filio intermedio legitime nato, in iure primo geniturae praefertur.

## XXIX.

**E**xhaereditato potest dari tutor in testamento a Patre.

## XXX.

**T**riti Iuris est: curatorem adolescentes non accipere inuitos.

## XXXI.

**T**utor remotus ob culpam latam non fit infamis.

## XXXII.

**A**ctione de tigno iuncto, in duplum, non solum mala fide, sed & bona fide iungens tignum alienum tenetur.

## XXXIII.

**D**onatio non reuocatur ob supernascentiam liberorum, nisi a solo Patrono.

## XXXIV.

**T**estamentorum solemnitates, tam internae, quam externae adeo obseruandae sunt, vt nulla praetermitti possit, absque periculo nullitatis.

## XXXV.

**F**iliusfamilias, de peculio aduentitio irregulari, testari nequit.

## XXXVI.

**V**erba: *Si haeres non erit*; vtrumque casum continent; & *Noluntatis*, & *Impotentiae*.

## XXXVII.

**S**ubstitutio Pupillaris ita excludit matrem a bonis filii, vt illa licet praeterita testamentum querelare nequeat.

## XXXVIII.

## XXXVIII.

**I**nter legatarios, verbis tantum coniunctos, ius accrescendi locum non obtinet.

## XXXIX.

**F**ilius haereditatem restituere rogatus, duplici deductione vti nequit.

## XL.

**M**utuum inde dicitur, quod ex meo fiat tuum. Dubium igitur non est, quin in mutuatarium pecuniae dominium transferatur.

## XLI.

**Q**ui factum promisit, non liberatur, praestando interese.

## XLII.

**P**upillus nec naturaliter obligatur ex contractu, nisi cum nocet tertio.

## XLIII.

**P**ericulum rei in specie venditae, ante traditionem, pertinet ad Emptorem.

## XLIV.

**E**tiam indebitum, ex ignorantia Iuris solutum, repeti non potest; cum nulla subsit ratio aequitatis ex parte accipientis.

## XLV.

**N**egotiorum gestor ad leuissimam praestandam communiter tenetur.

## XLVI.

**C**ondictio furtiua contra haeredes in solidum datur.

EX  
IVRISPRVDENTIA CRIMINALI.

XLVII.

**T**ortura rite adhibita est licitum eruendae veritatis medium.

XLVIII.

**R**eus conuictus non debet torqueri, sed condemnari, etsi crimen non sit confessus.

XLIX.

**P**robatio illa, per aquam, carbones, ignem, non est licitum eruendae veritatis medium.

L.

**C**um in crimine Magiae, & indicia, & ipsa confessio, sint fidei suspectissimae, rarissime poenae ordinariae locus esse potest.



---

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER,  
CAES. REG. ET APOST. MAI. AVLAE, NEC NON INCL. STATVVM INFERIORIS AVSTRIAE TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

1761.

INSTITUT FÜR ANATOMIE

1877

Die Anatomie des Menschen

1878

Die Anatomie des Menschen

1879

Die Anatomie des Menschen

Die Anatomie des Menschen

Die Anatomie des Menschen

Die Anatomie des Menschen

1880

VINDOBONA

Die Anatomie des Menschen

Die Anatomie des Menschen

1881







Zusammen 382





